Groot (H. de)

the whole volume

Imprimatur.

Ex Ædib. *Lamb.*
Sept. 10. 1685.

Jo. Battely R.R.P.
Dom. *Wilhelmo*
Archiep. *Cantuar.* à Sacris
Domesticis.

Groot (H. de)
the whole volume

Imprimatur.

Ex Ædib. *Lamb.*
Sept. 10. 1685.

Jo. Battely R R.P.
Dom. *Wilhelmo*
Archiep. *Cantuar.* à Sacris
Domeſticis.

V. Cl.

P. 2672.

HUGONIS GROTII

DE

COENÆ ADMINISTARTIONE

UBI

PASTORES non ſunt,

Item An ſemper

COMMUNICANDUM

PER

SYMBOLA?

DISSERTATIO.

Cum diverſorum

RESPONSIONIBUS,

Quarum Catalogum verſa Pagina exhibebit.

LONDINI; Impenſis R. Tooke, ad inſigne Navis in Cœmeterio D. Pauli. 1685.


MVSEVM
BRITAN
NICVM

Ad Lectorem.

I. D*Amus hic, Amice, Lector, singulares aliquot, in difficilem* Tertulliani *locum, Dissertationes, nec tamen minus* momentosum *illum, quam* difficilem. *Pendet hinc nimirum Ecclesiæ, qualemcunque illam fingas, universa* Disciplina. *Eodem redit seu* Monarchicum *Ecclesiarum singularum Regimen agnoscas, cum Orthodoxis; seu* Aristocraticum, *cum Presbyteranis; seu denique cum Independentibus,* Democraticum. *In eo conveniunt omnes qui saltem aliquam in Ecclesiâ* Potestatem *agnoscunt, in* Excommunicationis *Jure esse constituendam. Atqui nihil illa valeat necesse est, si, quæ hic è* Tertulliano *colligunt Eruditi, ea sint pro* Ecclesiæ Primævæ *Principiis, atque* Praxi, *concedenda. Demus enim*

enim arceri *aliquem ab Ecclesiæ* Communione, & *quidem à* legitimâ *arceri Ecclesiæ* Poteſtate. *Nihil erit cur de ejuſdem communione* recuperandâ *admodùm laboret*; *nihil certè quo teneretur ad graviores aliquas, ſiquæ fortè imponerentur*, conditiones, *eo recuperationis nomine, ſuſcipiendas, ſi vel unius fuiſſent duntaxat* diei, *nedum tot* Annorum, *quales in* Eccleſiæ Primævæ *diſciplinâ legimus*; *nihil denique quo quis* invitus *poſſet ad officium* cogi, *ſi præſertim alieniores à* Chriſtianis *ſupponamus* Imperatores. *Qui enim* inviſibilem & ſine Symbolis, *Communionem ſatis tamen credit ad* ſalutem; *non eſt quòd* Symbola *admodum avidéve expectat, nedum ut illam* Symbolorum *Communionem durâ aliquâ* conditione *meretur. Quòd ſi quis illum cepiſſet impetus* Communionem *ſaltem aliquam*, (*etiam ſine* Neceſſitate) *expetendi*; *in prompta tamen eſſet quo ſuam illam cupidinem*, (*invitis etiam Ecclesiæ* Officiariis) *expleret. Si enim, ubi* Sacer-

Sacerdotes *non sunt*, *jam* Laicis *liceat* Sacerdotium *capessere*; *Quidni idem liceat*, *ubi sunt quidem* Sacerdotes, *qui tamen nolint* Officio Sacerdotali *satisfacere*? *Sic fiet*, *ut qui* legitimâ *Ecclesiæ* Potestate *ab ejusdem Communione* pelleretur, *ita nihil pateretur* damni *ut esset potiùs cur sibi gratularetur*, & *in* lucro *poneret*. *E* Laico *in* Sacerdotium *evectus jam* se *posset* (*quod antea non licuit*) baptizare, *jam sibi Symbola* Eucharistica *ministrare*, *securus plane de damnosissimis* Ecclesiasticæ *Communionis recuperandæ* conditionibus. *Quæ tamen omnia ita certum est ab* Ecclesiæ Tertullianeæ *sententiâ fuisse aliena*, *quàm certum est exploratumque arctissimam in eâ viguisse Disciplinam*. *Proinde mirùm est tantùm suo ingenio*, *tantùm suis conjecturis*, *indulgere potuisse Viros alioqui eruditissimos*, *ut* Tertulliano *dogmata*, *ita ab Ecclesia praxi*, *ita ab ejusdem manifestissimis abhorrentia* Principiis, *affingerent*.

2. *Non*

2. *Non est itaque* Sequela *illa* Tertulliano *ita imputanda quasi illam disertis verbis asseruerit*; & *tamen ità imputanda, ut ne quidem à* Sequelâ *ipsâ possit prorsùs excusari* *Nos infrà pleniùs ostendimus, duntaxat ubi* nullus *esset omnino* Sacerdotum Consessus, *permitti à* Tertulliano *Laicis omnem illam, de quâ agit*, Sacerdotii *Potestatem*; *proinde nullum esse prorsùs locum* Laicorum *Officiis* Sacerdotalibus *in ditione ab Ecclesiasticis* occupatâ, *nec satis esse Ecclesiasticorum* errorem *in usu clavium ut ipsi ibi claves usurpent* Laici, *nedum ut vis inde aliqua perperam usurpatis clavibus accedat. Ita in* ditionibus occupatis *vim aliquam habebunt Ecclesiæ censuræ, si nec tutò poterint* Symbolis Eucharisticis *Laici* carere, *nec tutò itidem & sine Peccato sibi* administrare, *nec* rata *etiam foret illa administratio. Sic enim foret necessarium ut conditionibus* Ecclesiasticorum *sese permitterent. Ita nullum* SCHISMATICIS *in* Tertulliano

liano *rectè intellecto præsidium. Sed ut* dogmata *illius minùs faveant,* verba *certè atque* ratiocinia *adeo incauta sunt, adeo præter æquum fervida, ut plùs videantur innuere, plus inferre, quàm voluit Tertullianus.* Omnes Nos Deus ita voluit (*inquit*) dispositos esse ut ubique Sacramentis ejus obeundis apti simus. *Cur* omnes *Sacramentis obeundis aptos esse oportet, etiam minimè peregrinaturos? cur* ubique, *si in ditionibus duntaxat* nondum occupatis, *Sacramenta essent ab iis obeunda? Reverâ id necessariò exigebat* causa *ipsa quam agebat hoc in loco* Tertullianus. *Nec enim* raris *admodum vitæ casibus Vitæ* Universæ *aptanda sunt Officia, ut proinde malè* Laicis *in universum* Monogamia *imponenda esset pro* Sacerdotalis *Officii Disciplinâ, si tamen* rarò *Laicis licita essent* Officia Sacerdotalia; *malè minimè peregrinaturis, si in* ditionibus *duntaxat* nondum occupatis. *Porro quicquid voluerit* Tertullianus, *plus certè probat*

quam adduxit ratio, ſiquid tamen probent omnino nimiæ illæ probationes. Si enim, pro Jure *quodam ſuo,* Officia Sacerdotalia, *quo loco nullus eſt* Sacerdotum conſeſſus, *poterunt præſtare* Laici; *nihil video quod obſtet quo minùs eadem Officia præſtare poſſint, etiam ubi adeſt* Conſeſſus, *errante clave,* Excommunicati. Jus *certè* novum *nullum poſſunt ſine* novâ *vendicare* donatione, *nec verò* novæ donationis *aliquam vel ſpeciem exhibet quòd nullus adſit* Sacerdotum Conſeſſus. *Quo ergo* Jure *extra* Conſeſſum *præditi ſunt, eodem ſub* Conſeſſu *gaudeant neceſſe eſt. Proinde, clave errante,* Excommunicatis (*cum ab Eccleſiaſtici Sacerdotii Sacramentis excluduntur*) *nihil erit quod impediet quo minùs redeat illius* Juris *legitimum* Exercitium. *Sic nulla erit obligatio ad ſuſcipiendas Eccleſiaſticæ Communionis oneroſas conditiones. Sic etiam Sequela illa Diſciplinæ incommoda, ut eam* Tertullianus *ipſe nullus agnoſcat; quà*

tamen

tamen datis Tertulliani *Principiis necessariò consequitur, quà commendatior erit apud Adversarios, ab ipso* Tertulliani *nomine, vitiosa illa omnis Argumentatio, commendatiora vitiosa illa (quibus nitiur) Principia ab ipso verbis disertissimis asserta: proinde non est quòd à* Sequelâ *illum penitus excusemus violatæ Ecclesiæ Disciplinæ, quin sit ea quoque ipsi* Tertulliano *aliquatenùs imputanda.*

3. *Nec verò meliùs aut feliciùs huic incommodo occurrit ipse* Grotius. *Quos putat* Laicos in locis remotissimis Sacerdotio functos, *id* Ecclesiæ permissu *fecisse existimat, quem utique* cessare simul atq; Presbyteri aliunde haberi, aut ipsi illi Laici adEcclesias proficisci, &ibi per Episcopos Presbyteri fieri poterunt. Ita nullum (*inquit*) inde Schisma- tis periculum. *Fateor equidem* permissa *duntaxat ab* Ecclesiâ *Laicis Officia* Sacerdotalia *nullum creare* Schismatis periculum. *Nihil tamen de eo Ecclesiæ permissu* Tertullianus. *Jus ille Sacerdotii* Laicis

 asserit

asserit, ut inferiùs ostendimus, idque verbis disertissimis. Jus nimirum idem quod ipsis tribuerat Ecclesiæ Sacerdotibus. *Nec de* permissu, *sed de* Jure, *procedunt illius Argumenta. Et ut possit in* Ecclesiis occupatis *istiusmodi cessare* permissus, *non est tamen quòd de* Juris *cessatione similiter statuamus. Manet enim sæpe* Jus *sublato etiam Juris* exercitio. *At* Juris *Sacerdotalis saltem* exercitium *Laicis ereptum satis esse putabunt Adversarii ad Ecclesiæ occupatæ* Pacem. *Id fortasse aliquâ verisimilitudinis specie, siquam* Obligationem *probare possent quâ etiam in* ditionibus occupatis *teneantur Laici ne* Jura *sua sacerdotalia* exerceant. *Atqui ut* opus *non sit* Sacerdotio *suo fungi* Laicos *ubi adsunt alii qui pro Officio fungantur*; ut etiam indecorum *habeatur atque* inhonestum,*inferioris Ordinis etiam* Sacerdotes *in* iisdem cœtibus *etiam* communia *Sacerdotii Jura exequi, ipsa illâ* Ordinis *ratione* Supremis *Sacerdotibus reservatâ*; *at nulla*

erit

erit certè ratio cur in ſeparatis *Conventiculis* Excommunicati Laici *ab Officiis Sacerdotalibus temperandum cenſeant, ſiquis iſtiuſmodi Officiorum* Jura *Laicis concedat. Quis enim illum* jure *reprehendet qui id tantum egerit quod* Jure *poſſe agere fateatur? Nec enim eſt quòd* nonneceſſaria *illa Laici putet Officia,* Excommunicati *ſcilicet & ab* Officiis Eccleſiaſticis *excluſi. Nec quòd violatum obtendat Eccleſiæ* Ordinem. *Quæ enim* Jura *ſua ſolius* Ordinis *causâ ceſſerat* ſuperioribus *in* communi Synaxi *Sacerdotibus*; *quid quæſo impedit quò minùs ipſe in* ſeparatis Conventiculis *exequatur*, *ubi nullus adeſt* ſuperior *Sacerdos*, *ubi ipſe omnium eſt* ſupremus, *ubi ipſa* Ordinis *ratio id ìpſum neceſſariò poſtulat ut* ſolus *exequatur? Quòd ab Epiſcopis* Presbyteros, *ita Nos pendere arbitremur ut ne quidem communia* Sacerdotii *Officia* Presbyteris (*Epiſcopi, in cujus agunt ditione, injuſſu*) *permittenda ſint*; *id nos aliunde quàm è* communis

nis

nis Sacerdotii *naturâ deducimus. E Sacerdotii nimirum* gradibus *Juribusque* supremi *etiam gradûs propriis, è Monarchâ* Unitatis *Ecclesiasticæ* Principio, *ex* Archetypi Sacerdotii *concordia, ex* Archetypi Pontificis *repræsentatione, qui ni legitimè repre∫entetur, concidet* visibilis Sacerdotii *vis omnis atque efficacia, nec verò possit in Monarchæ* ditione *legitimè ab alio repræsentari quàm ab ipso* Monarchâ. *Quæ certè* Jura *in* Sacerdotii Laici *Hypothesibus nullum prorsus locum habent. Ut ergo nulla sit* Adversariorum *malignitas, sunt tamen* Principia *eorum per se ipsa malignissima, quæque proinde mereantur quam vides universam Refutationis diligentiam. Sunt enim istiusmodi quæ reverâ* inserviant *malignè sentientibus.*

Observ. 19. ad Libros *Tertullian.* è Codice MS. *Agobardi* emendatos.

4. *Primus objectionem movit, ni fallor, omnium* Rigaltius, *Vir alioqui industrius & rei Criticæ peritissimus, quod verò ad res ipsas attinet, nescio certòne aliquo consilio, parum certè accuratus.* Romanam *ille profes-*

professus Communionem *partes tamen agit plerunque* Calvinisticas. *Siquid occurrit in Autoribus à se editis quod cum receptis* Ecclesiæ moribus, *quod cum recepto Ecclesiæ, non* suæ *modò, sed* Universæ, Regimine *pugnare videatur, id notat scilicet diligentissimè. Eo id fortasse animo ut Novarum sese Observationum nomine Lectoribus commendaret. Non id certè fecit quod facturus erat Vir æquus & Pacis Ecclesiasticæ studiosus, ut* Consequentiis *occurreret. Non* locos *alios cum aliis, non cum moribus* mores, *non* Principia *cum Principiis, contendit, ut ita colligeret, non modò quid sibi velint Autoris* verba, *sed quid etiam Autor* ipse *senserit; quid, pro* Principiorum *suorum tenere, sentire* debuerit. *In nudis hæret verborum apicibus* Rigaltius, *difficultatibus, utplurimùm movendis quàm solvendis attentior. Hæc ille Anno Æræ* Christianæ *vulgaris MDCXXVIII.*

5. *Hujus*

5. *Hujus observationem justo Libri (quem de* Eucharistiâ, *linguâ tamen* Gallicâ, *conscripsit) Capite refutare conatus est* Gabriel Albaspinæus *Episcopus* Aurelianensis *Antiquitatis Ecclesiasticæ studiosissimus. Idque eo quidem eventu ut Epistolâ quam eâ occasione dedit ad Episcopum* Rigaltius, *sibi satisfactum esse professus sit, seque, in eâdem, quâ Episcopus, fuisse sententiâ. Est tamen meritò quòd suspicemur non* ex animo *hæc, sed invidiæ amoliendæ gratiâ, scripsisse* Rigaltium. *Exarsit enim crevitque indies inter illos inde nata inimicitia. Tandem* Romam *res delata est, scriptisque invicem, modò ab* Episcopo, *modò à* Rigaltio, *Epistolis apud Pontificem agitata, in eam tamen scriptis à* Rigaltio *sententiam, ut* se *potiùs quàm* causam *suam tueri videretur, & vicissim* Episcopum *impugnare quàm* sententiam *ab Episcopo defensam. Suspectum tamen certe de Prævaricatione* Rigaltium *constat habuisse* Grotium. *Finem tandem illi liti*

liti imposuit, (*quæ quidem solet dissidiorum inter mortales esse arbitra*) *mors* Albaspinæi. *Contigit ea A. D. MDCXXX.*

6. *Postea* Rigaltii *causam suscepit noster Anonymus*, Grotius *nimirum ipse, Vir certè Maximus & Catholicæ Pacis studiosissimus, si id unum exceperis, quòd fuerit in* Calvinistas *paulo subinfensior. Equidem antea fuisse* Rigaltio *faventiores tam* Grotium *quàm* Salmasium, *ex prædictis* Grotii *constat Epistolis. Cum verò hanc ederet Dissertatiunculam, erat præterea quod* Grotium *hâc saltem ageret in causâ transversum. Moliebatur eo tempore* Grotius *quam dixi* Pacem *Ecclesiarum atque* concordiam. *Egregium profectò conatum (si quidem conciliari posset Pax illa conditionibus* licitis ferendisque ;) *& excelsâ Viri indole generosóque dignissimum! Et cum dissidentium inter se Ecclesiarum* Sequestrem *sese atque* Mediatorem *interponeret, nequa interim subesset de partium quarumcunque* studio *verisimilis suspicio; ab omni proinde*

Communione credidit esse temperandum. Id cum periculosissimum videretur atque explicatu difficillimum, ut qui nullius *Ecclesiæ* particularis *Communione frueretur,* Catholicæ *tamen Communionis particeps credi posset; Ut qui ab omni Ecclesiæ Catholicæ, saltem* Visibili (*de quâ solâ nobis judicare concessum est, atque inde de* Invisibili *statuere*) *Communione esset alienus, is interim* Salutem *aliaque* Pacti *Evangelici Divinarumque* Promissionum *Jura, quæ tamen ipsis illis* Externæ *Communionis Symbolis transigerentur, sibi posset vendicare: Inde manifestò constat quâ tandem* Causæ *suæ* exigentiâ *ad nova sibi effugia quærenda tantum illud incomparabilis Viri conversum fuerit ingenium. Non aliud illi fuisse consilium è secundâ,* de Communione sine Symbolis, *hujus Dissertatiunculæ parte facilè colligimus. Inde etiam liquet jam alienum à* Calvinianis *hæc scripsisse* Grotium. *Pulsus enim à* Calvinianis *in Exilium ita tandem in hæc* Pacis Universalis *consilia studiaque*

que conversus est. Quid quòd Anno MDCXXXVIII. quo primùm sunt hæc nostra quæ damus Opuscula ab Autore in lucem emissa; quo Pontificiis *favebat magis* Grotius, *cò certum est* Calvinianis *fuisse infensiorem. Malè itaque* Grotii *nomen Autoritatemque venditavit nuperus Interpres* Calvinianus *qui hæc ipsa vertit* Anglicè. *Malè hic* purum putum Grotium *haberi gloriatus est, quasi nimirum, cum hæc scripsit, nec fuisset in* Calvinianos *animo infenso, nec in* Pontificios *benevolo. Et tamen siquam Autoritatem conciliavit Adversariis Editione primâ* Grotius, *eam deinceps omnem postea* Retractatione *suâ prorsus abrogavit. Inde discimus* & addita *fuisse (ab* Editore *fortaße) nonnulla quæ ipse pro suis ne quidem agnoscere potuerit*; & *quæ verè* sua *essent, re tamen meliùs expensâ, cum à* Riveto *objicierentur, ipsum nolle defendere.* Grotium *interea avidè secutus est* Novat*or ipse, novarumque rerum studiosus,* Episcopius.

Episc. Resp. ad LXIV. Quæst. 39.

8. *Respondit* Grotio *sequenti Anno MDCXXXIX.* Petavius, *Dissertatione, quam hic subjunximus, satis luculentâ* & Petavio *dignâ, nec id* Pontificiis *modò* Principiis, *quanquam ipse* Pontificius. *Quæ hic respondet, ea ad Officii Ecclesiastici sanctimoniam commendandam pleraque faciunt, omnium scilicet* Hypotheseon *communem, quæ quidem aliquam in Ecclesiâ* Potestatem *agnoscunt. Quòd tamen* Laicis Baptismi *Potestatem, etiam* Necessitatis *in causâ, concedat; pro* suæ *id concessit* Ecclesiæ *Moribus, non* Primævæ, *nedum* Tertullianeæ; *ut proinde malè hæc deduxerit ad explicandam sententiam* Tertulliani, & *coævæ* Tertulliano *Ecclesiæ. Id unum* Pontificiæ *Communionis admixtum Principium mirum est quantùm universo ejus ratiocinio detraxerit. Inde enim collegit non esse* Baptismum *in Officiorum* Sacerdotalium *numero reponendum. Inde nec* Oblationem *illam quæ* Baptismo *conjungitur, cum* Sacerdotio *propriè sic*

dicto

dicto commune quippiam habere. Inde alium aliquem quærendum esse vocis illius sensum quàm (qui maximè obvius esset atque vulgaris) quo S S. denotat Eucharistiæ *Sacramentum. Alienissima nimirum hæc omnia à mente* Tertulliani, *nec tamen* Petavio *propria, sed aliorum quoque plerumque qui* Pontificiam *Communionem profitentur.*

8. *Defendit rursus* Grotii *Interpretationem, Anno MDCXL. sed suppresso utriusque, tam* Grotii *quàm* Rigaltii *nomine,* Walo Messalinus, *magnus ille nempe* Salmasius. *Et quidem illum à* Rigaltio *sensisse testatus est diu antea* Grotius *in Epistolis. Sed non est quòd judicium ejus magni faciamus. Raró enim ille admodum, siqua forsan omnino, cum magnâ* deliberatione *conscripsit, sed primo plerunque impetu, cum & memoriâ fidissimâ, & fæcundissimo polleret ingenio. Inde est quòd nec modum servet in* Digressionibus, *nec* Sequelis *aut* Phænomenis *plerunque prospiciat. Est tamen in hoc*

ipso

ipso Opere præterea singulare quod æquitatem ejus faciat meritò suspectam. Stylo *usus est* acerbissimo, *& in* destruendo *est, quàm in* astruendo, (*pro Sectariorum more*) *occupatior. Quis est itaque qui miretur si & in alteram potiùs partem aliquando inclinârit, & inculpatæ* tutelæ *moderamen excesserit? Diu est ex quo observavit S.* Hieronymus *aliud esse quod quis asserat* δογματικῶς, *aliud quod* ἐξεταστικῶς. *Nec se modò ita lapsum confessus est. Alios plerosque Veteres ejusdem invidiâ Accusationis oneravit.*

Apol. pro Liber. adv. *Jovinian.*

9. Grotio *deinde An. MDCXLII. sese objecerunt è Reformatis* Rivetus *atque* Clopenburgius; *ille quidem obiter, hic selectis* (*quas hic damus*) *Disputationibus, quæ tamen postremam duntaxat partem spectant Dissertationis* Grotianæ. *Successit illis Pontificius* Georgius Ambianus *in suis ad* Tertullianum *Annotationibus. Tuetur ille quidem communem Disciplinæ causam, nefas esse siquis* Laicus, *recentioribus Ecclesiæ*

Rivet. Apol. num. 45.

Ad lib. *de Exhort. c. 1.*

Seculis,

Seculis, Sacerdotali *aliquo munere fungatur*; *ita tamen interim tuetur ut hoc idem* Laicis, *primævo nihilominus* Apostolorum *Seculo*, *licuisse confirmet. Testesque adhibet à* Grotio *prætermissos Pseud*-Ambrosium *atque* Tertulliani *excriptorem* Hieronymum. *Ita fiet ut* Juri *duntaxat* Ecclesiastico *assignandum sit omne hoc* Laicorum Ecclesiasticorumque *munerum discrimen, quod magno redemptum vellent Adversarii. Magis itaque* Adversariis *ille, quàm* Amicis, *accensendus est.*

10. *Ex hac ergo hujus Controversiæ Historiâ & progressu, id satis manifestò constat*, omnes *cujuscunque Disciplinæ Ecclesiasticæ studiosos hanc causam veluti communem suscepisse defendendam, non* Pontificios *modò &* Episcopalis *in Ecclesiâ* Regiminis *assertores, sed & aliarum Disciplinarum* Sectarios *ab* Episcopatu *alienissimos. Nec vident interim iisdem se nos petere Argumentis quæ ipsi quoque solvere teneantur,* &

& *pro falsis agnoscere, dum ab aliis vicissim impetuntur Adversariis. Proinde nemo hæc aliis poterit objicere (si quidem sibi velit constare) qui non* omnem *prorsùs oppugnat Ecclesiæ* Disciplinam. *Constat prætereà qui* Laicorum Sacerdotium & adversam *Ecclesiasticæ* Disciplinæ *causam hactenus propugnârint, quàm illi fuerint de causæ partisque alicujus* studio *meritò suspecti, neglectisque non modò* Æquitatis *Regulis, sed firmi quoque solidique* Ratiocinii. *Speraveram equidem post* Albaspinæum, Petavium, Marcam, *aliosque magni nominis & famæ Viros, nihil mihi superfuturum quòd ad justæ Responsionis molem assurgeret. Proinde* Petavium *duntaxat* Grotio *adjungendum censui qui solus* Grotio *separato libello respondit. Is enim rarior occurrebat. Reliqui in suis quique quærendi voluminibus. Sed verò me fefellit mea expectatio, ut proinde Responsio nova fuerit adornanda. De* Sacerdotio Laico-

Laicorum *egimus non ita pridem in* Dissertationibus Cyprianicis. *Nec tamen videramus, cum illa scriberemus, quæ scripserat antea de eodem Argumento Doctissimus* Marca. *De*Tertulliano *hìc duntaxat agimus, & de* Primævæ Ecclesiæ *tam* Sententiâ, *quàm etiam* Consuetudine.

11. *Quæ porro hic tradidimus de Jure Ecclesiæ* Hierosolymitanæ *primario; de* Domini *Nostri & Familiæ Dominicæ, stirpisque* Davidicæ, *in eâ* Sede, *quoad superfuit, Jure* Hæreditario, *& quidem illo ad* Trajani *usque tempora deducto, quo Imperante stirps illa funditùs in* Simeone Cleopæ *perierit: Hæc inquam, modò vera comprobentur, nemo est quin deinde videat quàm sint* Romanæ *sedis Primatum à S.* Petri *Primatu deducendum labefactatura. Tantum enim aberit ut traduxerit* Primatum *aliquem S.* Petrus *ad* Sedis *suæ posteros* hæredes, *ut ne quidem ipse* Primatum *istiusmodi in* Ecclesiâ Catholicâ *unquam habuerit quem potuerit ad* posteros *trans-*

mittere. Nec enim Collegii Apostolici *Poteſtatem habuit* primarius Apoſtolus, *ſed Collegii Univerſi* Præſes *cui ipſe etiam debebat obſequium primarius Apoſtolus. Demus itaque fuiſſe S.* Petro *primarium illum, quem tantoperè venditant* Romaniſtæ, *in Collegii Apoſtolici Conſeſſu honorem. Nondum tamen conſequetur, quod inde colligunt, fuiſſe* ſummum, & *ſine omni prorſùs æmulo, in Eccleſiâ Univerſâ,* principatum. Parium *enim duntaxat* Collegarum *reſpectu fuit* primarius *ille Sedis* honor, *qualis olim fuit in* Diaconorum *Collegio* Archidiaconi, *in* Presbyterorum *alio* Archipresbyteri. *Nihil tamen vetabat quominùs utriuſque* Collegii, *tam Presbyterorum quàm Diaconorum,* Principatum *gereret,* exors *alia, ut appellat* Hieronymus, *altiorique Collegii Poteſtas* Epiſcopi. *Sic etiam* primarius *cum Univerſo Apoſtolorum Collegio* Apoſtolus, *ſuperiorem tamen agnoſcebat, ne ipſis quidem Adverſariis refragantibus,*

ipſum

ipſum Dominum, *ut proinde alium neminem fuiſſe exiſtiment, Domino ſuperſtite, in Eccleſiâ militante,* Principem. *Qui itaque* Domino in *Eccleſiâ* Hieroſolymitanâ, *jure cognationis* Hæreditario *ſucceſſerunt, eundem illi* Principatum *obtinuerint neceſſe eſt quem & ipſe Dominus. Ergo S.* Jacobo Alphæi, *S.* Simeoni Cleopæ, *Domini* Hæredibus, *obſequium debebant, non reliqui modò* Apoſtoli, *ſed S. etiam* Petrus *primarius Apoſtolus. Atqui horum, uti diximus, Succeſſio ad* Trajanum *uſque deſcendit. Nullum itaque Eccleſiæ Catholicæ* Principatum *habuit unquam paſſus ſub* Nerone *S.* Petrus *quem potuerit ad Paſtores derivare.*

12. *Id unum video reſtare quod reponant in contrarium Adverſarii, non equidem à Chriſto* Domino *ad S.* Petrum, *aut à S.* Petro *ad* proximos *Romanæ Sedis Succeſſores* immediatè *hunc emanâſſe* Principatum: *ſed verò interpoſito* temporis Succeſſorumque *intervallo,*Trajano *tan-*

 dem

dem Imperante, Romanæ *Sedis, qui tunc eam occupavere*, Præſulibus *obveniſſe. Nempe Jure ipſo* Hæreditario, *poſt Collegii Apoſtolici* Præſidem, *proximum eſſe* Apoſtolum primarium: *Deficiente itaque* Præſidis *Hærede ſic demum devolutam eſſe* Hæreditatem *ad* Hæredes *Apoſtoli Primarii* Romanos *ſcilicet eorum Temporum* Epiſcopos. *Cæterum ut* Præſidis *Jus, pro illorum Seculorum Diſciplinâ, fuerit* Hæreditarium; *non ſolebat tamen ad* Hæredes *deſcendere Jus* Collegæ Primarii. *Quæ enim eminebat inter Pares* loci *illa diſparitas*, Ætati *potiùs quàm* Familiæ, *plerunque attributa eſt. Sic enim fratres* Joſephus *ſecum epulantes*, ætatis *habitâ ratione diſponebat. Inde vetuſtiſſimum* Ebræorum *morem diſcimus. Idem ad recentiora N. T. Tempora deſcendit. In illo de* Juniorum *erga* Seniores *reverentiâ cautum præceptumque ſæpe legimus. Inde inter* Epiſcopos *Collegas*, Sedium *nulla erat ſed* Ætatis *plerunque dignitas. Sic in*

Eccleſiâ

Ecclesiâ Africanâ, *exceptâ* Proconsulis & *Provinciæ* Proconsularis *Urbe* Carthagine, *reliquarum Provinciarum* Metropoles *fixæ nullæ erant*, *sed pro* Ætate *Episcopi*. *Nec aliam fuisse in quibusdam Ecclesiis* Asiaticis *consuetudinem*, *constat ex* Eusebio. *Et verò ordinem illum qui inter* Apostolos *obtinebat* Ætati *tribuit ipse* Dominus. S. Luc. 22. 26. *Sic itaque sublato per Martyrium S.* Petro *successerit reliquorum Apostolorum* natu *provectissimus. Superfuere certè non S. modò* Joannes, *sed* & Philippus, *ne de reliquis Apostolis quippiam affirmemus quorum nulla in probatæ fidei monumentis occurrit mentio. Et ut nullum deinde in unum coierit Apostolorum* Collegium, *successisse tamen probabile est in eorum in Clero* Hierosolymitano *locum Domini cognatos* Judæ *posteros*, *ut alibi ostendimus*, *quorum nulla in* Romanâ *sede successio. Quid quòd* reverentiæ *essent illa*, *non* Potestatis, *juniorum in majores obsequia*, *qualia* bonis *ætateque con-*

fectis

fectis præstant etiam modesti Principes, *cum tamen eorundem nullam agnoscant* Poteſtatem. *Accedit tandem* ratio *illa Juris* Metropolitici, *quam pro eorum Temporum moribus ibidem explicamus, quæ quidem in Civitatem* Hieroſolymitanam *rectè quadrabat, nulla prorſus in* Romanam. *De Civitate* Hieroſolymitanâ *rectè dictum* Spiritualium *ejus participes factas, quà patebat* Chriſtianitas, *Civitates* Chriſtianitatis *Colonias, quòd nemo verè de* Romanâ *affirmârit.*

DISSER-

Grotii ipſius de ſequenti Diſſertatione ſententia.

L*ibellus iſte, cui Reſpondit Reverendus D.* Petavius, *cujus ſit Autoris nihil refert. Ego eum* TOTUM *pro meo non agnoſco.* Vot. pro Pace *ad Art. V. inter* Grotii *Opuſc.* *p.* 658.

Libellum illum, cui Vir Reverendus Dionyſius Petavius *reſpondit, meritò pro ſuo non agnoſcit* Grotius. *Nam & ADDITA ſunt quæ* Grotius *nec SCRIPSIT nec PROBAT; & quæ ab ipſo congeſta erant, eo erant tempore congeſta, quo Diſputatio iſta calebat inter Reverendiſſimum Epiſcopum* Aurelianenſem *& Virum Ampliſſimum* Nicolaum Rigaltium, *non animo quicquam DEFENDENDI, ſed inquirendi Eruditorum ſententias. Neque tamen illud, quod apud*

(E) Tertul-

Tertullianum *est, Laicorum in NECESSITATE Sacerdotium,* D. Rivetum *ejusque socios quicquam juvat. Administrabatur enim illud de CONSENSU ipsius Ecclesiæ Universalis, ac proinde sine periculo SCHISMATIS. Et qui continuare eum morem valebant, accipiebant, simulatque poterant, Ordinationem ab EPISCOPIS legitimè constitutis.* Rivet. Apolog. Discuss. *p.* 694.

Non pugnat cum his quæ de Ordinationum SUCCESSIONE dicta sunt, Tertulliani *locus rectè intellectus. Nam & illi* Laici, *qui in locis remotissimis SACERDOTIO aliquatenùs fungebantur, faciebant id (ut & suprà dictum est) ex Ecclesiæ PERMISSU: & cessabat is* Permissus, *simul atque* Presbyteri *aliunde haberi, aut ipsi illi* Laici *ad Ecclesias proficisci, & ibi per EPISCOPOS Presbyteri fieri poterant. Ita nullum inde SCHISMATIS periculum, quale in iis qui à* semetip-

sis

sis, *aut à suâ* Plebe *facti*, (*ut quidam volunt*) Presbyteri, *contra ejus quæ erat Ecclesiæ* voluntatem, *partem de solido sibi abduxere, & sibi retinent. Scriptum illud sine Scriptoris nomine, quod hic rursùm urget D.*Rivetus, Grotius *nec DEFENDIT, nec TENETUR defendere. Ac proinde malè inde infertur, eum alterâ manu ædificare quod alterâ destruat.* Id ibid. *p.* 715.

ERRATA

In Dissertatione H. DODWELLI *de Sacerdotio Laicorum.*

PAg. 15. l.6. ſolts l. ſolus. p. 40. l. 16. indigiſſe l. indiguiſſe. p. 49. l. 1. Sacerodtes. l. Sacerdotes. p. 60. l. 20. dicentes l. diſcentes. p. 84. l. 2. fore l. fortè. p. 96. l. 17. exigerit l. exeg. l. 19. exegere l. exigere. p. 122. l. 21. Eccleſiaſtici. Etiam l. Eccleſiaſtici, etiam. p. 128. l. 3. ratia l. rata. p. 134. l. 8. 9. l. Sacerdotii Presbyteralis. p. 171. l. 15. tractatu l. tractu. p. 176. l. 2. illum l. illud. p. 189. l. 16. לז l. לי. p. 198. l. 8. ἀσακτ l. ἀτακτ. p. 204. l. 23. dele dicitur. p. 205. l. 3. quiſquis l. quiſque. p. 225. l. 19. Doni l. Domini. p. 224. l. 8. utr. ejecto l. ut, rejecto. p. 233. l. 6. Apo. l. Apol. p. 238. l. 5. diirs l. diris. p. 245. l. 4. dilectorum l. delictorum. p. 279, l. 10. ἀτοῖς l. αὐτοῖς. p. 286. l. 14. initio. In l. initio, in. p. 287. l. ult. quiſquis l. quiſque. p. 290. l. 13. Matttinis l. Matutinis. p. 293. l. 23 Æxumit. l. Axumit.

DISSERTATIO
Hugonis Grotii
DE
COENÆ
ADMINISTRATIONE.

DISSERTATIO DE COENÆ Administratione ubi Pastores non sunt.

EDidit nuper vir doctissimus Nicolaus Rigaltius Tertulliani libros aliquos emendatos ad vetustum codicem, quem ante annos fere octingentos Agobardus Episcopus Lugdunensis suæ urbis Ecclesiæ dederat. Inter ea opera est illud, de Exhortatione castitatis, ubi defendit Tertullianus, ut erat ad omnia rigidus, à secundis nuptiis etiam laicos abstinere debere: quod ut probet, hoc adfert argumentum; verba enim ipsa adferam, eo magis quia in manuscripto,

to, quem inſpexi, paulo aliter eſt quam edidit Rigaltius. Sic enim ille habet. *Sed dices ergo cæteris licet quos excipit. Vani erimus ſi putaverimus quod ſacerdotibus non liceat, laicis licere. Nonne & laici ſacerdotes ſumus? Scriptum eſt, regnum quoque nos & Sacerdotes deo & patri ſuo fecit. Differentiam inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſia & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus: Adeo ubi Eccleſiaſtici ordinis non eſt Conſeſſus, & offers & tinguis & ſacerdos es tibi ſolus. Sed ubi tres, Eccleſia eſt, licet laici. Unuſquiſque enim ſua fide vivit, nec eſt perſonarum acceptio apud Deum, quoniam non auditores legis juſtificabuntur à Deo ſed factores, ſecundum quod & Apoſtolus dicit. Igitur ſi habes jus ſacerdotis in temetipſo, ubi neceſſe eſt, habeas oportet etiam diſciplinam ſacerdotis ubi neceſſe ſit habere jus ſacerdotis. Digamus tinguis? digamus offers? quanto magis laico digamo capitale eſt agere pro ſacerdote, quum ipſi ſacerdoti digamo facto auferatur agere ſacerdotem. Sed neceſſitati, inquis, indulgetur. Nulla neceſſitas excuſatur*

quæ

quæ potest non esse. Noli denique digamus deprehendi, & non committis in necessitatem administrandi quod non licet digamo. Omnes nos Deus ita voluit dispositos esse ut ubique sacramentis ejus obeundis apti simus. Hunc locum sic explicaverat Rigaltius ut diceret hoc eum velle, si Christianus cum familia sua in navi sit, & feratur in ea loca in quibus nulli sunt Christiani, nullus consessus ordinis, id est, πρεσβυτέριον, ipsum posse & offerre deo, nempe symbola dominicæ passionis, cum solenni gratiarum actione, & tingere id est Baptizare, & sacerdotem esse sibi, quia in illis etiam paucis sit Ecclesia, quomodo & Apostolus loquitur, *Rom.* XVI, 5. ad Philem. 2. Objecit se hic Rigaltio albaspinæus Episcopus Aurelianensis, qui ut privilegium presbyteratus tueatur, quovis potius modo vocem offerre sumi vult quam de eo quod paulus Apostolus I. ad Cor. X. dixit εὐλογεῖν, & XI, 24, εὐχαριστεῖν, quâ voce in eo sensu & Justinus Martyr utitur, pro quo vulgus nunc dicit consecrare.

Atqui

Atqui offerre & apud Tertullianum & apud discipulum ejus Cyprianum hoc sensu solere sumi nec ipse neget: neque ullum proferet locum ubi offerre alio sumatur significatu, ubi conjungitur cum tingere, id est, baptizare. Nullus enim est ritus alius extra hunc qui cum baptismo ex æquo poni mereatur. Itaque non apud Ecclesiasticos tantum scriptores, maxime cum baptismo æquatum, hunc sensum habet, verum etiam in legibus; ut Novella Justiniani CXXXVII, in fine præfationis & capitis sexti initio. Tum vero vis tota argumenti quo utitur Tertullianus in eo consistit, ut dicat nihil esse tam magnificum quod à presbytero fiat, ad quod non & laicus admitti debeat ubi presbyterium non est. Id ut ostendat profert quæ extra talem necessitatem laici non usurpabant, sed relinquebant solis presbyteris, ut baptizare & solennibus uti verbis per quæ fit Eucharistia. Alibi cum de baptismo tantum ageret idem plane sed in illa specie dixit. *Dandi quidem jus habet summus sacerdos qui est Episcopus,*

Episcopus, dehinc presbyteri & diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo salva pax est. Alioquin & laicis jus est. Quod ipse mox interpretatur. *Sufficiat scilicet in necessitatibus ut utaris, sicuti aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit.* Cum ita sentiret de baptismo Tertullianus, non debere eum à laico nisi in presbyterorum penuria administrari, non illo de exhortatione loco subintulisset alterum illud de offerendo, nisi de oblatione egisset tali quæ extra necessitatem à laicis non usurpabatur, nimirum ob eam quam utrobique reddit causam, pacis ac constituti regiminis reverentiam. Non semel autem eo quem priorem recitavimus loco, sed bis, de baptismo ad oblationem tanquam ad aliquid aut par aut opinione hominum majus gradum fecit. Deinde notandum vel maxime, quod cum dicit, sua quemque fide vivere, & non auditores sed factores legis justificari, sentit mandatum de offerendo omnibus Christianis datum, non Apostolis qua

Apostolis,

Apoſtolis, ſed qua Chriſtianis. Quomodo & Paulus illud Lucæ ſui τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν interpretatur 1 Cor. XI. 24, 25, 26, 27, 28, 29. ubi apertiſſime hoc præceptum Chriſtianis omnibus aptat. Eſt alius Tertulliani locus in Corona militis, in quo pauca verba ſunt, ſed ad id de quo agimus maximi ponderis. Nam & ibi quum de Baptiſmo egiſſet, pariter ut in illo altero loco ad Euchariſtiam progreditur, ejuſque celebrationem, ordinis non mandati dominici cauſa, vult peragi per presbyteros aut potius Epiſcopos, quos & Juſtinus vocat προεστῶτας. Nam cum oſtendere vellet multa pacis & diſciplinæ cauſa à primævo more variaſſe, ejuſque effati ſui argumentum dediſſet, prægustationem lactis & mellis ante baptiſmum, abſtinentiam aliquot dierum à lavacro poſt baptiſmum, iſta verba ſubjungit. *Euchariſtiæ ſacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præſidentium ſumimus.* Euchariſtiæ

chariſtiæ ritum, à Domino ait traditum in ipſo victus quotidiani, id eſt Cœnæ, tempore, & mandatum non certo ordini, ſed Chriſtianis omnibus datum. Quod in ipſo cœnæ tempore à Domino mandatum dicit hunc ritum, ſimul intelligit à primis Chriſtianis aliquandiu eodem modo fuiſſe celebratum: quod verum eſſe, niſi nunc aliud ageretur, multis veterum teſtimoniis poſſet oſtendi; manſitque veſtigium priſtini moris in ipſo die anniverſario inſtitutæ Cœnæ ad tempora uſque Auguſtini. In eo vero quod mandatum omnibus dicit hunc ritum, hoc ipſum dicit quod in argumentum afferebat, in eo quem attulimus loco Exhortationis ad Caſtitatem. Neque vero hæc privata fuit Tertulliani ſententia, ſed communis Chriſtianorum illius temporis: nam alioqui ex re non ab aliis credita, cum aliis agens, argumentum nonniſi ſtultè duxiſſet. Neque opinio tantum fuit, ſed mos receptus à Chriſtianis illius ætatis, ubi talis occaſio ſe obtulerat. Itaque dicit *Tinguis*, *offers*, id eſt ſo-

les hoc facere. Verum hoc eſſe etiam ſerior ætas nos docet. Nam cum ad Indos, id eſt, ut interpretor, ad Æthiopas, qui ex eo ſemper Alexandrinum Patriarcham ſuſpexerant, veniſſet ab Alexandria laicus Frumentius, auctor fuit his quos ad Chriſtum converterat, & paucis qui cum ipſo erant, & Theodoreti utar verbis, Κατὰ τὸ ῥωμαίων ἔθος συναγείρεσθαί τε καὶ τὰς ἱερὰς ἐπιτελεῖν λειτουργίας, id eſt eo more quo ſub Romano Imperio fieri ſolebat & convenire & ſacra celebrare. At nemo ibi tunc Epiſcopus erat, nemo Presbyter, imo primus cum Epiſcopi dignitate, qui poſtea presbyteros ordinavit, eo miſſus eſt, poſt reditum ſuum Alexandriam & rem renuntiatam, ipſe ille Frumentius ab Athanaſio. Amplius dicam, etiam fœminas, ubi non modo presbyterorum ſed & virorum copia eſſet nulla, communi hoc jure uſas & ipſe credidit, & alios credere voluit ſcriptor vetus Martyrologii qui ad diem pridie Calendas Junias ſic ait. *Romæ ſanctæ Petronellæ virginis. Hæc fuit filia beatiſſimi*

beatissimi Petri Apostoli, quæ post multa miracula sanitatum, cum eam Flaccus Comes suo vellet sociare conjugio, tridui inducias postulans & cum sancta Felicilla collactanea sua continuis jejuniis atque orationibus vacans, tertio celebratis dominicæ oblationis mysteriis, mox ut Christi sacramentum accepit, reclinans se in lectulo amisit spiritum. Ne vero credamus, quod præcipue vult credi Aurelianensis Episcopus, ab initio Christianismi solis presbyteris jus fuisse Eucharistiam conficiendi aut consecrandi, ut loqui mos est, vel illud nos prohibet quod diaconos, sicut baptizasse legimus Act. viii, 36, (nam Philippum illum non Apostolum sed diaconum fuisse & veteres consentiunt, & ea quæ præcedunt capite eodem verse 5, & 14. satis evincunt) & apud Tertullianum loco illo quem de Baptismo jam adduximus, cui multi veterum addi possent, ita etiam ab illis factam Eucharistiam tam apertum est, ut mirum sit reperiri posse viros τῆς τῶν χριστιανῶν ἀρχαιότητος οὐκ ἀγνώστους qui id negent, nisi

 forte

ſorte dicere muſſant magis quam negant. Nam in Laodicenſi ſynodo, quæ Nicæenſi haud multo eſt poſterior, Canon eſt, qui ſic habet: Ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας ἄρτον διδόναι οὔτε ποτήριον εὐλογεῖν. ubi ὑπηρέτας Dionyſius Exiguus recte vertit ſubdiaconos, ſic enim ait; *quod non oporteat ſubdiaconos panem dare vel calicem benedicere.* unde duo dicimus, ad id uſque tempus, credo ob multitudinem communicantium creſcentem in dies, ſæpe & ſubdiaconos non tantum porrexiſſe panem, ſed & pronuntiaſſe verba illa quibus calix benedicitur ſive conſecratur, deinde in poſterum id, nondum diaconis, ſed ſubdiaconis tantum interdictum. Idem nos docet ſynodus Ancyrana vetuſtiſſima ſynodorum quarum exſtat mentio poſt illam Antiochenam qua condemnatus fuit Paulus Samoſatenſis. Nam de Diaconis qui idolis ſacrificaverant ſic ſtatuit Canon ejus Synodi primus. Διακόνους ὁμοίως θύσαντας μετὰ δὲ ταῦτα ἀναπαλαίσαντας, τὴν μὲν αὐτὴν ἔχειν, πεπαῦσθαι δὲ αὐτοὺς πάσης τῆς ἱερᾶς λειτουργί-

ας, τῶν τε τὸν ἄρτον ἢ ποτήριον ἀναφέρειν ἢ κηρύσσειν. Latine ita vertit Dionyſius Exiguus, laudatus Cardinalibus Baronio & Bellarmino, editus vero nuper à viro clariſſimo & de antiquitate Eccleſiaſtica optime merito Chriſtophoro Juſtello. *Diaconi ſimiliter qui ſacrificaverunt, poſtea autem reluctati ſunt, illum quidem honorem habere, ipſos autem ab omni ſacerdotali miniſterio ceſſare, panem vel calicem offerendi vel prædicandi.* Ubi manifeſte offerri ponitur eo ſenſu quo ſupra apud Tertullianum, apud Cyprianum alioſque, ſæpe etiam in Novellis dicto loco, idemque eſt quod in Laodicenſi Synodo εὐλογεῖν. Sunt in Orientali India, tum in ora Malabarum, tum alibi paſſim Chriſtiani qui ſancti Thomæ & à ſemetipſis & à Luſitanis appellantur, quos inſtitutorum veterum fuiſſe retinentiſſimos diſcere licet ex ipſis illis libris quos Hiſpani ediderunt, præſertim ſi ea quæ illi narrant conferamus cum ſcriptis antiquiſſimis Chriſtianorum, quæ ipſi nunquam viderant, & tamen eadem

faciunt.

faciunt. Multa de illis narrat homo illis infeſtus, quod à Latinis ritibus diſſideant, Antonius Govea: inter quæ & hoc eſt: Cum ante multa ſecula gravis in ipſos ſuſcitata eſſet Paganorum regum perſecutio, eveniſſe ut ea in Epiſcopos & presbyteros maxime incumberet, ita ut eorum nemo vivus relinqueretur. Itaque eos neceſſitate tali, qualem nobis ante oculos ponit Tertullianus, adactos, unum Diaconorum ſuperſtitem rogaſſe ut ſacramenta adminiſtraret, quomodo Epiſcopi & presbyteri ſolebant: atque eum tali deſiderio morem geſſiſſe, quod ipſum culpat Hiſpanus, ut multa alia quæ non propria illorum ſunt, ſed cum vetuſtate communia; tantoque melius ab illis ſervata, quanto ibi eſt ſimplicitas ſyncerior & ignota in fidem dominatio. Nec aliter vox offerendi ſumenda in Canone Synodi Arelatenſis primæ habitæ imperante Conſtantino: *De diaconis quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere.* Hic diaconis interdici cœptum

ptum est, quod subdiaconis interdiit in Oriente synodus Laodiceæ: nimirum sufficiente jam per Galliam presbyterorum copia, quæ cum in Asia tanta non esset, haud mirum est, si ibi diaconi diutius in pristino illo jure manserunt. Sed & de laicorum, ubi presbyteri non aderant, Eucharistica inter se communione exempla extant etiam ævi serioris, quæ docent nuper admodum exolevisse eam quæ nunc oppugnatur sententiam. Nam Synodi in Trullo sic habet LVIII canon. Λαϊκὸς πρεσβυτέρου παρόντος, ἢ διακόνου εἰ τῶν θείων ἑαυτῷ μυστηρίων μεταδῷ, ἑβδομάδα μίαν ἀφοριζέσθω. *Laicus si præsente presbytero aut diacono semet sacrorum mysteriorum faciat participem, per hebdomada abstineto.* Ubi tria notanda, non interdici id laicis, nisi præsente diacono aut presbytero, nec diacono interdici nisi presente presbytero, & pœnam tam brevem nullum facinus commissum, sed ordinem non satis accurate servatum testari. In libro qui inscriptus Sophronio, ideoque Σωφρονίου Λειμωνάριον appellari solet, narratio

ratio exſtat de ſene laico anachoreta, quæ eſt in eo libro ordine CXCIX hujuſmodi. διηγήσατο τις τῶν πατέρων ὅτι τις τῶν γερόντων καθαρὸς καὶ ἅγιος ὢν ἐν τῷ ποιεῖν αὐτὸν τὴν προσκομιδὴν ἀγγέλους ἔβλεψεν ἐκ τῶν δεξιῶν αὐτοῦ καὶ ἐξ εὐωνύμων ἱσταμένους Valere autem debet hujus libri auctoritas apud illos qui Synodum Nicæenſem ſecundam recipiunt: ea enim illius teſtimonio utitur. Ut veniam ad ea quæ & loco & tempore propiora ſunt, Caroli id nomen quinti per Gallias regno vixit dux magni nominis Bertrandus Gueſclinus, de quo exſtant ſcripta illius aut proximi temporis ſermone eo qui haud dubie præ ſe ferat ſuæ ætatis indicia. Quo tempore adverſus Anglorum ductorem prælium ei imminuit, hæc de militibus ejus narrantur. *Et en icelle place ſe desjunerent de pain & de vin qu'ils avoyent aportes avec eux: Et prennoient les aucuns de iceux du pain, & le ſeignoyent du nom du ſainct ſacrement: Et apres qu'ils eſtoyent confeſſez l'un à l'autre de leurs pechez le uſoyent en lieu d' eſcommichement*

ment. Hæc vox ultima illius ſæculi uſu communionem ſignificat. Similia reperiuntur in antiquioribus fabulis, quas Romanas vocant, tum de Agmonis filiis, tum de aliis: quod genus ſcripta eruditis antiquariis non ſpernenda præbent morum & opinionum veterum veſtigia. Neque verò eſt quod exiſtimet Epiſcopus Aurelianenſis nunc demum exiſtere qui hunc ritum eruant. Vidit eum qui nihil prope non vidit & exſerte indicavit Eraſmus epiſtolarum libro XXVI (exſtant eæ tomo operum ejus tertio) epiſtola ad Cutbertum Tonſtallum. *Conſtat, inquit, temporibus Apoſtolorum, fuiſſe ſynaxin, quam laici inter ſe faciebant adhibita precatione & benedictione; & eum panem (ut eſt probabile) appellabant corpus Domini, ut frequenter etiam in ſacris literis eadem vox ſigno & rei ſignatæ accommodatur. Fieri enim poteſt ut de hac ſynaxi loquatur ibi Origenes. Nec uſquam in Canonicis literis invenitur ubi Apoſtoli certo conſecraverint corpus Domini ut nunc conſecratur in altari, excepto uno loco*

 prioris

prioris ad Corinthios epiſtolæ XI: *& tamen in decimo capite, unde fluxerat Pauli ſermo, non videtur agi de conſecratione ſacerdotali.* His intellectis non difficile erit verum ſenſum dare alii Tertullianeo loco quem varii variè torquent. Eſt is libro de velandis virginibus & ſic habet. *Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui: ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum ſacerdotalis officii, ſortem ſibi vendicare.* Uſurpabant in hæreticorum paraſynagogis mulieres ut publice populum docerent: ille tantum ait hoc abeſſe à recto, ut ne privatim quidem, ſive in familia, aut docere debeant res ſacras, aut baptizare, aut Euchariſtiam precibus legitimis ſanctificare, quia ut illud publice docere atque alia peragere ſacerdotum eſt, ita privatim, ubi neceſſitas id exigit, virorum tamen eſt, ad quorum officium mulieres non debent admitti. Nam ita ſenſiſſe Tertullianum, baptizare etiam privatim mulieribus non licere, apertiſſime liquet libro de Baptiſmo, quod

quod tamen, ut & de docendo & offerendo alii haud dubie reſtrixerunt ad eam circumſtantiam, ubi, ſi non ſacerdotes, viri certe adſunt aut haberi poſſunt. Nam in carcere aut ſimili ſolitudine, ubi virorum quoque Chriſtianorum nulla eſt copia, quoſdam ne mulieribus quidem hæc officia omnino interdixiſſe, ex his quæ ſupra attulimus ſatis apparet.

An ſemper communicandum per ſymbola.

QUod de Johanne Antiocheno eo, cui poſtera ætas ob eloquentiæ præſtantiam Chryſoſtomi dedit nomen, ſcriptum reliquit hiſtoriæ lib. VI. cap. 3. Socrates, eum Antiochiæ viventem in presbyteratu, cum duæ ibi eſſent factæ Eccleſiæ partes ſub Meletii ac Paulini nomine, ita ſe ſubduxiſſe Meletianis poſt Meletii mortem, ut tamen alterius partis duci Paulino non communicaret, inque ea partium abſtinentiâ quietum eum manſiſſe per triennium, cauſam nobis in-

quirendi dat, quâ ratione motus vir pietatis, eruditionis, prudentiæ tantæ id ſecerit. Cujus exemplum ſecuti ſunt manente poſt Synodum Chalcedonenſem gravi per Ægyptum Orientemque diſſidio, multi qui ob id nomen ſibi διακρινομένων dedêre, quorum meminit præter cæteros Leontius Byzantius de ſectis Libro: fuitque eorum unus Johannes ille cognominatus ob id Diacrinomenos, Eccleſiaſticæ ſcriptor hiſtoriæ commemoratus à ſynodo ſeptima Actione quinta. Ac primum quidem quæri poteſt, an inſtitutio Chriſti de cœna præceptum præſertim univerſale ac ſine conditione, contineat. Non enim videtur ſine causâ vetus Eccleſia ei rei mandati potius quam præcepti dediſſe nomen. Ut ſtirpitus exquiratur res tota, obſervanda inſtitutionis ejus occaſio ex more ſumpta Hebræorum, cujus moris deſcriptio eſt apud Scaligerum lib. VI. de Emendatione temporum, & apud Paulum Fagium ad Chaldaicam paraphraſin Deut. cap. VIII. Veriſſimum enim eſt,

quod

quod vir doctissimus Hugo Brochth ad Danielem notavit, nullos à Christo institutos ritus novos. Baptismus in more erat Hebræorum, quoties aliquis ab Idololatriâ ad Judaismum accederet. Meminit sæpè Maimonides, & in hunc diem mos ille apud Judæos manet.† Johannes Baptista ut ostenderet Judæos, quanquam unius dei cultum profitentes, moribus eâ ætate non minus fuisse corruptis & à lege dei dissentaneis, quam ii erant qui falsos deos colebant, ac proinde expurgationis egentes, à pari ad par translato vetere baptizandi ritu id ipsum significavit. Servavit morem in utroque genere hominum Christus, additâ professione sui quoque nominis & promisso spiritus sancti. Manus imponere iis, pro quibus deum precabantur, ad significandam spem divinæ efficaciæ, quæ iis optabatur, vetus erat apud Hebræos.

† Baptismus Johannis non primò neque absolutè divinæ institutionis est, sed ex hypothesi & conditione moris apud Judæos recepti, quatenus iste ad id quod prædicabat Johannes ritè transferri ac usurpari se sinebat.

bræos. Retinuere Apoſtoli: atque inde ritus orandi pro ægrotis, confirmandi baptizatos, ordinandi paſtores, abſolvendi criminum ſontes, & quod nunc quoque in Oriente manuum impoſitione peragitur, Matrimonii benedicendi, velut in rivos plures uno ex fonte fluxit. Mos erat Hebræis, qui & nunc manet, feſtis diebus quos bonos vocant, vocare ad cœnam propinquos, vicinos aut amicos ſupra decem, infra viginta, quæ erat juſta ſodalitas ſive φρατρία exponente Joſepho. Cœnæ fine panis melior ac frangi facilis adferebatur: de eo particulas convivator dividebat convivis: adferebatur & calix, qui & ipſe à convivatore libatus ibat in orbem. Addebantur verba Deo gratias agentia, quod creaſſet panem ex terrâ ac fructum vitis הגפן
פרי γέννημα ἀμπέλου. Accedebat hiſtoriæ ad diem reſpondentis grata commemoratio, ὕμνος εὐλογίας ſive εὐχαριστίας, quæ duo idem valent; In Paſchate pro exitu ex Ægypto: In Pentecoſte pro datâ lege: in σκηνοπη-

γίαις

γίαις pro ductu & alimentis per loca deserta. Christus adjici voluit mortis suæ cruentæ commemorationem. Itaque illud τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, non est definitum imperium, sed intelligendum hoc; ὅταν ποιεῖτε, quoties festas cœnas habetis & more solito isto postcœnio eas clauditis. Id manifestum facit Paulus qui verba Christi explicans addit, τοῦτο ποιεῖτε, ὁσάκις ἂν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. quod pari modo, ut notavit * in altero membro supplendum est: τοῦτο ποιεῖτε, ὁσάκις ἂν φάγητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Et certè veteres Christiani, quoties tale convivium celebrabant, ante mortis Christi commemorationem præmittebant gratias pro creatione rerum ac nominatim panis vinique ex more veteri. Ostendunt id Clementis quæ dicuntur constitutiones, lib. VII. c. 27. Justinus ἵνα ἅμα τε εὐχαριστῶμεν τῷ θεῷ ὑπέρ τε τοῦ τὸν κόσμον ἐκτικέναι σὺν πᾶσι τοῖς ἐν αὐτῷ διὰ τὸν ἄνθρωπον, καὶ ὑπὲρ τοῦ ἀπὸ τῆς κακίας, ἐν ᾗ γεγόναμεν, ἠλευθερωκέναι

* Picharellus dissertatione eruditâ de Missâ.

ναὶ ἡμᾶς, & quæ ſequuntur. Irenæus lib. v. c. 11. *Et quoniam membra ejus ſumus per creaturam nutrimur, creaturam antem ipſe nobis præſtat*, & quæ ſequuntur. Origenes 8. adverſus Celſum de Deo: οὐ τῶν εὐεργεσιῶν πλήρεις ἐσμὲν καὶ δημιουργήματα ὄντες αὐτοῦ καὶ προνοούμενοι ὑπ' αὐτοῦ κριθέντες ὅπως ποτὲ εἶναι καὶ ἔξω τοῦ βίου τὰς παρ' αὐτοῦ ἐλπίδας ἐκδεχόμενοι ἐστι καὶ σύμβολον ἡμῖν τῆς πρὸς τὸν θεὸν εὐχαριστίας ἄρτος, εὐχαριστία καλούμενος. Inde illud in Miſsâ latinâ: *Deus qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem mirabiliter condidiſti. Item, per Chriſtum Dominum noſtrum per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, &c.* Proprie ergo Hebræos, quibus mos erat celebrandi talia poſtcœnia, Chriſtus excitatos voluit, ut ad beneficiorum aliorum gratam commemorationem & ſuæ mortis memoriam adjungerent. Paulus, Gentium doctor, utilem ritum etiam ad Gentes perduxit, occaſione uſus alterius moris, quem eædem gentes in falſo deorum cultu obſervaverant. Moris enim erat apud eas, ut quoties quis

quis ſacrificaſſet, extorum pars ei redderetur, ad quam vocabat convivas. Invenies eum morem apud Ariſtophanem aliquoties, unde nec illud abit, quod ad Plautum Scholiaſtes notat: κατὰ δὲ νουμηνίαν οἱ πλούσιοι δεῖπνον ἑσπέρας ὡς θυσίαν τῇ Ἑκάτῃ προσφέροντες ἐπὶ ταῖς τριόδοις ἐτίθουν. οἱ δὲ πένητες ἤρχοντο πεινῶντες καὶ ἤσθιον αὐτά. Hinc vocare aut adducere ad exta poſt ſacrificii mentionem apud Plautum Milite Glorioſo. Pœnulo Lycus ——

Convivas volo (*ſient:*
Reperire nobis commodos, qui una
Interibi attulerint extra.

Sticho Gelaſimus: *Jamne exta cocta ſunt? quot agnis fecerat?*

Virgil. Eclog. III. *Cum faciam vitulâ pro frugibus, ipſe venito.*

Hunc morem Paulus, amoto vitio, ad eos qui Chriſtianiſmum ſuſceperant, traduxit, & Chriſti ſequens præſcriptum Luc. XIV. 13. pauperes voluit divitum ſumptu meliuſcule quam pauperum erat vita haberi, unde ἀγάπης nomen. Tertullianus Apologetico: *Cœna noſtra de nomine*

rationem sui ostendit: id vocatur quod dilectio penes Græcos. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum: siquidem inopes quosque refrigerio isto juvamus. Convivia talia in fine habebant, cum circumlatione panis & poculi, gratiarum actionem pro muneribus divinis, & speciatim pro morte Christi credentibus impensâ. Huc respiciens Tertullianus libro de corona, Eucharistiæ Sacramentum in tempore victus mandatum à Domino, non, ut postea fieri solitum, antelucanis cœtibus, notat. Primitivi moris apud Ægyptios diu retenti ac post mutati causam historicus Socrates ad quorundam temulentiam refert. Vestigia tamen mansisse illius moris in die ipso, quo Dominus cœnam suam instituerat, docet nos canon Concilii Carthaginiensis tertii & Augustini ad Januarium epistola. Neque verò Paulus præceptum usquam vocat, sed institutum. παρέλαβον ὃ καὶ παρέδωκα. nec quosvis invitat, sed eos qui bene se exploraverint, an nempe in spiritu sint dilectionis,

dilectionis, cujus ſymbolum habet iſta panis vinique paricipatio. Jam verò eſt eaque fuit ſemper, etiam ſub lege illâ rigidâ Moſis, ſymbolorum natura ut facile ex cauſa probabili omitti ſe ferant. Sic panes ſacros, quos lex ſolis ſacerdotibus addixerat, in ſuos uſus vertit David. Sic & circumciſio, tam ſeverè præcepta, & Paſchalis ceremonia omiſſa totis annis XL quibus Hebræi per deſertas Arabum terras ambularunt, nempe quod inter itinera parum commodè interventuri fuerant tot dies aut otio tribuendi aut medicando corpori. Vide Joſuæ cap. V. Serpentem æneum à Moſe factum, quod in non rectos uſus vulgò verteretur, fregit Rex Ezechias.* Sic qui in decem erant tribubus, poſt Hieroboami tempora adire templum Hieroſolymitanum deſiere, contenti domi Deum colere, ne

* Intellige hoc de piis Iſraelitis, puta prophetis& prophetarum filiis, &c. qui nati aut educati ſub regibus impiis, in medio populi idololatrici habitare perſeveraverunt; ſic tamen ut impietatibus eorum nequiquam communicarent: ut legere eſt de ſeptem millibus qui non flexerant genua, &c.

 Reges

Reges suos suspicaces irritarent. Adde & II. Paral. xxx. 17, 18, & xxiv. 12, 13, collatis Lev. locis, vi. 26, 30, & cap. 10, 17, 19, 20. & quæ habet Maimonides ductore dubitantium III. 41. Causæ autem justissimæ intermittendæ communionis, de quo loqui cœpimus, symbolicæ, hæ videntur esse: Si qui præpositi sunt Ecclesiis aut expressè aut tacitè professiones exigant quarundam assertionum, quibus alterius conscientia non adsentit. Ob hanc Hieronymus à Syriæ pastorum communione abstinuit, quod vereretur asserere tres esse in Deo hypostases, vocem istam ad substantiæ significatum trahens, ut multæ illius literæ, præsertim illæ ad Damasum ostendunt. Deinde si communio symbolica non modo usum, ad quem nata est, non habeat, fovendæ ac testandæ communionis cum omnibus piè Christianis, verum insuper tendat ad testandam partis duntaxat alicujus fœderationem, rejectionemque aliorum non minus piè ac Christianè viventium, & ad salutem necessaria, quæ non

non ita ſunt multa, credentium. Accedere poteſt tertium, Chryſoſtomo præcipuè ſpectatum, quod interdum abſtinens aliquis à partium communione, liberius ſolutiuſque exercere poteſt Chriſtianæ dilectionis officia adverſus diſſidentes. Quid verò æquius, quam ubi conflictus eſt, ſigna cedere ſignificatæ rei, putamen nucleo? Itaque eſt interdum, ubi cum Auguſtino dicere liceat, crede & manducaſti, crede ſcilicet eâ fide, quæ per diſectionem operatur, quæ in Chriſtianiſmo totum facit, ac nova obedientia vocatur, ut oſtendunt collata inter ſe loca Pauli duo ad Gal. v. 6, & v i. 15, ſed plerorumque hominum hic eſt mos.

Τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα,
Τὸ δ᾽ ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα.

Non reſpondebo hic ad id quod objiciunt nonnulli ex Joh. v i. cap. 53. quem qui de ſymbolicâ manducatione interpretati ſunt, eò devenere, ut non modò recens natis infantibus exhiberent Euchariſtica ſymbola, ſed & niſi id fieret, æternas pœnas ipſis

infantibus

infantibus crudeli ſcito denunciarent, cum revera ibi manducare & bibere nihil ſit aliud quam intelligere, meditari & in uſum vertere, de quo ſignificatu vocis אכל doctè agit Maimonides ductore dubitantium 1. cap. 29. Et fuiſſe vulgo quoque notum ac receptum id loquendi genus, tranſlatum à corpore ad animum apparet Jer. xv. 16. Ezech. III. 3. Prov. IX. 5. Apocal. x. 9. Eccleſ. xv. 3. xxIV. 29. Bene Philo: Τὸ φαγεῖν σύμβολόν ἐστι τροφῆς ψυχικῆς: τρέφεται δὲ ἡ ψυχὴ ἐναλήψει τῶν καλῶν καὶ πράξει τῶν κατορθωμάτων. Et alibi: ἴσασιν οἱ κεκοινωνηκότες ἤδη, καὶ οὗ ἡ φύσις ἵλεως πάλιν γνώσονται, κληθέντες εἰς μετουσίαν θοίνης, οὐκ ἐξ ἧς αἱ γαστρὸς ἡδοναὶ πιμπλαμένης τὸ σῶμα πιαίνουσιν, ἀλλ' ἀφ' ἧς διάνοια ἐντρεφομένη καὶ ἐγχορεύουσα ἀρεταῖς γήθει τε καὶ εὐφραίνεται. Et ſic eum quem diximus Johannis locum optimè interpetatur Baſilius Apologia ad Cæſarianos, & Auguſtinus, cum eo ſignificari ait communicandum Dominicæ paſſioni. Similis eorum error fuit, qui locum Johannis alterum, ubi de novâ

novâ geniturâ, quæ ſit per ſpiritum mundantem, qui ibi καθ' ἓν διὰ δυοῖν aqua & ſpiritus vocatur, agitur, intellexere de conſpicuo baptiſmo, ejuſque eam eſſe crediderunt neceſſitatem, ut ſine eo æternis pœnis infantes ſubjacerent, cum mollius de circumciſione Judæi ſentiant, cujus omiſſæ pœnam non ad infantes, ſed ad infantum parentes aiunt pertinere. At perſpicaci lectori ſatis apparet agi ibi de hominibus adultis rationiſque & emendationis capacibus. Quod Græci non ignoravêre: apud quos mos fuit ad plenam ætatem, annum puta viceſimum aut ultra differre baptiſmum: neque vulgus tantum, ſed maxima Eccleſiæ columina ita fecere, ut ipſe ille Chryſoſtomus matre haud dubiè natus Chriſtianâ & ab eâ jam viduâ educatus, & Gregorius Nazianzenus natus parente utroque Chriſtiano, patre etiam Epiſcopo, & ejus curâ de omnibus, quæ ad pietatem pertinent, inſtitutus.

Dioni-

P

A

PO

Con
d
C

Adv
n
ʃa
pe

L C

843 l 2

DIONYSII PETAVII AURELIANENSIS

è Societate JESU

DE

POTESTATE

Conſecrandi & Sacrificandi Sacerdotibus à Deò conceſſa: déque Communione uſurpanda,

DIATRIBA.

Adverſus novam Diſſertationem Anonymi cujuſdam; qui Chriſtiani ſacrificii conſecrandi, offerendique poteſtatem etiam laicis attribuit.

LONDINI: MDCLXXXV.

ILLUSTRISSIMO

Amplissimóque viro

PETRO SEGVIERIO

FRANCIÆ

CANCELLARIO.

VETUS *in Ecclesia mos fuit* (Vir Illustrissime) *ut Episcoporum Conciliis, tractandisque fidei rebus adhiberentur laici ordinis principes viri; non qui controversiæ disceptatores, sed qui pacis inter partes conciliatores essent: ne quid indecorè, ac præter ordinem ageretur. Sic in prima omnium Oecu-*

menica synodo Constantinus M. *Imperator: in quarta, Marcianus, & Pulcheria: in sexta, Constantinus Pogonatus, Augusti omnes; ut recentiores alias taceam: in plerisque magistratus, & Comites adfuisse leguntur. Ego verò in hac, quam institui, fidei disputatione, tibi civilis juris, administrationisque principi, etiam judicis, arbitrique partes; nedum moderatoris ac pacificatoris ultrò defero. Quas equidem ambas non minus iis in altercationibus, quæ stilo privatim; quàm quæ voce publicè exercentur, necessarias judico. Nam & apud idoneum propositæ rei æstimatorem propugnanda caussa veritatis est: & ad hoc ipsum auctoritate est opus; quæ iræ, pervicaciæque modum statuat: ne ab utili, ac modesta concertatione, res ad rixas, & contumelias vocetur. Ac quod universè dixit apud Sallustium Cæsar;*

Sallust. in Bello Catilin.

Omneis homines, qui de rebus dubiis consultant, ab ira, & odio vacuos esse debere. *tum,* haud facilè animum verum providere, ubi illa officiunt; *id in illo genere disputatio-*

num,

num, quod ad religionem pertinet, haud paulò quàm in cæteris est verius. Declarat hoc præclara illa B. Hilarii sententia in decimo libro de Trinitate: ubi sic scribit: Immoderata est omnis susceptarum voluntatum pertinacia; & indeflexo motu adversandi studium persistit, ubi non rationi voluntas subjicitur, nec studium doctrinæ impenditur; sed iis, quæ volumus, rationem conquirimus, & iis, quæ studemus, doctrinam comparamus. Iámque nominis potiùs, quàm naturæ erit doctrina, quæ fingitur: & non jam veri manebit ratio, sed placiti, quam sibi voluntas magis ad defensionem placentium coaptavit.

Quamobrem dum in hoc certamine nostro duas illas, quas dixi, opportunitates persequor, tu mihi ex omnibus occurristi, in quo totidem illa necessaria præsidia summè inesse videbantur. Primùm dignitas, & auctoritas ea est in te, quæ impetum animi potest, & ardorem vel tacita continere. Accedit ad dijudicandi solertiam præstans divinarum rerum, ac Theologiæ cognitio:

quam

quam ego fama prius acceptam, usu postea, & colloquio, quod tecum iis de rebus habui, majorem opinione mea comperi. Memini enim aliquando me privato in congressu, sermoni cuidam tuo interesse, qui de abstrusissimis media ex Theologia quæstionibus cum viris doctis habebatur: ac tum ea te partim ponere in percontando; partim exponere, ac respondere, quæ nihil in iis novum esse tibi, nihil inauditum, aut ignotum ostenderent. Ac mihi sic in illa tota sermocinatione versari videbare, ut subtilitate differendi, & acumine nihilo iis inferior esses, qui ætatem omnem his in doctrinis contriverant: explicandi verò perspicuitate, ac facilitate, longè omnibus antecelleres. Quocircà meliorem susceptæ hîc à me controversiæ judicem, quatenus neque intelligentiorem, neque graviorem, quàm tu es, optare potui neminem. Nam æquitati, quæ haud minus in judicando, quàm superiora illa, locum habet, planè confido tuæ: qui supremam hoc in regno, juris, æquique dispensationem non magis officio, quàm animi integritate, probitatéque

que

que sustines. Quæ jam olim nota, & perspecta, antequam in summum illud dignitatis culmen ascenderes; multò, postquam eò provectus es, expressioribus documentis enituit.

Superest ut & caussa ipsa digna sit, quæ ad tuam cognitionem deducatur. (Non enim parvis de rebus tanta interpellanda est auctoritas) & non injucundus ego in te adeundo, importunúsque sim. Sed in alterutro cunctari, id esset prudentiæ tuæ, aut bonitati diffidere. Res primum agitatur hîc omnium maxima, & gravissima; in qua non unum aliquod, & separatum fidei caput vertitur: sed tota ipsa, quanta est, Christiana pietas, ac religio: Christianum, inquam, nomen omne continetur. Non enim ambigi debet, quin si verum illud est, quod ista, quam oppugnamus, Dissertatio tuetur; hoc est, hi sacerdotali fideles omnes, etiam profani, jure, ac consecrandi potestati sunt præditi; Christiana, & Catholica prorsus Ecclesia labefactata concidat. Quæ cum humano corpori simillima sit; ut non uno Apostolus

Rom. 12. & 1 Cor. 12.

lus in loco prædicat; uti prius illud absque membrorum ac facultatum varietate; sic ista, sublata Ordinum, functionúmque distinctione, jam non solùm deformis est, ac fœda, sed nulla. *Siquidem* corpus non est unum, membrum, sed multa (*ait Apostolus*) &, Quod si essent omnia unum membrum ubi corpus? *Missa hoc loco facio flagitia cætera Dissertationis ejusdem, quæ te malo in nostro Confutatione legere. In qua pressiùs fortasse, quàm pro tanto argumenti merito, atque copia, de eo sermonem feci. Sed habenda ratio fuit tùm occupationum tuarum; quæ ut* sacræ *justiùs, quàm illæ Tiberii, appellari merentur; sic eas longiore distinere mora, contra sacra peccare est, adeóque pene esse sacrilegum. tum verò prudentiæ, ac præclaræ, ut suprà memini, iis in studiis eruditionis tuæ: quæ non plura ad rem penitus intelligendam: ac ne ista quidem pauca desiderat. Jam quod alterum est, ac mea potissimùm interest, quo sis animo meam hanc*

1 Cor. 12.

Sueton. in Tib. c. 27.

hanc in appellando te fiduciam accepturus; tàm verendum non est; quàm nec mihi de tua in me, ac literarum studiosos omnes humanitate: nec tibi de mea in te, cujus istud specimen extare volui, observantia & voluntate dubitandum. Vale. Lutetiæ Parisiorum X. Cal. Jan. CIↃIↃCXXXVIII.

Illustrissimæ Amplitudini T.

Addictissimus, devotissimúsque,
DIONYSIUS PETAVIUS
è Societate JESU.

INDEX CAPITUM
Hujus Diatribæ.

CAPUT I.

CAP. II.

CAP. V.

Apro-

Approbatio Doctorum ſacræ Theologiæ Pariſienſis.

NOs infraſcripti in ſacra facultate *Pariſienſi* Doctores, teſtamur libellum, cui titulus eſt, DIONYSII PETAVII *Aurelianenſis è Societate* JESU, *de poteſtate conſecrandi & ſacrificandi*, &c. à nobis lectum attentè, & omnino probatum, utpote qui nihil contineat Orthodoxæ fidei vel Chriſtianis moribus diſſonum, aut repugnans. Ita cenſuimus, ſubſcripſimus.

Pariſiis, Novembris 15, 1638.

P. D'HARDIVILIER.
C. PATU.

De

De Poteſtate conſecrandi & Sacrificandi Sacerdotibus à Deo conceſſa: deque communione uſurpandi Diatriba.

CAPUT I.

Occaſio *diſputationis ex loco quodam Tertulliani*; qui Chriſtianos *omnes Sacerdotes facere videtur.* Præſtruuntur *nonnulla ad illam neceſſaria. quatenus* oblatio ſine *conſecratione facta eſt. De oblatione* Laicorum.

PRoximè venit in manus meas Diſſertatio cujuſdam Anonymi *Amſtelodami* hoc anno edita; cujus duplex erat caput. Prius *de cœnæ adminiſtratione ubi Paſtores* *Apud* I. *Columnam* An. 1638.

res

res non sunt, inscribitur. Posterius *an semper communicandum per Symbola.*

In illo propositum hoc sibi Auctor habuit, consecrandi Dominici corporis potestatem ex æquo Christianis à Christo concessam omnibus fuisse, nonnullorum verò opinione etiam fæminis. Sed ita ut laici extra necessitatem minimè id usurpaverint. Ubi autem nullus esset Sacerdos, impune hoc non fecisse solùm; sed etiam potuisse facere. Similiter atque in Baptismo usu venit quem ubi nulla presbyterorum, aut virorum copia sit, feminis administrare licet. De altero capite pòst agemus: nunc à priore disputandi capiemus initium.

Hujus itaque dogmatis, quod consecrandi, conficiendíque Dominici Sacramenti promiscuam potestatem Christianis omnibus facit; testis ac vindex ante omnes *Tertullianus* adducitur: Hic enim in libro de Exhortatione castitatis,

Cap, 7

castitatis, cùm à secundis nuptiis non minùs laicos, quàm sacris addictos ministeriis absterrere vellet; *Nonne* (inquit) *& laici sacerdotes sumus? Scriptum est, Regnum quoque nos, & sacerdotes Deo, & patri suo fecit. Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatus. Adeo ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers, & tinguis, & sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, ecclesia est, licèt laici. Unusquisque enim sua fide vivit*, &c. *Igitur si habes jus sacerdotis in temetipso, ubi necesse est, habeas oportet etiam disciplinam sacerdotis ubi necesse sit habere jus sacerdotis. Digamus tinguis? Digamus offers?* &c. Ex hoc Tertulliani loco concludit Anonymus; laicos, sicubi necesse fuit, ac cùm nulla copia sacerdotis esset, non minùs εὐλογεῖν, & εὐχαριστεῖν, id est *consecrare*, quàm baptismum impertiri potuisse. Quippè verbum *offerendi* apud Tertullianum *hoc sensu solere sumi, ubi conjungitur cum tingere, id est baptizare.* Adjungit & alios re-

centiores Tertulliano moris ejusdem, ac juris auctores; quos subinde proferam.

Ut in Tertulliano sistamus gradum, & universè de nova hac opinione, quod nostrum sit judicium explicemus. primum illud defendimus; *offerendi* verbum, neque apud Tertullianum, neque apud Scriptores alios id semper valere, quod Anonymus affirmat, & verò debet affirmare; si quis disputatione ista promovere vult: hoc est *consecrare*, & *conficere* Dominicum sacramentum. quod solos aio non modò jure fecisse; sed etiam potuisse presbyteros: cæteros autem, tam inferioris gradus clericos, quàm laicos, si id usurparint unquam, nihil prorsus egisse.

Totus igitur in eo cardo quæstionis vertitur; utrum quoties *offerre* apud veteres illos legitur, actionem eam significet, quæ consecratio dicitur, & εὐλογία, sive εὐχαριστία. Nam si ita res habet; non est cunctandum, quin consecrasse fateamur laicos, qui obtulisse dicuntur. Sin est, ut alia

quæpiam

quæpiam functio, & à conſecratione diverſa eadem illa voce contineatur, non erit conſequens quod Diſſertationis Auctor exiſtimat.

Atqui *offerendi* vocabulum, & *oblatio*, etiam cùm de re ad ſacrificium, ac λειτουργίαν pertinente apud antiquos accipitur; non ſemper conſecrationem aut ſignificat, aut incluſam, & comprehenſam habet: ſed aliquid aliud ab illa ſeparatum ac diverſum.

Etenim oblatio propriè, ac præcisè eſt rei alicujus repræſentatio, quæ Deo donatur: neque neceſſariò mutationem ullam exprimit, quæ in oblata re fiat. Hebræi *oblationem* vocant קרבן quod nomen generale eſt, ac tam de inanimis, vitáque carentibus, quàm animatis dicitur. Quare illa etiam δῶρα complectitur, quæ ita, ut erant, conſecrata Deo manebant: ut aurum, æs, & alia donaria, quæ in templo reſervabantur: arque etiam frumentum, vinum, oleum, quod ad uſus ſacrorum, aut ſacerdotum offerebatur. nec non pecuniam, quæ in gazophylacium mittebatur, ac the-

saurum sacrum, qui propriè קרבן Græcè κορβανᾶν Matth. xxvii. 6. dicitur. Quæ omnia cùm offeruntur, ac Deo dicantur, nullam mutationem patiuntur.

Sic in Christiana Ecclesia vetere ad altare offerri varia munuscula consueverant, uti mel, lac, aves, & animalia quædam, ac legumina. quæ deinceps offerre prohibet canon tertius Apostolicus; ac novas duntaxat spicas permittit; nec non oleum, & thymiama. Quæ omnia non soli fideles offerebant: sed etiam Episcopus, vel sacerdos ab illis accepta. quod verba Canonis indicant. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος παρὰ τὴν κυρίου διάταξιν τὴν ἐπὶ τῇ θυσίᾳ προσενέγκῃ ἕτερά τινα. Quæ Dionysius ita vertit: *Si quis Episcopus, aut presbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in sacrificio offerat super altare, id est aut mel, aut lac, aut pro vino siceram; & confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra constitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Ac subinde

ſubinde, *Offerri non liceat aliquid ad altare præter novas ſpicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama, id eſt incenſum, tempore, quo celebratur oblatio.* Hinc ergo conſtat, Epiſcopum, aut ſacerdotem, qui veram, & incruentam oblationem, ac ſacrificium offerebat; etiam alia præter illud obtuliſſe; in quibus nulla fiebat conſecratio: eámque oblationem & ad altare factam, & eo tempore, quo divina myſteria peragebantur. Simul hoc obiter notandum, *offerendi* verbum latiùs patere, nec de ſolis uſurpari ſymbolis Dominicæ Paſſionis, quæ non offeruntur ſolùm; ſed etiam conſecratione mutantur. Sine qua mutatione non poteſt ſacrificii ratio conſtare; ut accuratius in Scholis Theologi diſputant.

Addam & illud ex uſu Judæorum, & ſermonis conſuetudine; cùm haberent genus quoddam oblationis; in quo id quod offerebatur Deo, ferro vel igne conſumi, extingui, exterminaríque deberet; quod Græcè ἀνάθεμα, Hebraicè חרם appellatum eſt;

est; nihilominùs hanc ipsam vocem חרם de iis interdum dici consuevisse, quæ integra, & intacta manebant; ut sunt agri, & prædia; ut ex Levitici xxvii. liquet.

Itaque cùm ejusmodi in oblatione duplex interveniret actio; altera, qua cultui, honorique divino res illa dicabatur, & offerebatur: altera, qua rés eadem perimebatur: qua ex actione nomen *Cherem* propriè est impositum; accidit tamen, ut hac posteriore dempta, sola prior communem appellationem obtineret. Ideò quoties nominari anathema, vel *cherem* audimus; non statim consequens est, aboleri, extinguique rem, de qua agitur; sed ex ejus natura, & conditione quid factum sit, prudenter erit æstimandum.

Ad hunc modum & de Christiana oblatione, altarisque sacrificio judicare convenit. Est enim, ut in antiquæ legis sacrificiis; sic in Novæ unico illo pars, sive actio duplex: una est quæ propriè oblatio, Græcè προσφορὰ dicitur; qui est ritus, in verbis,

verbis, aut actione aliqua conſiſtens; quibus res quæ hactenus profana erat, Deo traditur, & in ejus quaſi mancipium transfertur. cujuſmodi in Moſaïcæ legis ſacrificiis fuit impoſitio manuum ſuper hoſtiam: tùm elevatio, & agitatio quarumdam ejus partium ad quatuor mundi partes: quam Hebræi תנופה vocant; de qua R. Selomoh ad caput XXIX. Exodi, ubi Scriptura ritus iſtos indicat, nec non Levitici I. & ſequentibus.

Altera pars erat hoſtiæ mactatio, & combuſtio. Sic in Chriſtiano ſacrificio tam προσφορὰ, ſive oblatio, quàm conſecratio cernitur, qua panis, atque vini ſubſtantia deletur, & in Chriſti corpus, & ſanguinem convertitur. Totum ipſum tamen ſacrificium ab una & priori actione nomine accepto, vocatur oblatio.

Ac fieri poteſt, ut ex duabus, ſola tantùm uſurpetur oblatio. quemadmodum in ea λειτουργία uſuvenit, quæ ἐκ τῶν προηγιασμένων à Græcis appellatur: qualem in Paraſceue magna Latinæ Eccleſiæ conſuetudo retinet.

Tum

Tum enim Dominicum corpus offertur sine consecratione, quæ pridie est facta. De hoc ergo λειτουργίας, sive oblationis genere si qua vel scripto, vel sermone mentio fieret, erraret profectò, qui cùm λειτουργίαν, oblationémque esse factam audiret, statim huic adjunctam fuisse consecrationem diceret.

Sciendum est præterea dupliciter ab consecratione divelli oblationem potuisse. Primùm illo modo, quem dixi; cùm longè ante consecratus panis vivificus offertur. Secundò cùm ante consecrationem, ab laicis, etiam mulieribus offerebatur. Mos enim in Ecclesia veteri fuit, ut qui communicandi jus haberent, iidem panem & vinum in Ecclesiam portarent, & ibidem offerrent; quod etiam *sacrificium* vocat Cyprianus in libro de opere & eleemosyna: *Locuples, & dives es* (inquit) *& dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omninò non respicis; quæ in dominicum sine sacrificio venis: quæ in partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis.* Augustinus

guſtinus Sermone 215. de Tempore. *Oblationes, quæ in altario conſecrentur offerte. Erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicaverit.* Hanc Græci canones προσφορὰν vocant. cujus ſoli fideles jus habebant, qui neque abſtenti, neque pœnitentes erant; ſed integram dignitatem habebant. Atque hæc erat perfecta communio, ad quam pœnitentes, & à ſacris extorres aſpirabant, ac per longiſſimi cruciatum temporis, ſqualloremque perveniebant; uti jus haberent oblationis, quam κοινωνίαν vocat μετὰ προσφορᾶς. Itaque poſtremus, qui & quartus pœnitentium gradus, quam σύστασιν vocabant; in quo divinis myſteriis, ſine corporis Chriſti participatione intereſſe poterant, neque ſub Miſſam catechumenorum unà cum aliis excludebantur; appellari ſolet κοινωνία χωρὶς προσφορᾶς, ut in Nicæno canone XI. quæ Dionyſius Latinè ſic concipit,

Nicænus canon. 11. Δύο δὲ ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν.

Duobus autem annis

annis ſine oblatione populo in oratione communicent. Et in Ancyrano canone XVI. ſimpliciter nominatur προσφορά. τυγχανέτωσαν τῆς προσφορᾶς, *oblationem, vel communionem aſſequantur.*

Ilerdenſe Concilium Canone IX: *Fidelibus in oblatione Euchariſtiæ communicent.* vel, ut alia lectio, & quidem melior, exhibet, *in oblatione, & Euchariſtia.* Nam ex XI. Canone Nicæno expreſſum illud eſt, quod habet, κοινωνῆσαι μετὰ προσφορᾶς. Ac ne quis exiſtimet προσφορὰν in iſtis Canonibus, ipſam eſſe Euchariſtiam, ſive Chriſti corpus, quod à ſacerdote eſt oblatum: non autem id quod à laicis fidelibus offertur; primùm expendat locutiones illas, κοινωνῆσαι μετὰ προσφορᾶς; quod non poteſt idem eſſe, ac participem eſſe corporis Chriſti, vel oblationis à ſacerdote conſecratæ. Nemo enim dixerit, κοινωνῆσαι μετὰ σώματος Χριστοῦ, pro eo quod eſt, *corporis Chriſti eſſe participem:* ſed ſine dubio idem illud eſt, ac *communicare cum oblatione*; hoc eſt *jus habere offerendi.*

rendi. Deinde Concilium Vaſenſe I. Can. 2. ſtatuit, ut ſi pœnitentes *abſq; communione in ipſo curſu ſatisfactionis præventi fuerint, eorum oblatio recipiatur*. Ubi non alia intelligi poteſt oblatio, quàm quæ ab ipſis offertur. Sic etiam Arelatenſe II. Can. 12. decrevit, de eo qui in pœnitentia poſitus vita exceſſerit, ut pro eo, quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius ſuſcipiatur. Eodem & Eliberitanus Canon XXVIII. meo quidem judicio ſpectat: *Epiſcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere*. Nam *τὴν προσφορὰν*, hoc eſt oblationem interdicit; quæ ſolis permiſſa communionis juræ præditis. Sic & canone ſequenti, energumeni nomen cum oblatione recitari prohibet ad altare. Sed hæc ſatis ſunt. Non enim pluribus opus eſt; ut, quod canonum, ac diſciplinæ veteris periti ſatis intelligunt, probemus, laicos offerendi jus habuiſſe. Neque verò tam hebes erit quiſpiam, ut eoſdem conſecraſſe putet. Nam qui hoc illis conceſſum fuiſſe vult Diſ-

sertationis Auctor, non passim, & ubique, sed in summa necessitate, ac penuria sacerdotum licuisse confirmat. Atqui oblationes illæ, quas laicis canones attribuunt, media in Ecclesia, summáque in pace Christiani populi, coram Episcopis, ac Presbyteris fiebant. Non igitur consecratio perpetua comes erat oblationis. Certè Tertullianus ipse in libro de Monogamia, cap. x. de fideli vidua loquens, ait eam *offerre annuis diebus dormitionis* viri vita jam functi; hoc est oblationem *pro anima ejus* ad altare facere: quam nemo consecrasse dixerit Eucharistiam. Non est igitur idem semper προσφέρειν, quod εὐλογεῖν, aut εὐχαριστεῖν, hoc est consecrare, & ex pane, ac vino Christi corpus facere.

CAP. II.

CAPUT. II.

Tertulliani locus explicatur adverſus Anonymum. quomodo Laici obtulerint citra conſecrationem. exponitur inſtitutio ſacerdotum ex Evangeliſtis petita.

HIS præmuniti, ad Tertulliani locum accedamus: quod præcipuum firmamentum Diſſertationis habet Auctor. Illius verba ſic interpretatur; ut cùm laici ſine ſacerdote alicubi fuerint, non minus conſecrare, & offerre Chriſti corpus poſſint, quàm tingere, hoc eſt baptizare. Ac ſi id ſolus Tertullianus affirmaret ex ſuo ſenſu; nihil hoc magnoperè curandum eſſet. Reſponderi enim facilè poſſet, quod & Hieronymus ait, *hominem Eccleſiæ non fuiſſe*. vel, ut Hilarius ſcribit, canone v. in Matthæum

thæum, *consequentem errorem hominis detraxisse scriptis probabilibus auctoritatem.* Quo ex genere *probabilium scriptorum* constat non esse librum de Exhortatione ad Castitatem; quem Montani implicatus erroribus contra Catholicam scripsit Ecclesiam. Verùm quia Tertullianus hujus instituti, ac moris sic meminit, ut eum passim apud omnes usitatum fuisse demonstret. Alioqui *ex re non ab aliis, credita, cum aliis agens, argumentum non nisi stultè duxisset*, ut ait Anonymus: Probat enim omnes Christianos, etiam laicos, sacerdotali lege teneri, quæ secundas nuptias prohibet; quoniam omnes sacerdotes sunt, & quæ sacerdotum propria sunt usurpant, si necessitas ferat; cujusmodi sunt offerre, ac tingere. Ideò non utar hac præscriptione; & hoc ultro concedam, de eo loqui Tertullianum, quod in parte Catholica fiebat; ac proinde laicos, cùm sacerdotum deerat copia, oblationem, ac baptismum administrâsse. Verùm quod ejusmodi laicorum oblationem

lationem talem fuisse putat, qualis fuit sacerdotum; ut consecrationem annexam haberet, ac verum esset sacrificium: id verò falsum esse defendo. Neque hoc ex Tertulliani verbis fateteri cogimur. Si quidem oblationem plerumque ab consecrandi actione sejunctam fuisse suprà demonstravimus. Mos ille vetere in Ecclesia fuit, ut in Synaxibus, ac legitimis conventibus, qui Dominicis præsertim diebus habebantur; ut ex*Plinio, & † Justino Martyre colligitur, Eucharistiam id est corpus Dominicum, sive panem consecratum unusquisque fidelium acciperet, eóque pro eo ac vellet uteretur; hoc est vel statim absumeret; vel reservaret, ac domum deferret. Docet hoc Tertullianus in extremo libro de Oratione. *Accepto*(inquit) *corpore Domini, & reservato, utrumque salvum est, & participatio sacrificii, & executio officii.* Suadet enim ut stationum jejunia celebrant, à sacrificiis non absint, quod fieri quidam oportere putabant, eo quòd statio solvenda

* Plin. lib. 10. ep. 97.
† Justin. Apol. 2.

venda sit, hoc est jejunium, *accepto corpore Domini.* Verùm ita moderandam esse rem decernit, ut & sacrificio intersint, & Christi corpus, ac quod ibi distributum acceperint, reservent ; ne jejunium solvant. Quinetiam Basilius M. in Epistola CCXXXIX. ad Cæsariam Patriciam, eandem consuetudinem ætate sua servatam esse confirmat in Ægypto, & Alexandria. cujus verba paulò pòst referam.

Cùm igitur Christiani persecutionis metu in cryptis, ac latebris delitescerent, credo assensuros facilè omnes, interdum usuvenisse, ut Christi corpus secum eò portarent ; ac si nullus esset sacerdos, delectus aliquis è laicorum numero, illud ipsum offerret Deo, certis ad id precibus adhibitis, quas in synaxibus audire consueverant, atque in omnes distribueret. Ita enim sacrificii, ac publicæ & legitimæ λειτουργίας speciem quandam usurpabant ; quæ magno ipsis esset solatio. Hoc tum illi faciebant, cùm sacerdotum nullam omninò copiam habere poterant. Nam si commodè id

id poſſet fieri, ad illos ſacerdos aliquis aſpirabat; præſertim ad eos, qui propter Chriſti confeſſionem in carcere, ac cuſtodia vincti detinebantur, quos confeſſores nominabant. Hujus rei locupletem dabo teſtem Cyprianum in Epiſtola v. ubi in adeundis viſitandiſque confeſſoribus cautione ac prudentia uti præcipit; ut ne *glomeratim, ac per multitudinem ſimul junctam*, ad eos accedatur; *ne ex hoc ipſo invidia concitetur, & introeundi aditus denegetur.* Tum ut *presbyteri quoque, qui illîc apud confeſſores offerunt, ſinguli cum ſingulis diaconis per vices alternent: quia & mutatio perſonarum, & viciſſitudo convenientium minuit invidiam.*

Hic Cypriani locus ad propoſitum noſtrum, & hoc, quod inſtituimus, probandum aptiſſimus eſt. Nam ſi laici; immò etiam, ut apud diſſertationis Auctorem quidam ſignificant, mulieres; abſente ſacerdote offerre, & conſecrare poterant, quid attinebat ad illos confeſſores, qui in carcere, & ergaſtulis vincti erant, tanto

cum capitis periculo ventitare sacerdotes, & Diaconos, ut pro illis offerrent? Nimirum expedita res erat, & facilis; mandare illis, ut ipsimet sibi sacrificium celebrarent, hoc est consecrarent, & offerrent Christi corpus; ut ne Presbyteri minimè necessarium se in vitæ discrimen committerent, quo id illis præstarent, quod per se obire ipsi poterant. Non igitur prorsus omni sacerdotali potestate, ac functione laicos Tertullianus instruxit: neque consecrare, aut corpus Christi ore conficere, ut Hieronymus loquitur; posse illos credidit: sed offerre tantùm. quod quia soli fere, ac publicè, & ordinario usu sacerdotes faciebant; ideò laicos, qui idem interdum, & in necessitate agerent, sacerdotes esse dixit, non præcisa, & exacta ratione, sed similitudine quadam, & declamatoria hyperbole.

Nunc argumenta, quibus novum illud commentum suadetur, expendamus. Horum illud est primum: Lucas Evangelista, cùm de institutione agit Dominici corporis, cap. XXII.

19. refert Chriſtum ita juſſiſſe, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod Paulus, 1 Cor. XI. 24, 25, 26, &c. ad omnes fideles, etiam laicos, pertinere ſignificat. Nam commate 26. ex illo Chriſti mandato concludit ſic: *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*, &c. Quaſi commemoratio illa, quam fieri Chriſtus præcipit, ipſis etiam laicis injuncta ſit, à quibus eam fieri teſtatur Apoſtolus.

Hîc longior, & perplexior, quàm pro inſtituta brevitate, quæſtio commovebitur, ſi de Lucæ, ac Pauli verborum ſenſu diſputare voluero, ac docere, quemadmodum Chriſtus illis ipſis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, Apoſtolos ſacerdotes inſtituerit, & offerre corpus ſuum, ac ſanguinem, hoc eſt ſacrificare juſſerit. quod Tridentinum Concilium decrevit Seſſ. 22. Canone ſecundo: & longè antè Gaudentius Brixianus docuerat Sermone II. ad Neophytos. qui verba illa Chriſti declarans;

clarans; *Ideò* (inquit) *discipulis fidelibus mandat, quos primos & Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes, ut indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est à cunctis sacerdotibus per cunctas totius orbis Ecclesias celebrari, usquequo iterum Christus de cœlis adveniat.* Quare missum illud hoc loco faciam: & hoc unum afferam, quod ad infringendam vim illius argumentationis satis esse possit. Christus Dominus cùm sacramentum, & sacrificium corporis, & sanguinis sui nocte illa institueret, ac traderet, duo quædam egit; alterum per sese, ac directè; alterum obliquè, ac velut ex consequenti. Horum primum in eo situm erat, ut Apostolis, ac sacerdotibus mandaret, ipsum ut sacramentum, & sacrificium conficerent, & offerrent, adeóque consecrarent. Hoc enim propriè ac directè verbis istis exprimitur: *Hoc facite in meam commemorationem:* quod ad eos, qui actioni illi intererant, Apostolos refertur. Alterum ad omnes fideles, etiam laicos sexus utriusque pertine-

bat;

bat; ut & ipſi in ſumenda, participandáque Euchariſtia, pro ſuo modulo, ac ſtatu, paſſionis Chriſti memoriam adumbrarent. Quod & Gaudentius in ſecundo illo, quem laudavimus, Sermone meminit; cujus verba quia præſentem ad rem valde pertinent, hîc neceſſariò deſcribam. Nam poſt illa verba, quæ proximè antè poſui, in quibus Apoſtolos à Chriſto ſacerdotes illa ipſa nocte, qua ſacramentum corporis ſui, & ſanguinis condidit, inſtitutos ait, incontinenti iſta ſubjicit: *Quo & ipſi ſacerdotes, & omnes pariter fidelium populi exemplar paſſionis Chriſti ante oculos habentes quotidie, & gerentes in manibus, ore etiam ſumentes, ac pectore, redemptionis noſtræ indelebili memoriâ teneamus.* Sed & Auguſtinus in tertio de Doctrina Chriſtiana, capite XVI Chriſtum ait, iis verbis; *Niſi manducaveritis carnem filii hominis*, &c. *præcepiſſe paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter, atque utiliter recondendum in memoriâ, quod pro nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata ſit.*
Utrique

Utrique igitur, & sacerdotes, & laici quod faciunt, in Christi memoriam faciunt, ejúsque passionis: sed hi sumendo duntaxat; illi consecrando, ac sumendo. Neque necesse est, ut quod in commune obeunt utrique, eodem ab singulis modo transigatur. Fingamus enim illa ipsa verba; *Hoc facite in meam commemorationem*, ad fideles omnes tam sacerdotes, quàm laicos à Christo esse dicta; an ideò consequens erit, eâdem omnes ratione quod præceptum est exequi? Non opinor. Etenim iis etiam in mandatis, quæ universè, infinitéque omnibus edita videntur, cautione est opus, ut ratio habeatur quid cuíque generi hominum, & conditioni, ac personæ congruat. Quod prudenter animadversum est ab Augustino eodem illo in libro, capite decimo-septimo. *Erit igitur etiam hoc* (inquit) *in observationibus intelligendarum scripturarum, ut sciamus alia omnibus communiter præcipi; alia singulis quibusque generibus personarum.* Idque adeò quotidiano usu contritum est. Nam cùm

cùm dicimus Cæſarem, exempli cauſſa, cum copiis ſuis in Pharſalicis campis adverſus Pompeium certaſſe, atque hoſtium multa millia cecidiſſe, aliter hoc ab Imperatore ipſo; aliter à militibus geſtum intelligunt omnes, qui aliquid intelligunt. Aut cùm Samuel 1 *Reg.*15. Dei juſſu Saüli præcepit ita: *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire univerſa ejus*, &c. *ſed interfice à viro uſque ad mulierem*,&c. quamvis hoc præceptum, & ejus executio ad omnem exercitum non minùs, quàm ad regem ſpectaret, nemo tamen adeò deſipiat, ut eodem modo putet quod injunctum erat, ab utriſque præſtari debuiſſe: ut ſuapte manu, quod miles fecit, Rex ipſe hoſtes jugularet, urbes ac domos everteret, bobus & aſinis necem inferret. Quippè ſic illi præcepto obtemperari voluit Propheta, ut quæ cujuſque partes erant in agendo, eas quiſque ſervaret; dux & imperator præcipiendo, ac regendo; miles manum admovendo. Quod igitur communis hominum in vita

vita sensus habet, id in illo Domini præcepto de repræsentanda passionis suæ memoria valere necesse est: ut aliter id sacerdotes, aliter laicos agere ac tractare voluerit, non promiscuè omnia omnes exequi. Sanè cùm in veteris Testamenti libris legimus profanos homines obtulisse sacrificia, & immolasse victimas; velut 2. Paralip. 7. 4. *Rex autem* (inquit) *& omnis populus, immolabant victimas coram Domino*; non potest eodem modo, ac sensu accipi, atque cùm dicitur idem ab Aarone, ejúsve posteris esse factum, quibus solis constat sacrificare, hoc est victimas immolare licuisse. Pro eorum itaque, de quibus agitur, statu, & conditione edictorum moderanda sententia est. Quare idem & de verbis illis judicium esse debet, quibus in novo Testamento, offerendi, vel sacrificandi usus atque functio etiam laicis accommodari videtur: ut non eodem modo, quo sacerdotes, id intelligantur facere.

Sequitur Tertulliani locus ex libro de Corona militis, ex quo Dissertationis

onis Auctor effici putat, ex inſtituto Chriſti promiſcuam omnibus fidelibus poteſtatem eſſe factam conſecrandi corporis Chriſti. Sic enim Tertullianus capite tertio. *Euchariſtiæ ſacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quàm præſidentium ſumimus.* Ubi ex Tertulliani mente ſic inſtitutum exiſtimat Euchariſtiæ ſacramentum, ut omnibus paſſim illius conſecrandi poteſtas facta ſit; niſi quod ea jure Eccleſiaſtico, ac traditione reſtricta eſt, & ſolis permiſſa *præſidentibus*, hoc eſt ſacerdotibus. Quod etiam & in baptiſmo valere ex ejuſdem ſententia Tertulliani putat, qui in libro de Baptiſmo cap. 17. dandi jus baptiſmi etiam laicis eſſe dicit: ſed ita ut in neceſſitatibus duntaxat eo jure utantur; cæteris temporibus, id Epiſcopo, aut Clericis relinquant, ut pax Eccleſiæ ſervetur. Hinc Diſſertatio colligit, *morem etiam receptum à Chriſtianis illius ætatis fuiſſe, ubi talis occaſio ſe obtulerat*, non

minus offerendi, id eſt ſacrificandi conſecrandíque, quod laicos attinet, quam baptizandi.

Verùm falſa eſt, ne quid acerbius dicam, iſta ratiocinatio. Primùm enim, demus hoc, quod Tertullianus ait, *Euchariſtiæ ſacramentum mandatum omnibus à Domino*, ſic intelligéndum, nihil ut de ejus conſecratione, confectionéque ſit expreſsè cautum, & inſtitutum: ſed infinitè, univerſéque mandaverit omnibus, *Accipite*, &, *Hoc facite in meam commemorationem*: non tamen ſequetur hoc, quod diſſertatio docet, laicis, aut mulieribus à Chriſto permiſſum eſſe, ut conſecrare, vel offerre, hoc eſt ſacrificare poſſint: ſed hoc ſolùm, quod non gravatè concedam; ejus, quod confusè, ac minus expreſsè Chriſtus mandaverat, Traditionem interpretem fuiſſe; quæ nos docuit, neminem conſecrare poſſe Chriſti corpus, niſi qui *ſacramentum ordinationis* habet, ut appellat Auguſtinus libro de bono conjugali cap. 24. quod & non minus eſſe ſacramentum, quàm

eſt

eſt baptiſmus alibi dicit, in ſecundo contra Parmen. cap. 13. & utrobique neutrum iterari poſſe confirmat. Unde & Col. 62. 1. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, Hilarium ſchiſmaticum ait, cùm ab Eccleſia receſſiſſet, ac non niſi Diaconus eſſet, *Eucharistiam conficere non potuiſſe, Epiſcopos, & Presbyteros non habentem.*

Cæterùm poteſt & alio ſenſu Tertulliani locus ille accipi, ut de conſecratione Euchariſtiæ non loquatur, ſed ſumptione. Cùm enim Chriſtus *accipere* ſimpliciter juſſerit, neque quo tradente, conſecrata jam utique & confecta, ſit accipienda dixerit, videbatur laicis permiſſum, ut undecumque, & ubicumque poſitam ipſi ſibi caperent ; ſic ut in conviviis fieri aſſolet. Nam appoſitas ex menſa dapes unuſquiſque accipit, nec de manu invitatoris, ac domini neceſſariò illas expectat. Hoc igitur & in ſacroſancto illo epulo conceſſum videri poterat à Chriſto, ut conſecratam Euchariſtiam, & in altari, menſáve propoſitam

 poſitam

positam sibi quisque fidelium tolleret; non autem ut de manu præsidentis acciperet. quod Traditione sola au-ctore institutum, atque usu receptum Tertullianus admonet. & Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone morem hunc Ecclesiæ veteris indicat fuisse in sacris Synaxibus, & sacrificiis celebrandis, ut benedictione consecratam à præsule Eucharistiam Diaconi acciperent, & in populum distribuerent. Basilius in Epistola CCXXXIX. sciscitanti, ut apparet, Patriciæ Cæsariæ, an suapte manu laico liceret communionem capere; quatenus id facere moris esset ætate sua demonstrat. Cujus verba quoniam ad id, de quo agimus, opportunissima sunt, non erit otiosum hîc describere. τὸ δὲ ἐν τοῖς τοῦ διωγμοῦ καιροῖς (ait) ἀναγκάζεσθαί τινα μὴ παρόντος ἱερέως, ἢ λειτουργοῦ, τὴν κοινωνίαν λαμβάνειν τῇ ἰδίᾳ χειρὶ μηδαμῶς εἶναι βαρὺ, περιττόν ἐστιν ἀποδεικνύναι, διὰ τὸ τὴν μακρὰν συνήθειαν τοῦτο δι' αὐτῶν τῶν πραγμάτων πιστώσασθαι. πάντες γὰρ, οἱ κατὰ τὰς ἐρήμους μονάζοντες, ἔνθα μή ἐστιν ἱερεὺς, κοινωνίαν οἴκοι κατέχοντες

ἀφ'

ἀφ' ἑαυτῶν μεταλαμβάνουσιν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ, καὶ ἐν Αἰγύπτῳ ἕκαστος καὶ τῶν ἐν λαῷ τελούντων, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἔχει κοινωνίαν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. ἅπαξ γὰρ τὴν θυσίαν τοῦ ἱερέως τελειώσαντος, καὶ δεδωκότος, ὁ λαβὼν αὐτὴν ὡς ὅλην ὁμοῦ καθ' ἑκάστην μεταλαμβάνων, παρὰ τοῦ δεδωκότος εἰκότως μεταλαμβάνειν, καὶ ὑποδέχεσθαι πιστεύειν ὀφείλει. καὶ γὰρ καὶ ἐν ἐκκλησίᾳ ὁ ἱερεὺς ἐπιδίδωσι τὴν μερίδα, καὶ κατέχει αὐτὴν ὁ ὑποδεχόμενος μετ' ἐξουσίας ἁπάσης, καὶ οὕτω προσάγει τῷ στόματι τῇ ἰδίᾳ χειρί. ταυτὸν τοίνυν ἐστὶ τῇ δυνάμει, εἴτε μίαν μερίδα δέξεταί τις παρὰ τοῦ ἱερέως, εἴτε πολλὰς μερίδας ὁμοῦ. *Quòd autem per tempora perſecutionis cogebatur aliquis abſente ſacerdote, vel miniſtro, communionem ſuapte manu capere, non iniquo animo ferendum eſſe, ſupervacaneum eſt oſtendere: eo quòd inveterata conſuetudo id rebus ipſis affirmaverit. Etenim omnes, qui per ſolitudinem monaſticam vitam inſtituunt; ubi non eſt ſacerdotis copia, communionem domi habentes, de ſuis manibus accipiunt. Alexandriæ autem, & per Ægyptum, unuſquiſque, etiam laicus, ut*

ut plurimum habet domi ſuæ communionem. Nam cùm ſemel ſacerdos ſacrificium peregit, ac diſtribuit; qui illam integram ſimul accepit, dum quotidie de ipſa capit; meritò credere debet, ſe ab illo qui dedit, participare, & accipere. Etenim etiam in Eccleſia ſacerdos particulam porrigit; eámque retinet is, qui accepit plena cum facultate; atque ita manu ſua ad os admovet. Quamobrem vim eandem habet ſive particulam unam à ſacerdote quis accipiat; ſive plures ſimul particulas. Hæc Baſilius. Unde conſtat mos ille, quem Tertullianus ex traditione manaſſe vult, ut de manu ſacerdotis, aut præſidentis Euchariſtia capiatur; cùm primùm accipitur: minimè verò, quod Diſſertatio pugnat; ut ſibi quiſq; conficere hoc ſacramentum & ſacrificium ullo loco, vel tempore profanus homo potuerit.

CAP. III.

CAPUT III.

Cætera Dissertationis argumenta, ac loca veterum explicantur. De historia Frumentii; in qua multum lapsa Dissertatio est. Neque fæminas, neque inferiores sacerdote Clericos consecrasse unquam. Nicænus, Laodicenus, & Ancyranus Canon expositi.

ALIUD huic argumentum subjicit Dissertationis Auctor ex historia Frumentii, quam refert Theodoretus lib. 1. Histor. Eccles. cap. 23. Sed Dissertationis verba ipsa præstat audire, ut quam insincerè locus ille petractatus sit, quod subinde planum faciam, melius Lector intelligat. *Cùm* (inquit) *ad Indos, id est, ut interpretor, ad Æthiopas, qui ex eo semper Alexandrinum Patriarcham suspexerant, venisset ab Alexandria laicus Frumentius, auctor fuit his, quos ad*

ad Christum converterat, & paucis qui cum ipso erant, ut Theodoreti utar verbis, κατὰ τὸ Ρωμαίων ἔθος συναγείρεσθαί τε, καὶ τὰς ἱερὰς ἐπιτελεῖν λειτουργίας, *id est eo more, quo sub Romano imperio fieri solebat, & convenire, & sacra celebrare. At nemo ibi tunc Episcopus erat; nemo Presbyter; immò primus cum Episcopi dignitate, qui posteà presbyteros ordinavit, eò missus est post reditum suum Alexandriam, & rem renuntiatam ipse ille Frumentius ab Athanasio:* Hæc Dissertatio: in quibus partim de suo multa præter mentem historici; partim etiam contra illam adtexuit, ut caussæ suæ serviret. Hujusmodi, hoc est falsum, & contra Theodoreti mentem istud est, Frumentium *eos, quos ad Christum converterat,* & *qui cum ipso erant,* ad id hortatum fuisse, ut sacra celebrarent. Nam Theodoretus non Indos ipsos, out Æthiopas; sed Romanos negotiatores, qui mercaturæ gratia illûc appellebant, de ea re monitos refert à Frumentio. Theodoreti verba sunt ista, quæ ab Dissertationis auctore mutilari

mutilari non debuerant: Εὐσεβείᾳ δὲ συντεθραμμένοι τοὺς αὐτόσε τῶν ἐμπόρων ἀφικνουμένους κατὰ τὸ Ῥωμαίων ἔθος συναγείρεσθαί τε, καὶ τὰς θείας ἐπιτελεῖν λειτουργίας προέτρεπον. Hoc est: *Cùm autem in pietate essent educati, negotiatores, qui eò navigabant, Romanorum more conventus facere hortabatur, ac sacros ritus celebrare.* Camerarius Theodoreti interpres verba illa κατὰ τὸ Ῥωμαίων ἔθος, non ad sequentia retulit, sed ad præcedentia. Vertit enim, *mercatores, si qui, quemadmodum mos fert Romanorum, advenissent.* Sed præstat de sacris conventibus, & ritibus intelligere: uti Ruffinus facit; à quo historiam illam hausit Theodoretus, ut & Socrates, qui ante Theodoretum historiam scripsit, & Ruffini verba propius assecutus, nullam λειτουργίας mentionem facit, sed precum duntaxat. παρεκάλει (inquit) τόπους καταλαμβάνειν ἰδιάζοντας ἐπὶ τῷ τὰς Χριστιανικὰς ἐκτελεῖν εὐχάς. *Hortabatur, ut propria quædam occuparent loca; ut in his Christianas preces obirent.* Quocirca, ut ex Ruffini narra-

narratione constat, nec non Socratis, ac Theodoreti, quem unum Dissertationis Auctor adhibet; falsum est primùm, Frumentium Indis illis, quos ad Christi fidem adduxerat, suasisse, ut synaxes ac sacros ritus Romanorum peragerent. Hoc enim Romanis ipsis negotiatoribus consilium dedit, quibus cum nullos fuisse sacerdotes magis suspicari, quam liquidò affirmare potest Anonymus scriptor. Immò verò credibilius est, aliquos secum advexisse presbyteros, longinquæ comites navigationis; uti mos est hodiéque Christianis. Ita necesse non erit, laicis neophytis sacerdotum mandare partes; quod Dissertationis commentum plenius, ac validius ex Ruffino refellitur: quem illius historiæ fundum esse dixi; à quo cæteri omnes acceperunt: sic enim rem ille narrat; libro historiæ suæ primo, capite 9. *Idque dum agerent, & regni gubernacula Frumentius haberet in manibus, Deo mentem ejus, & animos instigante, requirere solicitius cœpit, si qui inter negotiatores Romanos Christiani*

ani eſſent; & ipſis poteſtatem maximam dare, ac monere ut conventicula per loca ſingula facerent, ad quæ Romano ritu orationis cauſſa confluerent. Perſpicuum eſt non Indos ipſos novos Chriſtianos ad illos conventus celebrandos inſtigaſſe Frumentium; ſed Romanos negotiatores.

Præterea iſtud etiam ex Ruffino colligitur, non illis auctorem fuiſſe Frumentium, ut ſacrificia celebrarent, ac ſacramenta conficerent; ſed tantummodo ut *orationis cauſſa* convenirent. Theodoretus verò, aut alius potiùs Interpres, qui in Græcum Ruffini Latina convertit, unde poſteà Theodoretus accepit; hæc verba, *orationis cauſſa confluere*, ita reddidit, τὰς ἱερὰς ἐπιτελεῖν λειτουργίας. Nam λειτουργίας nomen, ut & συνάξεως, universè ſignificat conventus publicos ſacróſque Chriſtianorum, qui vel ſacramentorum participandorum, ac divini ſacrificii obeundi cauſſa celebrabantur, vel orationum duntaxat gratia, & divini audiendi verbi. Auctor enim eſt Socrates libro 5. cap. 22.

Alexandriæ certis diebus, ut feria 4: & 6. synaxes fieri solitas, in quibus Scripturæ legebantur, & ad populum conciones habebantur, δίχα τῆς τῶν μυστηρίων τελετῆς, *sine ulla sacrificii, ac mysteriorum celebratione.* Quod ipsum aliis scriptorum testimoniis comprobare possem, nisi aut longior esse nollem; aut id modo ageretur; aut non alii denique hoc jampridem argumentum occupassent. Ad summam negari potest, & quidem Ruffino, ac rei veritate suffragante, sacras illas λειτουργίας, quas Frumentius negotiatoribus mandavit, adjunctam habuisse τὴν τῶν μυστηρίων τελετὴν, quas *orationis caussa* tantùm institutas fuisse Ruffinus ostendit.

Pergit Dissertationis auctor, & mulieres interdum Eucharistiam consecrasse videri nonnullis ait ex Actis S. Petronillæ, quam vetus Martyrologium refert a. d. pridie Cal. Jun. *Celebratis Dominicæ oblationis mysteriis, mox ut Christi sacramentum accepit, spiritum emisisse.* Verùm non dicit Martyrologium ab ipsa S. Petronilla

celebrata

celebrata fuiſſe; eſtque multo probabilius ab ſacerdote aliquo, qui pro illorum conſuetudine temporum, quam ex Cypriano ſuprà demonſtravimus, ad eam venerat, ea fuiſſe peracta. Quare αὕτη ἡ μήτρα ἐνδοξος ὐδὲν ἔπραξε. Clericos deinde ordinis inferioris, ut Subdiaconos, & Diaconos interdum obtuliſſe, conſecraſſéque adſtruit ex canonibus antiquis Conciliorum Laodiceni, Ancyrani, Arelatenſis primi.

Nam in Laodiceno, canone 25. decretum eſt, *non oportere miniſtrum panem dare, neque calicem benedicere:* ὅτι ὐ δεῖ ὑπηρέτην ἄρτον διδόναι, ὐδὲ ποτήριον εὐλογεῖν. Ubi ὑπηρέται ſunt Subdiaconi, ut Zonaras, & Balſamo docent: qui & ἄρτον διδόναι interpretantur diſtribuere Chriſti corpus in fideles: quod ſolis Diaconis conceſſum. Iidem & calici bene dixiſſe videntur, hoc eſt conſecrationis verba protuliſſe. Quanquam nihil neceſſe eſt εὐλογίαν iſtam conſecrationem eſſe putare. Licet enim aliud genus benedictionis intelligere; velut crucis

ſignum

signum, quod super calicem ducerent, id est vas sacrum, cùm hoc Diacono traderent; tamen ne conjecturæ nostræ indulgere videamur; demus alicubi per illa tempora consecrare ausos esse Subdiaconos, aut etiam Diaconos, quos offerre ultrà prohibet Arelatensis primæ Synodi canon decimus-quintus. non potest ex eo deduci id quod Dissertatio studet, verè, ac reipsa consecrasse. quin potiùs contrarium inde colligitur, consecrandi potestate caruisse, quia id facere prohibiti sunt.

Atenim iccirco jure illo, & potestate, quam alioquin habebant, uti prohibentur; quia non temere, ac quovis tempore id illis permissum erat facere: *ob pacis, & constituti regiminis reverentiam*; sed *in necessitatibus*, ut Tertullianus loquitur, & ubi deerat sacerdotum copia. Sed hoc gratis, nullóque idoneo argumento Dissertationis Auctor asserit.

Non enim ex eo quod canones illi sacerdotum munia ab iis, qui sacerdotes non erant, usurpata fuisse demon-

demonſtrant, conſequens eſt illos ſi non jure, certè reipſa conſecraſſe, panémque in Dominicum vertiſſe corpus; (ut Gregorius Nyſſenus ait capite 38. libri Catechetici, ἄρτος (inquit) πρὸς τὸ σῶμα τοῦ λόγου μεταποιούμενος. ad quod etiam, verbum μεταστοιχειῶσαι ibidem accommodat. quod eſt *tranſmutare*: ut cùm Cyrillus libro 2. Glaphyrorum partis ſecundæ, pag. 219. editionis prioris, aquas in Ægypto μεταστοιχειωθῆναι dicit in ſanguinem, Moſis virga percuſſas) Hanc ergo tranſmutationem, quam nos Catholici *tranſubſtantiationem* vocamus, nego alios unquam effeciſſe, adeóque ſacrificaſſe, quàm ſacerdotes. tentaſſe præter morem, prætérque fas, immò contra jus divinum, ac non ſine atroci ſcelere, Diaconos, aut inferiores miniſtros aliquando, non nego; neque verò ad rem, ut dixi, pertinet. Nam ex juris ac diſciplinæ corruptela, & exempli peſſimi facto, quod præſertim Eccleſiaſtica auctoritate damnatum ſit, non poteſt certa poteſtatis illorum fides, & auctoritas aſſumi.

Ac

Ac de diaconis quidem, extat Nicæni Concilii Canon decimus-octavus, qui offerendi, hoc eſt ſacrificandi jus & poteſtatem negat penes Diaconos fuiſſe. Itaque hac de cauſa nefas eſſe judicat, quod in quibuſdam locis fiebat, ut Euchariſtiam darent Preſbyteris Diaconi. Verba Canonis, quatenus ad rem faciunt, hîc legi debent. Ἦλθεν εἰς τὴν ἁγίαν, καὶ σύνοδον ὅτι ἔν τισι τόποις, καὶ μεγάλην πόλεσι, τοῖς πρεσβυτέροις τὴν εὐχαριστίαν οἱ διάκονοι διδόασιν· ὅπερ οὔτε ὁ κανὼν, οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκεν, τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. Hoc eſt, ut Dionyſius Exiguus Latinè reddidit, *Pervenit ad ſanctum, magnúmque Concilium, quod in quibuſdam locis, & civitatibus, Presbyteris gratiam ſacræ communionis diaconi porrigant; quod nec regula, nec conſuetudo tradidit, ut ab his, qui poteſtatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Chriſti corpus accipiant.*

Quo ex Canone liquet quantopere hallucinatus ſit Auctor Diſſertationis, idque

idque dupliciter. Nam & Subdiaconos exiſtimat *ob multitudinem communicantium creſcentem in dies* (verba ſunt illius) *non tantùm porrexiſſe panem, ſed & pronuntiaſſe verba illa, quibus calix benedicitur, ſive conſecratur: & deinde in poſterum id nondum Diaconis, ſed Subdiaconis tantùm interdictum*; videlicet Laodiceno illo Canone. Quæ poſteriora cùm adjicit, illud ſignificat, Subdiaconis, antequam canone iſto prohiberetur, perinde licuiſſe, ac Diaconis, offerre; Diaconis verò deinceps etiam id eſſe conceſſum, poſtquam Subdiaconis interdictum eſt. Atqui huic aſſertioni è diametro contrarius eſt Canon ille Nicænus; qui Diaconos, (quod de Subdiaconis multo magis intelligi par eſt;) nullo neque jure, neque conſuetudine offerre potuiſſe confirmat: ideóque nec Presbyteris Euchariſtiam dare. Nam ſi jure aliquo vel conſuetudine unquam obtuliſſent, etiam id quod obtulerant, hoc eſt Chriſti Corpus, ſacerdotibus impertiri potuiſſent; quos eo ſolo nomine iis,

qui offerendi jus habebant, sacerdotibus dare negat posse, quia offerendi potestate carebant. Porrò si, ut ex tanti auctoritate Concilii constat, neque jure, neque consuetudine Subdiaconi, aut Diaconi offerre, ac consecrare potuerunt, non solùm perperam Dissertationis Auctor ex Laodiceno Concilio; sed etiam ex Ancyrano contrarium infert. Quæ duo Concilia non longè absunt à Nicæni tempore. fuit ergo παράχρησις mera, non legitima consuetudo, ac recepta, quod utrique ministri sacerdotales alicubi partes attigerunt.

Verùm quod Diaconos attinet, majus in Ancyrani Concilii canone firmamentum novæ suæ opinionis habere se putat Dissertatio. Nam ibi decernitur, ut *Diaconi, qui sacrificarunt* (in persecutione) *ac posteà resipuerunt, & denuò certarunt, reliquum quidem honorem habeant; cessent autem ab omni sacro ministerio panem vel calicem offerendi, aut prædicandi.* Διακόνους ὁμοίως θύσαντας, μετὰ δὲ ταῦτα ἀναπαλαισάντας, τὴν μὲν ἄλλην τιμὴν ἔχειν,

ἔχειν, πεπαῦσθαι δὲ αὐτοὺς πάσης τῆς ἱερατικῆς λειτουργίας, τοῦ τε τὸν ἄρτον, ἢ ποτήριον ἀναφέρειν, ἢ κηρύσσειν. Duo ſunt in hoc canone, quæ Diſſertationi favere videntur: alterum, quod Diaconos vetat ultrà ſacerdotali munere fungi, quàm ἱερατικὴν λειτουργίαν vocat. Dionyſius enim *ſacerdotale miniſterium* vertit: alterum quod offerre panem & calicem prohibet. Id autem eſt ſacrificare. Porro ſi illius ordinis ſolos eos, qui ob culpam plectuntur, ab ſacerdotalibus miniſteriis excludit: ergo tam ipſi antequam peccarent, quàm cæteri, qui non peccarant, integrum jus idem retinuerunt, adeóque ſacerdotum partes expleverunt.

Atqui caſſa iſta ſunt & inania. Imprimis quod offerendi verbum eâdem notione ſumit, qua cum de ſacerdotibus agitur, ut ſit idem ac ſacrificium offerre, multum fallitur. Nihil enim hîc aliud ſignificat, quam repræſentare, ac porrigere panem, & calicem; idque dupliciter: aut ſacerdoti ſacrificaturo: aut populo,

 poſt

post utriusque consecrationem. Nam utrumque Diaconi fuit officium. Justinus Martyr in Apologia secunda, veteris Ecclesiæ morem fuisse testatur, ut consecratam à sacerdote, vel, ut Tertullianus post illum loquitur, à *præsidente*, Eucharistiam, Diaconi dent singulis, qui illîc assistunt. Ἐυχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος, καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν Διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι. *Postquam benedictione consecravit præsidens, & universus populus fausta præcatione acclamavit, tum qui vocantur Diaconi apud nos, dant cuilibet adstantium participare panem & vinum cum aqua, quæ benedictione consecrata sunt, & ad absentes deferunt.* Cyprianus in libro de lapsis, *offerendi* verbo usus est in illa Diaconorum significanda functione, qua Eucharistiam populo exhibent. *Ubi verò solennibus adimpletis, calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus*

bus cæteris locus ejus advenit, &c. Itaque *offerre calicem* non ſemper idem eſt, ac myſticam oblationem repreſentare Deo; ſed, cùm de iis qui ſacerdotes non ſunt, dicitur, eſt præbere populo, & propinare. Nam quod ἱερατικὴ λειτουργία in Ancyrano eodem Canone vocatur, tantundem eſt atque ἱερὰ, hoc eſt *ſacra*: quæ vox in quibuſdam codicibus occurrit, eámque Diſſertationis ipſe auctor expreſſit. Denique adverſus omnia illa Diſſertationis argumenta, interpretationéſque Canonum, unum illud objicimus Niceni Concilii teſtimonium, tanquam validum, impenetrabilem clipeum, quo iſtud definitum eſt; nunquam in Eccleſia jus aut uſum habuiſſe Diaconos, nedum aut inferioris gradus Clericos, aut Laicos, & quod etiam abominamur, fœminas, conſecrandi, ac ſacrificandi.

Sequitur Trullanæ ſynodi canon octavus & quinquageſimus, ex quo Diſſertatio colligi putat, non primis tantùm Eccleſiæ temporibus; ſed recentioribus etiam, obſervatum fuiſſe,

ut

ut Laici, ubi Presbyteri non erant, ſacra myſteria per ſe ipſi perciperent; & videlicet conſecrarent, offerréntque Deo. Hoc enim agitur, & in eo ſita eſt nova illa conjectura, opinióque Diſſertationis; non in ſola ſumptione, & admotione jam conſecratæ Euchariſtiæ: quàm nemo neſcit, id quod ex Baſilio ſupra demonſtravimus, acceptam à Diaconis, & reſervatam, ſi vellent, uſurpaſſe pro arbitrio Laicos, & ſuis ſibi manibus admoviſſe. Atqui Trullanus iſte Canon neutiquam de conſecratione, ac ſacrificatione loquitur, ſed de ſola ſumptione. Verba Canonis: Μηδεὶς τῶν ἐν λαϊκοῖς τεταγμένων ἑαυτῷ τῶν θείων μυστηρίων μεταδιδότω, παρόντος ἐπισκόπου, ἢ πρεσβυτέρου, ἢ διακόνου. *Nemo eorum, qui ſunt in ordine laicorum, divina ſibi myſteria impertiat, præſente Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono.* Vetat, inquam, hoc ſolum, ne laici corpus Chriſti per ſe ipſi capiant, uti ſacerdotes faciunt; ſed ut ab iis, aut Diaconis accipiant. de conſecratione, ac ſacrificio nulla mentio.

Addit poſtremò Diſſertatio quædam exempla moris illius, quo laicos, cùm deeſſet ſacerdos, conſecraſſe, & ſacrificium celebraſſe putat. Sed quæ affert nihil prorſus ad rem attinent: ſunt enim monimenta duntaxat adumbratæ ad veræ Euchariſtiæ ſpeciem, & imitationem, ceremoniæ cujuſdam ludicræ, & ab imperitis hominibus aſcitæ, non Eccleſiæ auctoritate conſtitutæ. Ut cùm in vitæ periculo, & in procinctu, milites, quibus communicare non licebat, panis, quo ad jentaculum utebantur particulam, ad ſimilitudinem Dominici corporis, Religioſiùs aſſumebant. quemadmodum & eulogiæ, ſeu benedicti panis fruſtula ab iis, qui non communicant, in parœciis manducari ſolent per Dominicos dies. Sed quid hoc commune habet cum vera conſecratione corporis & ſanguinis Chriſti, & oblatione, vel ſacrificio, quod in neceſſitate laicos obtuliſſe Diſſertationis auctor affirmat? Tantundem, hoc eſt nihil hanc conjecturam adjuvat, quod ex Eraſmi Epiſtola refert, quam ad Cutbertum

bertum Tonstallum scripsit libro Epistolarum XXVI. Ibi enim Erasmus synaxim quandam à laicis Apostolorum tempore celebrari solitam ait, adhibita precatione, & benedictione: & quem ibi panem sumebant, appellatum ab iis esse Christi corpus. Sed ibidem Erasmus hanc qualemcumque benedictionem secernit *à consecratione sacerdotali*, quam & *veram* nominat. Quare longè ab isto commento Dissertationis Erasmus absuit: quæ privatim, ubi necessitas ferret, veram, & sacerdotalem consecrationem laicos usurpasse confirmat.

CAP. IV.

CAPUT IV.

De altera quæſtione, quam Diſſertatio continet: An ſemper communicandum per ſymbola: ubi de communione, & uſu ſacramentorum agitur. Non licere cuiquam ab Eccleſiæ communione diſcedere. Expenduntur cauſſæ, propter quas interdum fas illud eſſe Diſſertationis Auctor exiſtimat.

CAPITE in altero Diſſertationis haud minoris offenſionis, ac periculi quæſtio diſceptatur: ſed in ea pertractanda breviores erimus, quàm pro rei magnitudine: quod utique nobis per Auctorem illius licet; qui in eo, quod probandum, definiendúmque ſumpſerat, verborum ſatis; rerum, & argumentorum adhibuit omninò nihil. Eſt autem illius capitis inſcriptio, *An ſemper communicandum per ſymbola.* cujus quæſti-

onis hæc sententia est; an sacramentorum, quæ in vera Ecclesia sunt, participatio usurpari necessariò debeat: ita ut nemo salutem consequi possit, qui non reipsa externis Sacramentorum ritibus initietur: an certis de caussis abstinere fas sit interdum à communione reliquorum fidelium: ut, cùm in Ecclesia Schismata sunt, & dissidia, nulli se parti quispiam addicat: sed privatim res agat suas: ac sine ullo Sacramentorum usu permaneat.

Posterius hoc dissertationis asseverat Auctor, & Joannis Chrysostomi exemplo, auctoritatéque comprobat: quem refert Socrates in libro sexto, capite tertio, cùm à Meletio Antiochiæ Episcopo Ordinatus esset Diaconus, eo Constantinopoli mortuo, ab Meletianis pariter, & Paulini parte segregasse se; quamvis utrique essent Catholici; ac triennio toto ab utriusque commercio patris abstinuisse. *Cujus* (ait) *exemplum secuti sunt, manente post Synodum Calchedonensem gravi per Ægyptum, Orien-*

temque

témque diſſidio, multi, qui ob id nomen ſibi διακρινομένων dedere, Latini *hæſitantes vocabant.*

Atque ut illud rectè ac prudenter agi nonnunquam, perſuadeat, docere contendit, nec in veteri lege, nec in nova, ſymbolorum, quibus Sacramenta conſtant, uſum præcepti neceſſitate conſtrictum fuiſſe. Nam & omiſſa circumciſio Joſue 5. eſt annis ferè quadraginta, quibus in deſerto circumducti ſunt Hebræi: & æneus ſerpens, quem ad populi ſalutem Moſes erexerat, ab Ezechia rege confractus 4 Reg. 18. 4. eſt. Tum in Chriſtiana lege cauſſæ incidunt aliquæ, propter quas intermitti communio poteſt; eque ſunt præcipuæ tres. Prima, *ſi qui præpoſiti ſunt Eccleſiis aut expreſsè, aut tacitè profeſſiones exigunt quarundam aſſertionum, quibus alterius conſcientia non adſentit.* Secunda, *ſi communio ſymbolica non modò uſum, ad quem nata eſt, non habeat, fovendæ, ac teſtandæ communionis cum omnibus piè Chriſtianis: verùm inſuper tendat ad te-*

standam patris duntaxat alicujus foederationem, rejectionémque aliorum non minus piè, ac Christianè viventium, & ad salutem necessaria, quæ non ita sunt multa, credentium. Tertia, cum putat is, *qui à communione partium abstinet, liberiùs solutiúsque exercere posse Christianæ dilectionis officia adversus dissidentes.* quod postremum spectasse Chrysostomus videtur. His igitur de caussis abstinere ab communione fas est, & illud Augustini usurpare: *Crede, & manducasti.* Hactenus Dissertationis Auctor.

Equidem de proposita ab illo quæstione sic statuo, quod & Catholici omnes profitentur; incidere nonnunquam ea posse tempora, ut in publicis de fide controversiis, scissa concordia, & in partes divisa duas, pluresve Christianorum multitudine, tandiu se privatus quispiam ab omnium communione suspendere debeat; donec liquidò constet, penes quos Catholicæ sit veritatis, Ecclesiæque possessio. quod ipsum neque diu, nec ubique terrarum dubium & obscurum

obſcurum eſſe poteſt. Ut ſi quis Romanæ, & veræ particeps Eccleſiæ in ignota, & longinqua urbe peregrinetur; in qua hæreticorum plura conventicula, & oratoria ſint; nec uſpiam Catholicæ cœtus copia ſit; poteſt, debétque privatim illîc religioni ſervire ſuæ, ac ſine ulla communione manere. Interim tamen danda illi opera eſt, ut ſciat, ecquid alicubi vel conveniendi cum Catholicis, vel ſacramentorum adhibendorum facultas detur. De quo aurea eſt illa Cyrilli Hieroſolymitani ſententia Catecheſi XVIII. Διὰ τοῦτό σοι νῦν ἠσφαλισμένως παρέδωκεν ἡ πίστις τό, Καὶ εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν· ἵνα ἐκείνων μὲν τὰ μιαρὰ συστήματα φεύγῃς, προσμένῃς δὲ τῇ ἁγίᾳ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ διὰ παντός, ἐν ᾗ καὶ ἀνεγεννήθης. κἂν ποτε ἐπιδημῇς ἐν πόλεσι, μὴ ἁπλῶς ἐξέταζε ποῦ τὸ κυριακόν ἐστι. καὶ γὰρ αἱ λοιπαὶ τῶν ἀσεβῶν αἱρέσεις κυριακὰ τὰ ἑαυτῶν σπήλαια καλεῖν ἐπιχειροῦσιν, μηδὲ ποῦ ἐστιν ἁπλῶς ἡ ἐκκλησία. ἀλλὰ ποῦ ἐστιν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία. τοῦτο γὰρ ἴδιον ὄνομα τυγχάνει τῆς ἁγίας ταύτης, καὶ μη-

τρὸς

πρὸς ἡμῶν ἁπάντων. *Propterea nunc tibi summa hoc cautione fides tradidit: & in unam sanctam Catholicam Ecclesiam: ut illorum quidem* (hæreticorum) *detestandos cœtus fugias, maneas autem perpetuò in Ecclesia Catholica, in qua & regeneratus es. Ac si quando peregrineris in urbibus, ne simpliciter inquirito ubi est Dominicum. Nam & cæteræ impiorum hæreses Dominica vocare speluncas suas audent. neque ubi est simpliciter Ecclesia: sed ubi est Catholica Ecclesia. Hoc enim proprium est nomen sanctæ hujus, & matris omnium nostrûm.*

Sic Hieronymus cùm in Syria degeret, & in Antiochena diœcesi; quæ tum varias in factiones divisa erat, non modò Catholicis & hæreticis, sed etiam illis inter se discordantibus, ab omnium communione se continuit. Erant autem Antiochiæ tum episcopi, præter Arianum, tres, Meletius Catholicus, sed ab Arianis primùm ordinatus; Paulinus, & ipse Catholicus, & Romanæ sedis communionem habens (fallitur enim Marianus

rianus Victorius, qui in Scholiis ad Epistolam Hieronymi 57. Hæreticum hunc fuisse scribit) & Vitalis ex Apollinarii secta. Cùm igitur ab illis solicitaretur Hieronymus, uti tres hypostases in sacrosancta Trinitate profiteretur, & ad se quisque illum conaretur allicere, nemini est obsecutus: Sed *Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore commendatam censuit consulendam: Inde animæ suæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta susceperat.* Sic enim ad Damasum Romanum Pontificem scripsit. Tum addit ista: *Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri Communione consocior. super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio.* Postremò in fine Epistolæ rogat ut significet, quî cum apud Antiochiam communicare debeat. Itaque tanti viri exemplum documento esse potest, quid in simili caussa Catholicus homo facere debeat.

Idem

Idem & de Chrysostomi facto judicium est: qui post Meletii obitum, quo cum communicarat, adeò ut Diaconus ab illo etiam ordinaretur; ab ejus successore Flaviano se subtraxit; multorum in eo Pontificum auctoritatem secutus; velut Gregorii Nazianzeni; &, quod caput est, ipsius Romani Pont. qui omnes Flaviani communionem abdicarunt: quem constabat præter fas, & datæ fidei Religionem, Antiochenam ad Cathedram pervenisse. Ita enim Meletium inter, & Paulinum convenerat, ut simul alterutrum mors occupasset, ne altero superstite secundus ordinaretur antistes. Tandem opera Theophili Flavianus Romano Pontifici reconciliatus est, ut refert Socrates libro 5. cap. 15. Meminit & Ambrosius Epistola nona. Non est itaque mirandum, si Chrysostomus, qui Meletii partes hactenus fovebat, post ejus obitum, neque cum ejus successore, quòd per nefas sedem illam obtineret, communicare voluerit: neque cum Paulino, cui nunquam adhæserat.

hæſerat. Quod non eo conſilio fecit, ut Diſſertatio putat, quòd magni momenti eſſe non crederet externam, ac ſymbolicam communionem. ſed quod temerè alterutri ſe parti nollet addicere. Peſſimè autem & impiè *Hæſitantes* illi, quos Chryſoſtomi ſecutos exemplum haud rectè Diſſertationis Auctor exiſtimat: qui cùm de vera, & ſola catholica Eccleſiâ facilè conſtaret, tam ab ea, quàm ab Hæreſi Eutychianorum divulſi, novam ſectam, vel monſtrum potiùs inſtituerunt; Zenonis Henoticon amplexi. quorum ex grege fuit Anaſtaſius Imperator, homo illaudatus. quem nemo ſanus, & ſalutis amans ſuæ, ſibi in exemplum debet aſſumere. Nam quemadmodum Calchedonenſis Concilii auctoritas apud pios omnes, & catholicos nunquam in controverſiam vocata eſt; ſic damnata ab illo Eutychianorum factio pro execranda hæreſi omnium eſt habita judicio; adeóque portio hujus quæ fuit, ἡ τῶν διακρινομένων ſecta; quæ alias omnes à quibus diſſidebat, impietate ſuperabat.

Non potest igitur facilè dubitari, qua sit in parte vera, & catholica Ecclesia; & ab omni se omnium Communione jure aliquis posse putet abstrahere. Est enim sole ipso clarior, & manifestior, atque in propatulo posita: neminem ut latere diu posita: neminem ut latere diu possit, si quis ad eam suis notis agnoscendam, ac discernendam paullulum operæ, & candoris adhibeat. Quod adversus Donatistas omnibus ferè paginis, quas contra illos elucubravit, occinit Augustinus. Insignis est inter alia locus ille ex Epistola XLVIII. *Quomodo autem* (inquit) *confidimus ex divinis literis accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus Ecclesiam manifestam? Quaslibet quisque ansas, vel uncos adversus simplicitatem veritatis intexat. quaslibet nebulas callidæ falsitatis offundat, sicut anathema erit, qui annuntiaverit Christum neque passum esse, neque tertia die resurrexisse, quoniam in veritate Evangelica accepimus, Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: sic erit anathema*

quisquis

quisquis anuntiaverit Ecclesiam præter communionem omnium gentium: ac cætera deinceps; in quibus eam esse veram, cognitúque haud difficilem Ecclesiam docet, quæ per totum orbem diffusa est, quæque (ut ait Boëtius in libro de Trinitate) *quod ejus cultus per omnes pænè mundi terminos emanavit, catholica, vel universalis vocatur.* Quo *catholicæ* vocabulo ab cæteris conventiculis, quæ falsò sibi Ecclesiæ nomen assumunt, vera Christi Ecclesia distinguitur; ut Pacianus Epistola I. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi jam citata xviii. Boetius, & Augustinus, libro de vera Religione, capite vi, & vii. & libro contra Epist. fundam. cap. iv. aliique complures asserunt. Quemadmodum & *Romanæ* vox eandem discernit ab reliquis: ut tantumdem sit dicere *Romanum*, quod Catholicum. Itaque Gregorius Turonensis testis est in libro de gloria Martyrum, capite xxx. xxxv. & LXXIX *Romanos* ab hæreticis appellari consuevisse *homines nostræ*, ut ille loquitur, hoc est

licæ *Religionis*, quoniam Cathedra illìc est Petri, *Ecclesiæ Catholicæ matrix, & radix*, ut Cyprianus ait Epistola XLV. Cyrillus verò Alexandrinus *Pontificatus arcem* vocat, ut testatur Arnobius in disputatione contra Serapionem. Nec omittere possum pulcherrimum de eâdem elogium Gregorii Nazianzeni, quo & fidei, quæ in ea tempore suo prædicabatur, integritatem; & ejusdem principatum illustri præconio commendat; cùm è contrario altera & nova Roma, cui quondam præfuerat, ab Catholica defecisset fide. Sic igitur ille cecinit in Carmine de vita sua.

Τούτων δ' ἡ πίστις ἡ μὲν ἦν ἐκ πλείονος,
Καὶ νῦν ἔτ' ἐστὶν εὔδρομος, τὴν ἑσπέραν
Πᾶσαν δέουσα τῷ σωτηρίῳ λόγῳ
Καθὼς δίκαιον τὴν πρόεδρον τῶν ὅλων,
Ὅλην σέβουσαν τὴν Θεοῦ συμφωνίαν.
Ἡ δ' ἦν τὸ πρόσθεν ὀρθόπους, νῦν δ' οὐκέτι.
Ταύτην λέγω δὴ τὴν ἐμήν, εἴτ' οὐκ ἐμήν.

Harum verò fides, ista quidem jampridem,

Et

Et nunc adhuc prospero cursu progreditur, Occidentem
Totum adstringens salutari doctrina:
Uti par est eam facere, quæ universis præsidet;
Totam colentem Dei concordiam.
At illa recto quidem pede incedebat anteà. nunc verò non item.
Hanc dico, quæ mea quondam erat: nunc non est mea.

Sed & Augustinus Epistola cv. affirmat eandem ætate sua fidem Romana in Ecclesia perseverasse, cui Paulus testimonium præbet. Meritò igitur Optatus Melevitanus adversus Donatistas veram sibi vendicantes Ecclesiam in secundo libro disputans, cùm alias notas verioris affert Ecclesiæ, quæ in nullam aliam hodiè, nisi Romanam competunt: tum eam, quæ ex Petri Cathedra, & Romanorum successione Pontificum ducitur. quod & Irenæus tanto antè fecit in tertio libro, capite tertio. Sed hæc obiter; quæ eò spectant, ut hoc ostenderem, quod paullo antè posui, perfacile esse suis

ſuis notis veram Eccleſiam dignoſcere: nec eam latere poſſe, quæ ut ex Cypriano, libro de ſimplicitate Prælatorum, refert Auguſtinus lib. II. contra Gaudentium, cap. II. *Domini luce perfuſa, per totum orbem radios ſuos porrigit.*

Jam ſi & ubique diffuſa, & palam omnibus cognita vera & Catholica eſt Eccleſia; (quod toties prædicat Auguſtinus in libris contra Donatiſtas) nunquam deeſt fidelibus, qui cum Sacramentorum, acrituum Communione jungantur. neque porrò cauſſam ullam poteſt habere quiſquam, propter quam ab illa ſeſe, quam ſolam eſſe veram, & Catholicam ignorare non poteſt, Societate diſtrahat. Hoc enim nihil aliud eſt, quàm ſibi viam ſalutis omnem intercludere. Si quidem extra Eccleſiam, & Eccleſiæ communionem ſalus eſt nulla. *Quiſquis* enim (ait Auguſtinus Epiſtola CLIII,) *ab hac Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quòd à Chriſti unitate diſiunctus eſt, non habebit vitam;*

vitam; ſed ira Dei manet ſuper eum. Et Gregorius Papa lib. xiv. Moral. cap. II. *Sancta* (inquit) *univerſalis Eccleſiæ prædicat, ſalvari veraciter niſi intra ſe non poſſe, aſſerens, quòd omnes, qui extra ipſam ſunt, minimè ſalvabuntur.* Quocirca *nihil ſic debet formidare Chriſtianus;* (ut verbis utar Auguſtini Tractatu xxvii. in Joannem) *quam ſeparari à Corpore Chriſti. Si enim ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum ejus. Si non eſt membrum ejus, non vegetatur ſpiritu ejus.*

Fruſtra ergo Diſſertationis Auctor *juſtiſſimas* quaſdam *cauſſas intermittendæ Communionis* eſſe dicit; maximè tertiam, ut *à partium communione abſtinens liberiùs, ſolutiúſque exercere poſſit Chriſtianæ dilectionis officia adverſus diſſidentes.* Nam cùm de vera & Catholica Eccleſia ſermo eſt (de qua ſola hîc à nobis agitur) ejus ſic amplectenda, ac retinenda communio eſt, ut ab reliquis omnibus, quæ illi adverſantur, penitus abhorreamus; neque commune cum iſtis habeamus quippiam. Quocirca

ca neque Sacramentorum, ac symbolorum omittenda participatio est; quoniam obtineri aliter communio non potest. Quippe, ut Augustinus scribit libro XIX. contra Faustum, cap. XI. *In nullum nomen Religionis seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur: quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimùm: & ideò contempta sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas.* Potest quidem interdum fieri, ut ab usu sacramentorum, & communione Ecclesiæ homo Catholicus abstineat: velut persecutionis tempore, si in cryptis ac latebris delitescat; aut alioqui sine periculo capitis ad Ecclesiam adire nequeat. Sed quas caussas Dissertationis affert Auctor, eæ sunt nullæ. Quod enim ad primam pertinet, quam ejusmodi fingit; *Si qui præpositi sunt Ecclesiis, professiones exigant quarundam assertionum, quibus alterius conscientia non assentitur:* si hæc legitima est, Hæretici

tici omnes extra culpam erunt: qui se ideò ab Ecclesiæ unitate sciderunt, quod *earum assertionum professionem exigerentur*, quibus ipsorum conscientia refragabatur. Sic Ariani; sic Nestoriani; sic Eutychiani; & nostro tempore Lutherani, Calvinianique omnes justissimè fecisse putandi sunt, qui solam (ut vocant) *conscientiæ libertatem*, discessioni suæ, ac schismati prætendunt. De assertionum itaque genere isto clariùs, ac liquidiùs Dissertatio loqueretur. Nam si falsæ sunt, & Scripturis Conciliorúmque contrariæ decretis; non possunt ab Ecclesia probari, nec earum extorqueri professio: si quidem vera est Ecclsia illa, & Catholica, *quæ fundata supra petram, columna est, & firmamentum veritatis.* Quanto ergo justiùs conscientia ipsa corrigeretur; ut assertionibus istis ab Ecclesia sibi propositis assentiri auderet; *etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum se appertissimè ostenderet.*

Matth. 16. 18.
1 Tim. 3. 15.

Quod Augustinus libro contra Epistolam fundamenti, capite iv. præcipit. Nam de horum, quæ sibi proponerentur, æquitate, ac veritate, etsi nondum intelligeret, meritò dubitare non posset, si, quod gravis auctor scribit Epiphanius in Alogorum hæresi, quæ est LI. recordari vellet, Catholicam Ecclesiam ἔχειν τῆς ἀσφάλτου τὴν δύναμιν, τὴν ἀποδιώκουσαν τὰ δεινὰ, καὶ ὀλετήρια ἑρπετώδη διδάγματα. *habere vim bitumini similem, quæ mala & perniciosa, serpentináque dogmata, doctrinásque propulsat.* Sed enim præclarè S. Hilarius in octavo libro, *Multi sunt* (inquit) *qui simulantes fidem, non sunt subditi fidei; sibique fidem ipsi potiùs constituunt, dum quæ volunt, sapiunt, & nolunt sapere quæ vera sunt; cùm sapientiæ hæc veritas sit, ea interdum sapere quæ nolis.*

Sic altera illa caussa *communionis intermittendæ*, subdolè, parúmque sincerè concipitur ita: cùm symbolica communio *tendit ad testandam partis duntaxat alicujus fœderationem, rejectionémque aliorum non minus piè,*

ac

ac Christianè viventium, & ad salutem necessaria credentium. Etenim vera Ecclesia; quæ, ut dixi, sola hîc agitur, & à Dissertationis auctore debet intelligi; uti Catholica est, id est universalis; sic universos amplectitur, ac neminem respuit, qui piè Christianéque vivat: hoc est fidelis qui sit, & fidem integram præstet, quæ fundamentum est pietatis. Nam quod satis esse putat homini Christiano quæ sunt ad salutem necessaria credere, captiosè, & ambiguè loquitur. Si enim id eatenus interpretatur, ut ea scire, & explicatè, ac distinctè nosse sufficiat, quæ ad salutem sunt necessaria; verè istud dicitur, si quidem de idiota, & imperito homine sermo sit. (Nam plerisque ipsa gradus, ordinísque conditio notitiæ cujusdam exquisitioris affert necessitatem.) Sin illud intelligit sic, ut in iis tantummodò, quæ ad salutem sunt necessaria, Ecclesiæ auctoritatem sequi oporteat; in cæteris etiam contra illam sentire, eique adversari liceat; vehementer errat. Perinde enim

est ac si quis dicat, in iis, quæ ad salutem pertinent, scripturæ adhibendam esse fidem; in aliis dissentire fas esse. Velut in præteritarum rerum narrationibus, & historiis: quæ nostra nihil interest, hoc modo, an secus evenerint. Quod falsum & impium esse dictu, Christianus nemo dubitat. Quamobrem multa, quæ in scriptura, vel in Ecclesiasticis dogmatibus continentur, ignorare salva pietate & Catholica communione possumus. Quippè, ut rectè Prosper adversus ingratos capite xxxv. cecinit.

Multa etenim bene tecta latent, nescitáque prosunt,
Dum mansueta fides quædam dilata modestè
Sustinet, & nullo ignorat non edita damno.

Verùm contradicere, ac pro falsis habere quæ utrobique traduntur, sine grandi scelere, ac fidei, salutísque jactura non possumus. *Cùm enim principium*

principium verborum Dei veritas sit (ait Ambrosius in Psal. cxviii. Octon. xxi) *veritas utique fidei firmamentum est. Primum etenim oportet ut credamus vera esse Dei summi, quæ in Divinis scripturis legimus oracula.* Nec minus vera sunt, & ab iis credenda, qui doceri ab Ecclesia norunt, quæcumque illa prædicat: cujus auctoritate ut Evangelio, scripturisque adeò crederet omnibus, commoveri se fatetur Augustinus in libro contra Epistolam fundamenti capite v.

Tertia denique caussa, cur ab communione partium, si quando dissidia nata sunt, abstinere aliquis possit; uti dissidentibus charitatis officia præstet: absurda est, si partium illarum una sit vera & Catholica Ecclesia, cujusmodi ab Auctore Dissertationis intelligi par est; nisi frustra conflictari tota illa Disputatione velit. Quis enim, nisi demens, aut atheus, studio commodandi alienatis ab Ecclesia Catholica vel hæreticis vel schismaticis, licere sibi putet ab illius communione

ne recedere; & quo nihil formidandum magis esse dicit Augustinus Tractatu in Joannem xxvii. id sibi sponte, voluntatéque arcessere, ut se ab Christi corpore sejungat? Quis aut Petro Apostolo sapientior: aut majoris spe utilitatis induci potest, quàm præ se ferebat ille dum tantisper non ab Ecclesiæ Catholicæ, sed ejus partis cujuspiam communione, hoc
Gal. 2. 12. est ab gentibus Christianis *subtrahebat, & segregabat se, timens eos, qui ex circuncisione erant?* At is ob eam simulationem meritò est à Paulo reprehensus; qui se illi *in faciem restitisse* ait ad Galatas scribens, c. II. *quia reprehensibilis erat.* Si reprehensione dignus est, qui ab alicujus partis Ecclesiæ communione abstinet, ut alteri ejusdem Ecclesiæ parti consulat; credo reprehensionem is effugiet, qui ut adversariis Ecclesiæ commodet, ab totius se hujus communione divellit. Non erit opinor; neque sub illa specie quisquam ab communione sacramentorum, ac symbolorum abstinens, sola

ſola interiori, & occulta fide poteſt Catholicus eſſe contentus. Quoniam & *qui mecum non eſt* (ait Chriſtus) *contra me eſt*; &, ut Apoſtolus dicit, *corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, &, *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt*. Quibus locis, aliiſque ſexcentis externæ fidei profeſſionis neceſſitas imponitur: quæ in uſu ſacramentorum majori ex parte; in externa autem cum Eccleſia Catholica communione tota conſiſtit.

Luc. 11. 23.
Rom. 10. 10.
Matth. 10.33.

C.P. V.

CAPUT V.

De duplici scripturæ loco; altero Joannis sexto, in quo usus Eucharistiæ præcipitur: altero Joannis tertio; ex quo Baptismi necessitas adstruitur. Uterque falsò ab Dissertationis auctore acceptus. Sine Baptismo parvulos in æternum perire.

DUo sunt ex tota Dissertatione, Scripturæ loca reliqua, quibus quoniam externa illa, quam dixi, professio communióque Sacramentorum, tanquam necessaria, præscribitur, ideò Dissertationis hæc auctor ab vero, & germano sensu detorquere conatus est.

Primus est Joannis VI. 53. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* quibus verbis præceptum dedit fidelibus vescendi corpore

corpore ſuo, ac bibendi ſanguinis ſui. Ita veteres omnes hunc locum interpretati ſunt, & Catholici recentiores, pauciſſimis exceptis. Porrò Lutherus; deinde Calvinus ex hæreticorum grege ab communi, & antiqua, & veriſſima illa ſententia deflexêre: ut de fide, ac ſpirituali alimonia potiùs intelligerent, quam tum conſequimur, cùm in Chriſtum, ejúſque paſſionem, ac reſurrectionem credimus. Plerique tamen ex amborum diſcipulis quâ ſcientes; quâ imprudentes in communem incidunt: dum ex hoc eodem loco Catholicos urgere ſe putant ad uſum calicis promiſcuè omnibus permittendum. Neque enim locus alius eſt, ex quo illius neceſſitas tam perſpicuè ſuaderi poſſit.

Non ero longior in hac re diſputanda, quæ alterius & otii eſt, & inſtituti. Complures eam tractavere cùm interpretes; tum propriis ſcriptis Theologi, intérque cæteros Maldonatus eruditè in hoc argumento verſatus eſt in Commentariis ad illum locum. Nec diſſentit Auguſtinus; quod Diſ-

Q ſertatio

ſertatio putat. Sed in hujus, aliorúmque Patrum explicandis locis immorari piget. quod illi, in quos digitum intendi, plenis commentariis occuparunt.

Nam quod Diſſertationis objicit ſcriptor, ex illo loco antiquos perperam colligere ſolitos uſum Euchariſtiæ etiam infantibus eſſe neceſſarium, primùm in eo ipſo pugnantia loquitur. Non enim ita concluderent veteres; niſi de *ſymbolorum Euchariſticorum*, ut ipſe vocat, uſu, ac *reali* manducatione Chriſti verba illa caperent. Atqui Auguſtinum auctorem allegat idem contrariæ interpretationis, quæ de ſola fide iſtìc agi cenſet, cùm tamen ejus opinionis, quæ parvulis neceſſariam eſſe Euchariſtiam conſtituit, acerrimus contra Pelagianos patronus ille fuerit, ut in libro I. de Peccat. mer. & remiſſ. cap. XX. & Epiſtola CVII. & aliis in locis. Deinde vel iſte ipſe conflictus antiquorum arguit, quàm non cujuſvis ſit ſcripturarum interpretari ſenſum, ac fidei illius

illius ex verbis dogma concludere; ac ſi τὸ ῥητὸν præcisè ſpectemus, neque in ejus pronuntianda ſententia ex Eccleſiæ auctoritate pendeamus, quàm proclivis in errorum præcipitia ſit lapſus. Uno verbo; neque nos illis Chriſti verbis præceptum putamus editum fuiſſe, dandæ parvulis Euchariſtiæ; non magis, quàm amentibus, ac furioſis. & tamen de *reali* ſacramenti (ut vocant) uſu illa eadem interpretamur. qui uſus ex Eccleſiæ more, ac judicio, non pro cujuſque arbitrio, ac libidine moderandus eſt. Neque enim ſi nihil expreſsè Chriſtus de tempore participandæ Euchariſtiæ, ac modo præcepit, ideò cuilibet fas eſt ſibi, quam velit, illius uſurpandæ regulam præſcribere. Immò verò communis omnium matris Eccleſiæ pro lege amplectenda eſt auctoritas; vti cenſet Auguſtinus in Epiſtola LXXXVI. *In his* (inquit) *rebus, de quibus nihil certi ſtatuit divina ſcriptura; mos populi Dei, & inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt:* ac tantum abeſt ab eo,

ut Ecclesiasticas sanctiones, ac scita majorum inter ἀδιάφορα referri sinat; quæ cuivis observare, aut omittere pro libito fas sit, ut *sicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coërcendos esse sentiat.* Cui & Basilius adstipulatur in Epistola ad Amphilochium, Et in libro de Spiritu S. capite xxvii. ubi pleraque dogmata Ecclesiæ, sine scripto, traditione sola constare dicit: maximè illa, quæ ad usum sacramentorum attinent; quæ majores nostri minus literis commendarunt, καλῶς δεδιδαγμένοι τῶν μυστηρίων τὰ σεμνὰ σιωπῇ διασώζεσθαι, ἃ γὰρ οὐδὲ ἐποπτεύειν ἔξεστι τοῖς ἀμυήτοις, τούτων πῶς ἂν ἦν εἰκὸς τὴν διδασκαλίαν θριαμβεύειν ἐν γράμμασι; *Rectè*, inquit, *edocti, Religiosa Sacramentorum arcana silentio conservari. Nam quæ ne aspicere quidem nondum initiatis licet; qui tandem consentaneum erat eorum disciplinam literis publicè traducere?* Egregius omninò locus, & ad Dissertationis confutandam rationem aptissimus: quæ pro eo quod de usu

ſymbolorum Euchariſticorum nihil expreſſè Chriſtus edixerit, aut in Scripturis proditum extet; Chriſtianos ad ſimplicem illam rudémque Diſciplinæ formam revocat; & pro cujuſque arbitrio ab communione totius Eccleſiæ, communioniſque teſſera, hoc eſt participatione Sacramentorum abſtinere permittit. Quid enim aliud facit, cùm juſtiſſimam eſſe cauſſam hanc intermittendæ communionis cum Eccleſia Catholica demonſtrat, *ut liberius exerceri poſſint Chiſtianæ dilectionis officia adverſus diſſidentes?* Utique enim nunquam *juſtiſſima* illa cauſſa deerit: quia perpetuò qui ab Eccleſia diſſideant futuri ſunt, hæretici ac ſchiſmatici: quorum ſalus & conciliatio tanti eſſe debeat, auctore Diſſertatione; ut communionis cum Eccleſia, ac ſalutis adeò propriæ jactura recuperanda ſit. Sic non optare ſolùm cum Apoſtolo Paulo, ſi fieri poſſet, εἰ ἐνεχώρει, εἰ ἐνεδέχετο, ut Photius, aliique Græci Interpretes exponunt; ſed reipſa ſe anathema facere, & ab Chriſto, ejúſque corpore

corpore sejungi, non *pro fratribus*; sed pro extraneis, & hostibus *justissimum* esse Dissertationi videtur: pro iis, inquam, quos idem Apostolus αὐτοκατακρίτους *proprio judicio condemnatos* appellat in ea, quæ est ad Titum, capite III. 11. quósque *post unam & secundam correptionem devitandos* admonet. Quanto tutius est in illa ipsa manere; si in ea est adhuc, Ecclesia: si non est; ad eam adjungere sese; ab illius communione ne punctum quidem temporis recedere; illam denique magistram, & scripturarum, & Traditionum custodem, & interpretem auscultare; cui condendarum legum, &, ut iis obtemperent, cogendorum fidelium potestas divinitus est facta? Nisi fortè illud nobis excidit, quod Apostolus ad Romanos scribit capite xiii. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei Ordinationi resistit. qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ideo*

necessitate

necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Neque enim adeò quenquam insanire puto, ut quod Apostolus de observandis gentilium principum legibus, & Edictis, velut Neronum, ac cæterorum Christiani populi carnificum, sanxit: quibus non metu solùm, sed etiam *propter conscientiam* parendum esse decernit; idipsum non ad spirituales, Ecclesiasticásque potestates multo magis accommodandum censeat: quæ & potestates sunt, & ex eodem divinæ auctoritatis fonte manarunt. Nam, *Quis vos audit, me audit* (ait Christus Lucæ x. 16.) *& qui vos spernit, me spernit.* Et, *Si autem Ecclesiam non audierit; sit tibi sicut ethnicus, & pubicanus.* Math. xviii. 17.

Habet autem vim legis præscriptique fidei, non expressa tantùm imperantis Ecclesiæ auctoritas; sed usu, ac voluntate illius corroborata consuetudo, ac traditio: ut iidem paullo à me antè citati Patres asserunt, Basilius, & Augustinus; tum Eusebius

bius Cæsariensis lib. 1. de Demonstratione pag. 20. Gregorius Nyssenus libro III. cap. iv. Porrò in eo, de quo modo agitur, usu sacramentorum, & communione; nec non in Christi verborum apud Joannem interpretatione; utrumque convenit; & traditio consuetudóque; & viva Ecclesiæ vox, Conciliorùmque decreta, *quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas* (ait Augustinus Epistola cxviii.) quibus quidem *qui resistit, Dei ordinationi resistit.* tantum abest, ut injussu Ecclesiæ; immò renitente, ac vetante illa, κατ' οἰκονομίαν, καὶ συγκατάβασιν, aut cujuscumque spe lucri, atque commodi; ejusmodi aliquid usurpare liceat. Quid enim absurdius est, quàm istud ipsum, quod pœnæ loco adversus delinquentes Ecclesiæ, Conciliorúmque decreta constituunt; ut aliquanto tempore à communione fidelium, & participatione sacramentorum abstineant; sibi hoc quemque sponte sua, ac citra ullum crimen imponere? Sed de hac re plus satis.

Superest

Superest locus alter ex Joannis capite III. 5. ex quo baptiſmi neceſſitas oſtenditur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu; non poteſt introire in regnum Dei.* Quem locum de Baptiſmi ſacramento Catholici omnes accipiunt; ut & veteres omnes; præſertim qui adverſus Pelagianos ſcripſerunt: qui, quod iſti negabant, cum Originali peccato naſci parvulos: &, niſi gratia mediatoris per Baptiſmi Sacramentum reipſa ſuſceptum ſuccurreret, ituros in æternam damnationem iiſdem ex illis verbis docuerunt. Quod in omnibus libris accuratiſſimè teſtatur Auguſtinus, quibus illam oppugnavit hæreſim. Idem & Proſper, & Fulgenitus aliique tradunt: quos commemorare longius ſit; &, quod caput eſt, plenaria Concilia, ac tota deinceps Eccleſia conſtantiſſimè hactenus tenuit. At Diſſertatio *errorem* hunc vocat, putare vel in illo Joannis loco agi de Baptiſmi Sacramento, quod in aqua confertur: vel parvulos ſine eo

æternis pœnis obnoxios esse. Quasi Christianus ullus ab Augustini præsertim seculo, ac post auditum Pelagianæ nomen hæresis, aliter senserit, aut scripserit; aut de eo vel levissimam dubitationem habuerit.

Quinetiam longè ante Augustinum, ac Pelagiana tempora, idem tradidit Cyprianus; quem contra Pelagianos testem citat Augustinus libro tertio de Peccat. merit. & remiss. cap. 5. Sic enim ille in Epistola ad Fidum, quæ est LIX. interrogatus utrum Baptismus parvulis ante octavum diem dandus esset; minimè differri oportere respondet; ne illorum anima pereat. *Nam cùm Dominus in Evangelio suo dicat; **Filius hominis non venit animas hominum perdere; sed salvare**: quantum in nobis est, si fieri potuerit, nulla anima perdenda est.* Perituræ igitur infantium animæ sunt; nisi baptismi illis unda succurrerit. Unde verò pernicies animis hæc incidat, posteà declarat, & originalis peccati labem detegit his verbis: *Porrò autem*

autem si etiam gravissimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, cùm postea crediderint; remissa peccatorum datur, & à Baptismo, atque à gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? Idem & in plenario totiùs Africæ Concilio Sancitum est Canone 2. ex iis, qui Milevitanæ secundæ Synodo perperam inscribuntur, cùm sint Carthaginensis, ut ex Cœlestini Papæ Epistola ad Episcopos Galliæ constat. Et ante hoc Concilium, duo alia provincialia istud ipsum decreverant; Carthaginense, cujus extat synodica, quæ in Augustini Epistolis est XCI. ubi inter cætera Patres, *Parvulos etiam* (inquiunt) *propter salutem, quæ per salvatorem Christum datur, Baptizandos negant: ac sic eos mortifera ista Doctrina in æternum necant; promittentes etiamsi non Baptizentur, habituros vitam æternam.* Et Milevitanum:

cujus item synodica, quæ apud Augustinum est XCII. sic habet: *Pueros quoque parvulos, si nullis innoventur Christianæ gratiæ Sacramentis, habituros vitam æternam, nequam præsumptione contendunt.* Nec illustre cum primis ejusdem Augustini testimonium ex infinitis, ut constat, omiserim. qui in Sermone XXXIII. de Diversis, miraculum insigne refert infantis nondum Baptizati, sed adhuc Catechumeni, Sancti Stephani meritis ad vitam excitati: itáque scribit: *Mulier quædam amisit in gremio ægrotantem filium Catechumenum infantem lactentem. Quæ cùm vidisset amissum, & irreparabiliter perditum, cœpit eum magis flere fideliter, quàm mater. Non enim filii sui desiderabat vitam, nisi in futuro seculo; & hanc sibi ablatam, & periisse plangebat,* &c. Vides ut infantem nulla sua culpa irretitum, atque etiam parentum fide, ac pietate, si quid ea, sine Baptismo posset, adjuvandum utique, hoc est Catechumenum; quia Baptismo carebat

rebat, *amiſſum, & irreparabiliter perditum* affirmat Auguſtinus. Unde autem hæc Baptiſmi neceſſitas ad parvulorum ſalutem, niſi ex illo Joannis loco, de quo agimus, ab illis colligitur? Declarat id Auguſtinus idem cùm aliis in locis, tum in Epiſtola cv. ſub finem: *Sicut ergo audiunt Dominum dicentem: Qui non renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum; propter quod eos Baptizandos eſſe concedunt*, &c. Tum lib. 1. de Peccat. mer. & remiſſ. cap. xx. Eadem eſt & cæterorum Patrum, conſentiénſque doctrina. Itaque Molinæi Miniſtri notanda hoc loco eſt inſcitia, qui in Clypeo Fidei, Parte 2. Sect. xix. pro magno abſurdo Catholicis Romanis hoc objicit; quod ita doceant, abſque Baptiſmi remedio, in æternum perituros eſſe parvulos. Quod profectò nunquam exprobraret; neque in tam trita, & uſitata re peregrinaretur, ſi quid Auguſtinus; quid Eccleſiaſtica antiquitas, & hiſtoria; quid Theologia

gia denique sit, vel minima ex parte cognoscceret. Sed de hac re plenius aliâs: quam hîc obiter, &, ut Dissertationis Auctori satisfieret, paucis perstringendam habuimus.

Selectarum

---

843. f 20
3

Joan. Clopenburgii

DISPUTATIO SELECTA.

Selectarum Disputationum Theologorum IV.

DE

Sacramentorum Christianæ Religionis Institutione, antiqua, an nova.

Cum Censura in Dissertationem Anonymi de Cœna, An semper Communicandum per Symbola.

13 Augusti 1640.

I. DIsquisitio hæc connexa est disquisitioni de vera Antiquitate Religionis Christianæ; ut liqueat, an Sacramentorum Baptismi & Cœnæ Dominicæ Institutione demonstrati possit in Fundamento Religionis facta Novatio, quæ adsertam à nobis Antiquitatem destruat: quod pernegamus, quia statuimus Novationem tantum factam in visibilibus signis Sacramentalibus, manente eadem re signata, quæ olim antiquis, nunc

nunc novis Sacramentis ſignificatur, & credentibus obſignatur: ſola interveniente differentia Evangelii, olim exhibendi, nunc exhibiti Chriſti.

II. Contra novatores, qui *Rem* ſignatam *novant in Regione* Chriſtianina, *ut nemo ſomniet nova dogmata*, putavit vir doctiſſimus *Brougthonus*, ſed ſæpe hyperbolicus, *commentario in Danielem pag.* 46. ne ſigna quidem viſibilia in Baptiſmo & Cœna Dominica Novè à Chriſto mandata, *De Baptiſmo* inquit *Celebrato Judæis inde à temporibus Davidis & Salomonis ex collectione ad Legem, non aperto mandato* (*Exo.* 19. *Maimon. tom.* 2. *fol.* 136.) *ſigillum inſtituit intrandi in requietem Meſſiæ & abjiciendi reliquas ceremonias. Judæorum infirmitatem, ex inventis ſuper lumine naturæ fundatis, ad magnos uſus reducit. Ex pane & uvæ ſanguine partibus Cœnæ Agni, haudquaquam ex mandato, ſed ex communi prudentia, quam Deus animis inſculpſit ſancit ſigillum ſui ipſius veri corporis & ſanguinis, &c.*

III. Laudat

III. Laudat Broughtonum Anonymus Novator qui nuper edita *Dissertatione de Cœna*, Problemate illo *An semper Communicandum per Symbola*, hoc satagit præter & contra Brougthoni mentem, ut neget in ritibus illis sanctionem & institutionem sigilli absolute divinam esse, aut *habere*, ut ille loqui amat, *definitum imperium*, hoc est præceptum semper obligans ad communicandum per Symbola. Quia scilicet *verissimum est quod vir doctissimus Hugo Brougthonus ad Danielem notavit*, *Nullos à Christo institutos ritus novos.*

IV. De Novorum *Rituum institutione* haud repugnamus, nullos Christum nove imperasse, qui inauditi vel inusitati essent Judæis, adeoque offendiculo esse possent: atque hic communi prudentia quam mandato Christum uti maluisse in utriusque Sacramenti institutione: Sed absque novorum externorum rituum institutione, nolle agnoscere, Novam in ritibus antiquis, novi *Sacramenti & sigilli divinam institutionem*, & cum institu-

 tione,

tione conjunctum mandatum & præceptum de Sacramenti & sigilli usu: vel indoctum vel impium est.

V. Operæ precium erit sigillatim de utroque Sacramento disquirere ad Dissertationem: ex hujus disputationis scopo: *Baptismus, inquit, in mcre erat Hebræorum, quoties aliquis ab Idololatria, aa Judaismum accederet: Meminit sæpe Maimonides, & in hunc diem mos ille apud Judæos manet. Johannes Baptista ut ostenderet Judæos, quanquam unius Dei cultum profitentes, moribus ea ætate non minus fuisse corruptis & à Lege Dei dissentaneis quam ii erant qui falsos Deos colebant, ac proinde expurgationis egentes, à pari ad par translato vetere Baptizandi ritu, id ipsum significavit.* Esto hoc verissimum: at falsissima est notatio marginalis ista: *Baptismus Johannis non primo neque absolute divinæ institutionis est; sed ex hypothesi, & conditione moris apud Judæos recepti, quatenus iste ad id quod prædicabat Johannes rite trans ferri, ac usurpari se sinebat.*

V I. Pergit

VI. Pergit Diſſertator: *Servavit*, inquit. *morem in utroque genere hominum Chriſtus, addita profeſſione ſui quoque nominis & promiſſo Spiritus S.* Servavit ergo Chriſtus. ſi diſſertatorem audimus, morem Judaicum à Johanne ſervatum, & non dedit illum Apoſtolis in mandatis, abſolute definito imperio, ſed ex hypotheſi & conditione moris apud Judæos recepti: ut ubi Judæorum & moris Judaïci non eſſet habenda ratio, non eſſet imperatus Baptiſmus aquæ: Quæ eſt ipſiſſima *Socini* & Socinianorum ſententia, qui verbis Pauli 1. Cor. 1. 17. male arreptis, quæ non abſolute ſed comparate accipienda ſunt, negant Chriſti mandato prædicationi Evangelii ad finem mundi duraturæ, Baptiſmi adminiſtrationem annexam eſſe. *Socinus diſput. de Baptiſmo.*

VII. Quod aſſerit Diſſertator *Baptiſmum Johannis non primo neque abſolute divinæ inſtitutionis fuiſſe*, contradicit Johanni dicenti Deum miſiſſe ipſum ad Baptizandum aqua Joh. 1. 33. & Chriſto aſſerenti Baptiſmum

Johannis è Cœlo esse, Mat. 21. 25. Et refellitur ex hypothesi de imperata Johanni prædicatione, verbis Marci istis Baptizabat Johannes in deserto, & prædicabat Baptismum. Marc. 1. 4.

VIII. Quod dicit Christum *addidisse* moris Judaici Baptismo servato *Professionem sui quoque nominis & promissum Spiritus* S. verum est, non ex mente Dissertatoris, de illa tantum Baptismi dedicatione nova quæ facta est die ascensionis Christi, sed de prima institutione Baptismi Johannis & discipulorum Christi: Promittebat enim ab initio *Johannes vere resipiscentibus à se Baptizatis aqua, in nomine Christi, Baptismum Spiritus S. Mat. 3. 11. Marc. 1. 8.

IX. Vera differentia inter divinam primam Baptismi institutionem, & illam Baptismi dedicationem Christi jussione factam die ascensionis, hæc est: quod prima institutione & mandato divino, Baptismus non antiquarit Vetus Circumcisionis Sacramentum, nec præputiatis fuerit administrandus, quippe

pe qui vocandi non erant ad Ecclesiam, neque Ecclesiæ inserendi novo Sacramento, tantisper, donec ad antiquationem circumcisionis intercessisset mors Christi. Altera autem Baptismi dedicatione illa, quæ facta est Christi mandato die Ascensionis, dedicatum est Baptismi Sacramentum illi Initiationi in Ecclesiam cui servierat Circumcisionis Sacramentum: ut cum Judæis circumcisis communi initiationis Symbolo cooptarentur etiam præputiati, nomen Christi professi.

X. Suo se indicio prodit Dissertator, quod, pretextu Antiquitatis, propter quam nova Baptismi Institutio nulla sit. Velit Baptismum cum Judaïcis ritibus antiquarum, hactenus saltem ut non sit magis necessariæ observationis quam antiquus *ritus Impositionis manuum*, recensens varium ritus illius usum, in *orando pro ægrotis*, *confirmando baptizatos*, *ordinando pastores*, *absolvendo criminum sontes*, *Matrimonio benedicendo*: quorum nullus habet sigilli sanctionem aut institutionem, qua-

quapropter libere in sola Pastorum ordinatione illum retinent Ecclesiæ reformatæ, *ad significandam* non ad obsignandam *spem divinæ efficaciæ quæ* Pastoribus *optatur.*

XI. De Cœnæ Dominicæ institutone sic differit dissertator: *Mos erat Hebræorum qui & nunc manet Festis diebus quos bonos vocant, vocare ad cœnam propinquos vicinos aut amicos supra decem, infra viginti, &c. Cœnæ fine panis melior ac frangi facilis adferebatur: de eo particulas convivator dividebat convivis. adferebatur & calix qui & ipse à convivatore libatus ibat in orbem. Addebantur verba Deo gratias agentia, quod creasset panem ex terra ac fructum vitis* פריהגפן γέννημα ἀμπέλου, *Accedebat historiæ ad diem respondentis grata commemoratio* ὕμνος εὐλογίας *sive* εὐχαριστίας *quæ duo idem valent. In paschate pro exitu ex Ægypto. In Pentecoste pro data lege. In* σκηνοπηγίαις *pro ductu & alimentis per loca deserta. Christus adjici voluit mortis suæ cruentæ commemorationem.* Quorsum hæc; *Observanda Institutionis Cœnæ occasio*

ex

ex more sumpta Hebræorum, cujus moris descriptio est apud Scaligerum lib. 6. de Emendatione temporum. & apud Paulum Fagium ad Chaldaicam Paraphrasin Deut. cap. 8. Vide Scalig. pag. 571, 572, 573, 574. edit. anni 1629.

XII. Admittimus hæc quæ ex ipso Fagio & Scaligero olim dedicimus, admittimus quoque lubentes notationem *Picherelli dissertatione erudita de Missa* pag. 136, 137. ut *quemadmodum Paulus verba Christi explicans addit* τοῦτο ποιεῖτε ὁσάκις ἂν ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, *hoc facite quotiescunque feceritis in mei recordationem: pari modo in altero membro suppleatur* ὁσάκις ἂν φάγετε *Quotiescunque comederitis*. Sed negamus aut Christo aut Paulo aut Picherello ipsi in mentem venisse, Intelligendum hic ὅταν ποιεῖτε, *Quoties Festas cœnas habetis, & more solito isto postcœnio eas clauditis*: ut extra Judaïcas Cœnas Festas & postcœnia, non sit definitum imperium seu præceptum Christi, communicandum esse per Symbola panis & vini verbis illis, Hoc facite, expressum: sed ut insti-

tuta

tuta tantum ſit Cœna Dominica ex hypotheſi moris Judaïci, quo ceſſante ipſa ceſſet.

XIII. Ex iſta Diſſertatoris Hypotheſi tam Communicationem per Symbola in Cœna Dominica, quam convivationes Feſtas & poſtcœnia Judaïca, jugulat verbum ill d Apoſtolicum Coloſſ. 2. 16. Ne quis vos judicet ob cibum vel potum, aut reſpectu diei Feſti aut novilunii, aut Sabbatorum.

XIV. Neque ex diſſertatoris Hypotheſi Antiquationi Cœnæ Dominicæ, una cum Feſtorum Judaicorum & Cœnarum ac poſtcœniorum antiquatione, interceſſit, Quod ut ipſe diſſerit *Paulus gentium Doctor utilem ritum etiam ad Gentes perduxit, occaſione uſus alterius moris, quem eædem Gentes in falſo Deorum cultu obſervaverunt: moris enim,* inquit, *erat apud eas, ut quoties quis ſacrificaſſet extorum pars ei redderetur ad quam vocabat convivas:* (quod ex Ariſtophane, ex Scholiaſte ad Plutum, ex Plauti Milite glorioſo, ex ejuſdem Pœnulo, & Virgilii Eclog. 3. doceri hic operæ precium erat, ſcilicet.)

ſcilicet.) Quia *Proprie*, ſi Diſſertatorem audimus, *Hebræos quibus mos erat celebrandi talia poſtcœnia Chriſtus excitatos voluit*, &c. Et quod Gentibus de Cœna Dominica tradidit *Paulus*, *Præceptum nunſquam vocat ſed inſtitutum*, παρέλαβον ὃ καὶ παρέδωκα.

XV. Traductionem Cœnæ Dominicæ ab Hebræis ad Gentes, quæ ſit inſtitutum deſtitutum præcepto ſeu definito imperio, fruſtra extorquet Diſſertator ex Pauli iſtis verbis, Accepi quod & Tradidi, 1 *Cor.* 11. 23. quia ſi verbis iſtis liberatur Chriſtianorum conſcientia, ut Cœna Dominica, quod ille urget, *facile ex cauſa probabili omitti ſe ferat*, liberatur quoque conſcientia ut facile ex cauſa probabili negligatur Fides mortis ſepulturæ & Reſurrectionis Chriſti: quia illam Tradidit Apoſtolus, eadem Traditionis formula παρέδωκα ὃ καὶ παρέλαβον. Tradidi quod & accepi 1 Cor. 15. 3, 4. Corruet iſta verborum perverſione omnis divina Auctoritas Traditionis Apoſtolicæ ſcriptæ, quæ maximam partem facit Scripturæ N. T.

XVI. Mirari licet quomodo conciliari ista possint, non esse ritum Cœnæ Dominicæ apud Gentes novè institutum: sed ab Ethnicis, convivas post Sacrificium in falso cultu ad exta vocantibus, *amoto vitio, ad eos qui Christianismum susceperant traductum à Paulo:* Et esse eundem ab Hebræis etiam *ad Gentes perductum*, à Paulo, *occasione alterius moris quem Gentes in falso Deorum cultu observaverant*, Quomodo inquam conciliari possint; absq; syncretismo aliquo Hebræorum Christianorum cum Gentilium Deorum falso cultu ad lucrandos scilicet Ethnicos: quomodo quidem cum Hebræorum externo Mosaïco qui sua origine erat institutionis divinæ, utili syncretismo ad tempus usi sunt Apostoli: sed cum Ethnicorum in falso cultu moribus *συγκρητίζειν* nefas fuit.

XVII. Indoctè confundit Dissertator ritum in falso cultu sacrum, cum convivatione extra cultum & tempus cultus falsi, quam veteres Christiani præmittebant, *cum gratiis pro creatione rerum, ac nominatim panis viniqne;*

ante

ante postcœnium sacrum, in quo erat mortis Christi commemoratio. Convivatio illa (qua veteres illi Christiani *juxta Christi præscriptum Luc.* 14. 3. *divitum sumptu meliuscule excipiebant pauperes, unde ἀγάπης nomen*) erat Adiaphorum Civile, cui libere annectebatur postcœnium sacrum: ut si postcœnium sacrum non esset ex Traduce illo, præpostere ex eo censeretur esse Convivatio civilis.

XVIII. Libere cum illa convivatione civili Christianorum connexum fuisse postcœnium Cœnæ Dominicæ, & hodiè rite ab illa separatum: docet consilium Apostolicum, quod Corinthiis scriptum, propter corruptos convivationis civilis mores: quo suasit, ut, relegata ad ædes privatas convivatione, servaretur in cœtu Ecclesiæ tantum Cœna Dominica, ritu sacro communicationis institutæ per symbola panis & vini, 1 Cor. 11. 20, 21, 22. 33, 34.

XIX. Ex Dissertatoris hypothesibus, quandoquidem Cœna Dominica est ex Traduce (vel Institutionis

inter Hebræos antiquatæ cum antiquatis ipsorum Cœnis sacrificialibus Festis, & postcœniis: vel moris alterius inter Ethnicos observati in falso Deorum cultu, qui jam inter Chri. anos exolevit:) Antiquatam quoque esse ipsam necesse est, sicut Baptismum aquæ antiquatum audivimus, hypothesi simili: ut non necessario Christianis communicandum sit per symbola panis & vini, præcepti alicujus divini religione: ac fiat communicatio illa per symbola extra *obedientiam præceptorum Dei quæ in Christianismo totum facit.*

XX. Dissertator ille pergit παρφάσις disputare, *Dari nonnunquam ob causas justas Communionis Symbolicæ intermissionem: Æquum esse ubi conflictus est, signa credere rei significatæ, putamen nucleo:* Quis negat? Sed hac παρφᾶσις conatur hoc efficere, *ut facile ex causa probabili omitti se ferant* sacra Cœnæ Dominicæ symbola; atque ut de illis idem fiat quod factum est de *Serpente æneo à Mose facto, quem quod in non rectos usus vulgo verteretur*

fregit

fregit Rex Ezechias: quod iniquissimum est postulatum;

XXI. Ut intercedamus huic rituum sacrorum vetustatis demonstrationi iniquæ, ob quam cogitandum sit de Baptismi & Cœnæ Dominicæ antiquatione in Religione Christiana, *ut scilicet liberius solutiusque exerceri possit dilectio, illa quæ in Christianismo totum facit*, demonstrandum est, nunquam, absque Sacramentis visibilibus seu sigillis annexis, institutam fuisse & imperatam à Deo Religionem, in quacunque vel Fœderis operum, vel Fœderis gratiæ Veteri aut nova visibili œconomia.

XXII. De Oeconomia visibili Fœderis operum ante lapsum, ostensum est præcedenti Disp. Thes. 10. & 11. habuisse illam Verbo promissionis Legalis annexum Sacramentum Arboris Vitæ obsignans vitam æter- cœlestem.

XXIII. In Oeconomia Fœderis gratiæ Veteris ante Christum annexa Verbo Sacramenta vel fuere Communia, & Vetustissimæ periodo il-

li

li temporis ab Adamo ad Mosem, & Veteri à Mose ad Christum: vel Mosaïcæ œconomiæ Fœderis propria.. Communia illa, fuere Sacramenta sacrificialia, sanguinis aspersio, Victimarum ἐμπυρισμὸς in Altari victimas sanctificans, Convivatio ex victimarum carnibus: quibus visibilibus symbolis Deus Sacrificantibus ex Fide, & Donis ipsorum, testimonium perhibebat quod justi essent, Heb. 11. 4. Fides Sacrificantium necessario supponit Verbum Dei, est enim ex auditu Rom. 10. 17. Et quidem appropriate Verbum institutionis connexæ & individuæ Sacrificiorum & Sacramentorum Sacrificialium. Quia absque Sacrificiorum institutione divina, & oblatione imperata, non potuerunt offerri ex Fide, Colos. 2. 22, 23. Mat. 15. 3. 6. Et absque Sacramentis annexis, ut sigillis institutis Justificationis ex Fide, Fides Sacrificantium non fuisset ἐλπιζομένων ὑπόστασις, Heb. 11. 1.

XXIV. Propriè Oeconomiæ posterioris periodi à Mose ad Christum Sacramenta,

cramenta, fuerunt Circumcisio & Paschalis Cœna, Paschatis Sacrificio annexa. Circumcisio quamvis non esset ex Mose sed ex Mose sed ex Patribus Joh.7.22.tamen, ex illo tempore, quo institutum est in Exodo Pascha, una cum Paschate fuit character proprius œconomiæ Mosaïcæ, & alterum publicum Sacramentum Justificationis ex Fide, & Sanctificantis gratiæ, cum Sacramento Paschatis: non ita nude obsignans Fidem & Spem Ecclesiæ, ut communia illa sacramenta Sacrificialia: sed illam cumulans gemino quasi arrhabone: viva scilicet demonstratione veritatis promissionis geminæ Abrahamo factæ, De multiplicando in Isaaco semine: & de ejusdem vindicatione in libertatem, & Cleruchia terræ Canaan: ad roborandam expectationem Messiæ ex illo semine nasciturі, in terra promissionis sancta.

XXV. Tempore illo quatuor sæculorum, inter institutum Pascha & institutam Circumcisionem, Sacramentum Circumcisionis domesticum tantum fuit in familia & cognatione

Abrahami:

Abrahami: illis, cum indicio genealogiæ ex qua, & terræ in qua, nasciturus esset Messias, obsignans (familiarius, quam reliquæ Ecclesiæ præputiatorum Deo vero sacrificantium,) Justitiam Fidei: Non serviens, ante institutum alterum Sacramentum Paschatis, rejectioni & eliminationi præputiatorum extra Ecclesiam, quæ tantisper matura non erat, Gen. 15. Interim reliqua præputiatorum Ecclesia, non erat absque Sacramentis Sacrificialibus: quæ, Paschatis demum institutione instaurata in Gilgale, Josuæ 5. vindicata atque asserta fuerunt solis Israelitis, ut porro penes illos solos maneret, cum Veteri Religione, jus sacrificandi, cum annexa Sacramentorum usurpatione legitima.

XXVI. Neque communia illa Institutioni Sacrificiorum annexa Sacramenta, Neque propria Israelitarum Sacramenta Circumcisio & Paschalis cœna, Sacrificio Paschatis connexa, unquam omissa facile fuerunt probabili de causa, in populo Dei, citra Ecclesiæ aut defectionem & Apostasiam,

am, aut ſervitutem & captivitatem: quemadmodum V. G. Iſraelitarum ſacrificia ceſſarunt in ſervitute Ægyptiaca, & in captivitate Babylonica, non ceſſante circumciſione: Et per Apoſtaſiam (vindicatam circunductione per deſertum, in quo deerant pecudes ad ſacrificia,annos circiter 40.) ab ordinato Sacerdotio Aaronico,ad tranſitum Jordanis, contigit Ceſſatio & Circumciſionis & Paſchatis: quorum inſtauratione, repetita fuit, tantiſper interciſa per divinam indignationem, populi ſantificatio. Joſuæ 5. 6——9.

XXVII. Contra Hiſtoriæ ergo veritatem eſt, quod Diſſertator, alias ob cauſas probabiles, facile, totis Annis 40. omiſſam pronunciat Circumciſionem tam ſeverè præceptam & Paſchalem cæremoniam. Neglecta enim per Impietatem Circumciſione, debuit ceſſare cum circumciſione uſus Paſchatis, & ceſſavit neceſſitate invincibili, defectu carnium in deſerto durante.

XXVIII. Hallucinati autem ſunt (cum Veteribus, Juſtino Martyre in Dialogo cum Tryphone Judæo, Theodoreto Græcan: affect: ſerm. 7. de Sacrificiis: Hieronymo in Jeremiam cap. 7. aliiſque) recentiores illi Theologi qui Sacrificiorum νομοθεσίαν, Legiſlationem, exiſtimant demum cœpiſſe cum ordinatione Aaronici Sacerdotii, & ex locis Jer. 7. 22. Amos 5.25. Act. 7. 42. volunt ipſa Lege Moſaïca Deum ſacrificia verius indulſiſſe quàm imperaſſe: Quos refellunt abunde illa quæ dicta ſunt de Sacrificantium Fide Sacramentis ſacrificialibus à Deo obſignata.

XXIX. Demonſtrata ab Adamo ad Chriſtum perpetua Sacramentorum viſibilium connexione cum inſtituto & imperato divinitus cultu: quâ cumulatum fuit Verbum promiſſionis Gratiæ Juſtificantis & Sanctificantis: Aſſerimus facere omnino ad neceſſariam amplitudinem Gratiæ Novi Teſtamenti, ut non deſtituta eſſet ſuis ſacramentis

mentis, prædicationi verbi uſque ad finem mundi annexis, Inſtitutio Religionis Chriſtianæ. Ac concludimus quamvis Antiquatis Veteribus Sacramentis, non potuiſſe nec debuiſſe antiquari Sacramentorum & Sigillorum uſum: Neque pro Sacramentis in Chriſtianam Religionem traductos eſſe veteres ab Hebræis aut Gentibus ritus, ut tandem illi quoque antiquarentur εἰς φθορὰν, τῇ ἀποχρήσει Col. 2.22. Sed ritus qui cenſentur carnaliter veteres, nova Sacramenti inſtitutione dedicatos & Circumciſioni ac Paſchati ſubſtitutos uſque ad finem mundi, definito imperio.

FINIS.

ERRATA.

PAge 10. l. 9. & l. ut. p. l. 20. *verse* l. *versu*. p. 12. l. 10. *dicimus* l. *discimus*. l. pen. post αὐτίω add. τιμίῳ, p. 13. *l.* 1. τῶντι *l.* τῦτι p. 15. *l. interdi* l. *interdix*. *l.* 17. *presænte* l. *præsente*. p. 19. l. 2. *restrixeraut* l. *restrinxerunt*. p. 21. l. 1. *Brochth* l. *Broughton*. p. 23. l. 13. Nota Marginalis in Textum inserenda. l. 15. ποιείτε l. ποιεῖτε ib. φάγετε l. φάγητε. p. 25. l. 5. *Plautum* l. *Plutum* l. 8. εἰ l. οἱ. l. 15. *extra* l. *exta*. p. 27. l. 2. *paricip*. l. *particip*, p. 30. l. 14. ἐναλήψ. l. ἀναλήψ. p. 59. l. 18. *juræ* l. *jure*. p. 77. l. 3. τελεύτων l. τελευτῶν. p. 79. l. 15. *petractat* l. *pertract*. p. 80. l. 23. *out* l. *aut*. p. 82. l. 8, 9. *quibus cum* l. *quibuscum*. p. 85. l. 22. *bene dixisse* l. *benedixisse*. p. 88. l. 11. ante σύνοδον l. μεγάλην. l. 12. dele μεσκόλην. l. 15. ταὶς l. τὰς. p. 91. l. 2. ἱερατικῆς l. ἱερατικῆς. p. 99. l. 18. *eque* l. *eaque*. p. 100. l. 22. *tandiu* l. *tamdiu*. p. 101. l. 18, 19. σύσημα τιμφθόγγῃ l. συσήματι φθόγγῳ. p. 102. l. 1. *Propter ea* l. *Propterea*. p. 105. l. 20. *Concllii* l. *Concilii*. p. 106. l. 3. & l. ut. p. 110. l. 13. *acritum* l. *ac ritum* l. 10. *si quidem* l. *siquidem*. p. 113. l. 18. *Ecclsia* l. *Ecclesia*. p. 191. l. 2. *præcis è* l. *præcise*. p. 195. l. 15. *Quis* l. *Qui*. p. 197. l. 18. *Fulgenitus* l. *Fulgentius*. p. 198. l. 20. *nobus* l. *nobis*. p. 103. l. 1. *Theologorum* l. *Theologicarum* l. 13. *demonstrati* l. *demonstrari*. p. 104. l. 6, 7. *Regione Christianinâ* l. *Religione Christianâ*. l. 8. *Broughthonus* l. *Brought onus*. [Quod semel monuisse sufficiat.] p. 109. l. 10. *antiquarum* l. *antiquatum*. p. 110. l. 18. פר יוהגפן l. פרי הגפן p. 111. l. 8. *dedicimus* l. *didicimus*. l. 17. φάγετε l. φάγητε. p. 116. l. 7. *siccut* l. *sicut*. l. 20. *credere* l. *cedere*. p. 119. l. 4. dele *sed ex Mose*.

DE JURE LAICORUM SACERDOTALI,

Ex sententiâ

TERTULLIANI

Aliorumque Veterum

DISSERTATIO.

Adversùs Anonymum Dissertatorem,

De Cœnæ Administratione, ubi Pastores non sunt.

Ab HENRICO DODWELLO
A. M. *Dubliniensi.*

LONDINI:
Impensis *Benj. Took*, MDCXXXV.

177

Elenchus Rerum.

Caput I.

De loco Tertulliani, *quæ videantur esse merito concedenda.* Pag. 1.

Argumentum Tertulliani *à nudo* Sacerdotii nomine *Laicis attributo ad Jura* Sacerdotii Ecclesiastici *iisdem vendicanda, nullum prorsùs & invalidum.* §. 1. *Sacerdotii* Laici & Ecclesiastici *discrimen agnovit ipse* Tertullianus. *Secundum ergo Argumentum quod à* Facto *ad* Jus *ductum putant Adversarii, reverà solidius, & pro eorum Causâ, prorsus necessarium.* §. 2. *Conceditur* 1. *Non de* Sacerdotio *aliquo* impropriè *sic dicto, intelligendum esse* Tertullianum, *sed de* Externo *Ecclesiæ* Sacerdotio. §. 3. *Conceditur.* 2.

* *ita*

ita Tinctionem Tertulliani *atq;* Oblationem *esse intelligendas ut sint Sacerdotii* propriè *sic dicti* Officia Sacerdotalia. *Proinde* Tertullianum *defendere non poterunt Adversarii qui negant ullum* Laicis *sufficere* Necessitatis *prætextum ad usurpanda Officia* Sacerdotalia *propriè sic dicta.* §. 4. *Agnovit certe id quod diximus ipse* Tertullianus. §. 5. Baptizandi *Potestatem* Sacerdotum *propriam agnovit, negavit* Mulieribus. §. 6. *Et quidem eo ipso negavit nomine, Officii nimirum* Sacerdotalis. §. 7. *Nullum erat, cum hæc scriberet* Tertullianus, *Baptismi à* Muliere *administrati* Exemplum. §. 8. *Ab Officiorum* Sacerdotalium *exemplis emanavit* Baptismus *Christianorum.* §. 9. *Conceditur.* 3. Tinctionem *hanc* Tertulliani *atque* Oblationem *Sacerdotii* Veri *fuisse munera, non duntaxat* Umbratici. §. 10. *Responsio Amici Anonymi, nec pro mente* Tertulliani. §. 11. *Nec pro rei* Veritate. *Non impedit*

CHRI-

CAPUT II.

Exempla. §. 4. *Ita se explicat ipse* Tertullianus. §. 5. Tinctionem *hanc* Oblationemque *Laicorum non sumit pro* concessis, *sed* probat. §. 6. *Aliis in locis, ubi* non probat, *eo ne utitur quidem* Argumento. Exhortationem Castitatis *scripsit nondum* Hæreticus. Ecclesiæ *displicuisse hanc* Argumentationem *innuit ipse* Tertullianus. §. 7. *Explicantur hujus Argumenti* Principia. *Forma* Regiminis *Ecclesiastici à* Romanarum Civitatum *formâ desumpta.* §. 8. Ecclesiæ *nomen ab usu vocis* Hellenistico, *ut proinde non solos* Plebeium *conventus designârit.* §. 9. *In* Sacris, *idem* Ecclesiæ *nomen* (*etiam apud* Græcos,) aliorum *Conventus significavit, præterquam* Plebeiorum. §. 10. *In Ecclesiâ* Christianâ *certum est* Stantes *Laicos Clericis* sedentibus *fuisse minores.* §. 11. *Etiam inter* Sedes *Ecclesiasticas propria tamen quædam erat dignitas* Sedis primariæ. §. 12. *Pro exemplo Monarchiæ* Roma-

lianum. §. 23. *Explicantur verba*, Ubi tres, Ecclesia est, licet Laici. §. 24. *Intelligenda de tribus Sacerdotibus, ut proinde* Sacerdotes *essentiam* Ecclesiæ *constituerent*. §. 25. *Ita senserunt coævi* Tertulliano, *idque meritò*, §. 26. *Explicantur, refelluntur-que* Tertulliani *verba illa*, Unusquisque enim suâ fide vivit, *&c.* §. 27. *E* Suffragiis *Laicorum, in causis* Ecclesiasticis, *jus eorundem* Sacerdotale *videtur elicuisse* Tertullianus. §. 28. *Sed perperam.* §. 29.

Resp. ad alium Tertulliani *locum quo* Factum *subindicari putant in* Lib. *de* Cor. Mil. Præsidentium *nomine non* Presbyteri *intelliguntur, sed* Episcopi. §. 30. *Seculo* Tertulliani *ne quidem ipsis licebat* Presbyteris *Communionem* dare *nisi* consulto Episcopo, *nec passim alibi* celebrare, *nisi ubi* præsens *adesset* Episcopus. §. 31. *Non ita ab* initio. §. 32. *Seculo* Quarto *permissus* Laicis, *urgente Necessitate*, Baptismus. §. 33.

Non

Caput III.

Recto-

Rectorum *Ecclesiæ* Ordinariorum, *nondum tamen in omnibus Ecclesiis*. §. 12. *Singulare erat exemplum Ecclesiæ* Hierosolymitanæ. *Eam* Metropolitanam *aliæ omnes Ecclesiæ agnoscebant*. *Inde* tributum. §. 13. *In eâ solâ* Apostoli, *in aliis*, *antequam constituerentur* Rectores Ordinarii, *supremi omnium* Prophetæ. §. 14. Episcopi Hierosolymitani *Domini nostri erant* Hæredes, *nec aliunde quàm è Domini* Familiâ *delecti*. §. 15. Apostolorum *discedentium locum in* Oecumenico *Ecclesiæ* Regimine *supplevisse probabile est Domini* Cognatos. §. 16: *Officium* Presbyterorum *in Ecclesiâ* Hyerosolymitanâ *ante* discessionem. §. 17. *Quibus tandem* gradibus *facta sit* Ecclesiarum *à* Synagogis *discessio*, Rectorumque *adeò* Ecclesiasticorum *constitutio*. §. 18. *Alia erant, apud* Judæos, *Jura* Synagogarum, *alia* Templi. §. 19. *In* utraque *Jura succedebant* Ecclesiæ. §. 20. *Inde colligitur, etiam* Propheta-

** rum

nullius meminit Officii Sacerdotalis, *ſed duntaxat* Orationis. §. 2. *De* Oratione *duntaxat* Rufinum *intellexerunt* Socrates & Sozomenus. §. 3. *Solus* Λειτουργίας *voce* Rufinum *reddidit* Theodoretus *putidus* Metaphorarum *affectator.* §. 4. Clerici *omnium Ordinum* Λειτουργοὶ. §. 5. *Clericorum* Officia *omnia* Λειτουργίαι, *præcipuè* Hymni. §. 6. *Sacra Veterum* Officia *omnia* Metrica. §. 7. *Sic etiam* Chriſtianorum *Officia ſub* Prophetis. §. 8. *Sub* Rectoribus *etiam* Ordinariis. §. 9. *Antiquiſſimæ formæ* Liturgicæ *omnes* Cantatitiæ, & *è* Pſalmis Hymniſque *deſumptæ.* §. 10. Pſalmi *cantari ſolebant, etiam à* Laicis, *in ipſâ etiam* Eccleſiâ. §. 11. Pſalmodia Λειτουργία Theodoreto, *Etiam* Λειτουργία Ἐυχῆς *in concilio* Laodiceno. §. 12. Lectio *Scripturarum*, & *Catechumenorum* Inſtitutio *rectè poterant pro* λειτουργίας *haberi, non item pro Officiis* Sacerdotalibus. §. 13. *Pro* more Romanorum *locum nullum*

Cap. V.

De S. Petronillæ Sacerdotio *Fabula refellitur.* p. 312.

pro Dissertatoris Principiis, omnino probanda. §. 1. *In Canone* Laodicæno *Conjecturas parum verisimiles novus probat* Conjecturis *Dissertator itidem parum verisimilibus.* §. 2. De Officiis *Ecclesiæ* Publicis *agit Canon in quibus adeßent Ecclesiastici* Subdiaconis *superiores.* §. 3. *Nec* novum *invehunt Exemplum Patres* Laodicæni, *sed* veterem *duntaxat* Disciplinam *instaurant.* §. 4. *Eò spectabant* Novitates *illæ* Subdiaconorum *in Canone memoratæ ut* Diaconorum *Officium sibi vendicarent.* §. 5. Benedictio *illa, cujus meminit Canon, non erat* Sacerdotalis. §. 6. *Verba* ποτήριον εὐλογίας *desumpta ab* Apostolo. §. 7. Vinum *præcipuè, præ aliis frugibus,* sacrum *apud* Veteres. §. 8. *In universam* Vindemiam *migrare credebatur* Primitiarum Consecratio, *quæ etiam facta in* Eucharistiâ. §. 9. *Inde* Calix Eucharisticus ποτήριον εὐλογίας. *Cur* Panis Eucharisticus *non* ἄρτος εὐλογίας,

Caput VIII.

De Diaconorum Oblatione, *cujus mentio in Canonibus* Ancyrano & Arelatensi.

DISSER-

Caput I.

De loco Tertulliani, *quæ videantur esse meritò concedenda.*

Argumentum Tertulliani *à nudo* Sacerdotii nomine *Laicis attributo ad Jura* Sacerdotii Ecclesiastici *iisdem vendicanda, nullum prorsùs & invalidum.* §. 1. *Sacerdotii* Laici & Ecclesiastici *discrimen agnovit ipse* Tertullianus. *Secundum ergo Argumentum quod à* Facto *ad* Jus *ductum putant Adversarii, reverà solidius, & pro eorum Causâ, prorsus necessarium.* §. 2. *Conceditur* 1. *Non de* Sacerdotio *aliquo* impropriè *sic dicto, intelligendum esse* Tertullianum, *sed de* Externo *Ecclesiæ* Sacerdotio. §. 3. *Conceditur* 2. *ita* Tinctionem Tertulliani *atq;*

Oblationem *esse intelligendas ut sint Sacerdotii* propriè *sic dicti* Officia Sacerdotalia. *Proinde* Tertullianum *defendere non poterunt Adversarii qui negant ullum* Laicis *sufficere* Necessitatis *prætextum ad usurpanda Officia* Sacerdotalia *propriè sic dicta.* §. 4. *Agnovit certè id quod diximus ipse* Tertullianus. §. 5. Baptizandi *Potestatem* Sacerdotum *propriam agnovit, negavit* Mulieribus. §. 6. *Et quidem eo ipso negavit nomine, Officii nimirum* Sacerdotalis. §. 7. *Nullum erat, cum hæc scriberet* Tertullianus, *Baptismi à* Muliere *administrati* Exemplum. §. 8. *Ab Officiorum* Sacerdotalium *exemplis emanavit* Baptismus *Christianorum.* §. 9. *Conceditur* 3. Tinctionem *hanc* Tertulliani *atque* Oblationem *Sacerdotii* Veri *fuisse munera, non duntaxat* Umbratici. §. 10. *Responsio Amici Anonymi, nec pro mente* Tertulliani. §. 11. *Nec pro rei* Veritate. *Non impedit*

CHRI-

CHRISTVS SOLUS Mediator *quominùs etiam Sacerdotes* Mediatores *appellari. Explicantur, hâc in causâ, Regulæ & Principia* Platonicorum. §. 12. 13. *Resp: Testimonio S.* Augustini. §. 14, 15, 16.

§. I. QUI hoc *Tertulliani* loco *Ecclesiæ Disciplinam* impugnant, ita illum Argumentari existimant. Primò nimirum ut parem *Laicorum* cum *Clericis* in *Monogamiæ* causâ obligationem inde collegerit quòd *Clericorum* nullum agnoscat à *Laicis* in *Officii Sacerdotalis* jure discrimen. Hanc verò utriusque Ordinis *paritatem* è duplici deinde *loco* probârit, è *Scripturis* alio, qui nullam pateretur apud *Christianos* Exceptionem; alio *ad homines*, qui nullam saltem pateretur *eorum*, cum quibus egerit *Tertullianus*, Adversariorum. *Scripturæ* locos illos indicat quibus *Sacerdotes Christiani* omnes in universum appellamur. E-

rat itaque in hac Argumentatione congruum, ut, quo ſenſu *Sacerdotes* plebeii etiam *Chriſtiani* appellarentur, eodem ſenſu & *munera* etiam *Sacerdotalia* Sacerdotii ejuſdem propria *Plebeiis* etiam forent concedenda. Qui autem contrariam hiſce Diſputatoribus Diſciplinæ cauſam tuerentur, hi non *unum* agnoſcebant *Sacerdotii* ſenſum, ſed plane *duplicem*; & quidem ita duplicem ut & *Jura* etiam utriuſque *duplicia* agnoſcerent, & *munera* etiam *duplicia*. Eſto enim. *Plebeia* etiam *Chriſtianitas* pro *Sacerdotio* habeatur. Atqui *Externum* Eccleſiæ *Sacerdotium*, cum *alia* includat *ſanctiora* Sacerdotii *Jura* cum *communi* Laicorum *Sacerdotio* neutiquam communicanda; & *munera* includat neceſſe eſt omnino *Laicis* neganda. Sic enim alibi (*a*) oſtendimus *Regale* hoc Chriſtianorum *Sacerdotium* à *Judæorum Helleniſtarum* de *Peculio*, , ſeu *Segullah*, dogmatibus ad *Chriſtianos* emanâſſe. Nempe *Chriſtiani*, cum *Myſticum* potiùs quàm *carnalem Iſraelitiſmum*

(a) *De* Uno Sacerdot. & Un. Altari. *Cap.* 7. 8, 9.

raelitiſmum pro *Peculio* agnoſcendum ſtatuiſſent, quem etiam ipſum ſibi proprium vendicâſſent; erat utique proinde conſentaneum ut & *Peculii* illius *jura* ſibi vendicarent, in illis hoc, de quo loquimur, *Sacerdotium.* Id verò ita à *Judæis* acceptum neceſſe eſt eodem, quo *Judæi*, modo *intellexerint.* Atqui conſtat *Judæorum* illud Sacerdotium *Laicum* ab *externo* eorundem *Sacerdotio* longiſſimè eſſe remotum; ut immani piaculo & Sacrilegio conſtringerentur *Laici* ſiqui *communis* illius *Sacerdotii* prætextu, ſanctiora illa *externi Sacerdotii* jura, quacunque etiam *neceſſitatis* causâ, uſurpâſſent. Damnantur eo ipſo nomine *Coritæ*, Damnatur *Saul*, *Uzza* & *Uzzia.* Ita è nudâ Sacerdotii *voce* ad propria *Externi* etiam *Sacerdotii* jura nulla erit, etiam apud *Chriſtianos*, Argumentatio. Interea manifeſtum eſt de *Externi Sacerdotii* etiam *Eccleſiaſticis muneribus* intelligendum eſſe *Tertullianum*, intelligendos etiam

am *recentiores* Ecclesiæ Adversarios; & quidem pro *causæ* suæ *Principiorumque* exigentiâ, ita intelligendos. Idenim hâc Argumentandi methodo conantur ostendere, nullam *Sacerdotiorum*, nullam *munerum Sacerdotalium*, esse distinctionem. Id aliter probari non potuit quàm si *Jura Sacerdotii*, etiam Ecclesiastici, probarent *Plebi* esse communia. Sed de hoc statim plura.

§. II. Concedunt interim propter *Ordinis* saltem *Sacerdotalis* (ut loquitur *Tertullianus*) *consessum* moderandam hanc *Plebeiorum* esse licentiam, ut tantisper abstinere censeant oportere *Plebeios* à *Sacerdotalis* Officii *muneribus* dum præsto habent *Sacerdotalem* hunc, de quo agimus, *consessum*. Planè itaque manifestum agnoscunt utriusque Sacerdotii *discrimen*, Clericorum *considentium*, & *stantium* duntaxat *assistentiumque* Laicorum. Planè *superiorem* agnoscunt *Ecclesiastici Sacerdotii* Potestatem, nec *Jura* ejus omnia cum *Laicis* communia,

Exhort. cap. 7.

non

non hunc ipſum honorem *confiden-di*, non inde oriundum Jus etiam illud *Sacerdotalia Officia*, obtinente interim, nec tamen conſulto, Eccleſiaſticorum conſeſſu, *exequendi*. Ergo aliquam oportet agnoſcant horum Sacerdotiorum *imparitatem*, nec proinde omnem ab *alterius* Sacerdottii Juribus ad àlterius Jura validam *ſequelam*. Quòd itaq; Eccleſiaſticorum *Sacramentorum* Poteſtatem huic tribuant Laicorum *Sacerdotio*, id erit aliunde quàm è ſolo Sacerdotii *nomine* concludendum. Ita intelligimus quàm fuerit neceſſarius ſecundus ille, quem dixi, Argumentandi locus. Ut enim penitùs Sacerdotii hujus utriuſque *diſtinctionem* omnem profligarent, id præterea probandum ſuperabat, *Laicorum* etiam illa fuiſſe de *jure* munera quæ pro *Eccleſiaſtici* etiam *Sacerdotii* muneribus haberentur, *Baptiſmi* ſcilicet atque *Sacrificii Euchariſtici*. Sic enim non è ſolo *Sacerdotii* communi *nomine*, ſed ex ipſâ *Sacerdotii*,

de

de quo agitur, *naturâ* legitima procederet & ſolidior Argumentatio. Hîc locum habuit ſecunda illa quam putant, *ad homines,* Argumentatio. Sic enim *Tertullianum* ratiocinari credunt Adverſarii, quaſi id *Tertulliano* coæva fateretur *Eccleſia,* (ut *Ordinis* Eccleſiaſtici obſervanda eſſet & colendà reverentia, at ſane) *Jus* horum quoq; munerum *Laicis* fuiſſe conceſſum. Id ex ipsâ etiam *Eccleſiæ* conſtare *conſuetudine* quâ ipſa quoque illa Eccleſiæ *Sacramenta* à *Laicis* adminiſtrata (ſi tamen citra *Ordinis* Eccleſiaſtici *contemptum* præſtarentur) ab *Eccleſiâ* probarentur atque ſtabilirentur. Proinde, hæc ſi vera ſint, & *tinctionem* illam, quam appellat, *Laicorum* ; & *oblationem,* ut exiſtimant, *Euchariſticam, Tertulliani* tamen ætate ratas habuerit Eccleſia. Sin contrà nullum extet in *moribus Eccleſiæ* hujus *Laici Sacerdotii* veſtigium, ſi nullum unquam *Eccleſiaſtici* Sacerdotii *munus* impune, aut ſine reprehenſione, exercuerint

cuerint

cuerint *Laici*, nullo etiam quantævis necessitatis obtentu; suspecta erit, nec immeritò, illa omnis Argumentatio quâ *Jura* Sacerdotii *Laici* & *Ecclesiastici* confunduntur invicem, aut ex aliis alia colliguntur. Age itaque videamus hæc quàm vera sint, quantumque valeant ad causam Ecclesiæ labefactandam.

§. 3. Lubens itaque imprimis concedo, non de quolibet *minùs propriè* dicto *Sacerdotio* intelligendum esse hoc in loco *Tertullianum*, sed verò de *Externo* illo Evangelii *Sacerdotio*, quo fideles alii aliis *eminere* intelligerentur apud Ecclesiasticos *Tertulliani* Adversarios. Illud enim intelligit *Sacerdotium* de quo *cautum* ait *in Levitico* (a) *Sacerdotes mei non plus nubent*. Illud *Sacerdotium* cui *Monogamiæ* Disciplinam (b) *Gentilium* etiam ipsorum mores annectendam censuerunt. Illud quo (c) *Episcopos* etiam sub Evangelio complectitur, *ejusdemque*, quos appellat *Sacramenti Presbyteros atque Diaconos*, quibus

b bus

(a) *Exhort. Cast.* c. 7. *Monog.* c. 7.

(b) *Ad uxor L.* 1. *c.* 6. *Exhort. Cast. c.* 13. *Monog. c.* 17.

Monog. c. 11.

(d) *Monog.* 16
(e) *Exhortat. Cast.* c. 7. *Monog.* c. 11.
(f) *Mon.* c. 11.
(g) *Mon.* c. 12.
(h) *Exhort.* c. 7. *Mon.* c. 11. 12.
(i) *Monog.* c. 11. *Exhort.* c. 7.
(k) *Exhort* c. 7.
(l) *Ibid.*
(m) *Ibid.*

bus etiam eandem illam (d) *Monogamiæ* legem injunxit (e) Apoſtolus. Idem illud quod nunc (f) *Ordinis Eccleſiæ*, nunc (g) *Cleri* etiam, nomine deſignat. Illud, inquam, cujus *conceſſam* tenebat ab ipſis etiam Adverſariis ad (h) *Monogamiam* obligationem, quos & à (i) *Laicis* apertiſſimè diſtinguit. Hi certe alii eſſe non poterant quàm qui *proprio* illo tam *Evangelii*, quàm *Legis*, quàm etiam *Ethnicorum*, Sacerdotio ornarentur, quique eo ipſo *Sacerdotii* nomine à *Plebe* Iſraeliticâ, Evangelicâ, Ethnicâ, diſtinguerentur. De alio illum *Sacerdotio* ſi accipiamus, nugaciſſima ejus univerſa foret Argumentatio. Sic enim colligit: (k) *Vani erimus ſi putaverimus, quod Sacerdotibus non liceat, Laicis licere.* Rurſus: (l) *Differentiam inter Ordinem & Plebem conſtituit Eccleſiæ Autoritas.* Iterum: (m) *Ubi tres, Eccleſia eſt, licèt Laici.* Quod etiam exinde confirmat, quòd non ſit ulla *Perſonarum acceptio apud Deum.* Eò planè ſpectant

ctant hæc omnia ut utrumque hoc *Sacerdotium* tam *Laicum* quàm *Ecclesiasticum*, receptis equidem hominum *moribus* admodùm diversum, de *jure* tamen idem fuisse probet, atque invicem permisceat: è *Laicis* constitui posse asserat *Ecclesiam*, quæ tamen sine *Sacerdotio*, & quidem *Externo* illo propriéque sic dicto, intelligi non posset. Quorsum hæc, nisi ad minuendam illam, quæ vulgò obtinebat, *Clericorum* eminentiam? Illam rursus cur *minueret*, ni contrariam consilio suo illam censuisset *eminentiam*? Cum enim *Sacerdotii Externi* officium, *Monogamiam* scilicet, à *Laicis* exigendum colligat; idem etiam *Sacerdotii* Externi *munus* assignâsse *Laicis* oportuit. *Quatuor* enim *terminorum* illa fuisset Ratiocinatio, si alio Sacerdotii *sensu* ostendisset *Sacerdotes* oportere esse *Monogamos*; alio tamen ejusdem vocis *sensu* Laicos *Sacerdotes* esse appellandos. Planè itaque vim faciunt Viri Eruditi qui de *communi* illo Laicorum

Sacerdotio *Tertullianum* interpretantur.

§. 4. Hæc cum ita se habeant, Sequitur præterea 2. ita intelligendas esse *Tertulliani* nostram *tinctionem* atque *Oblationem*, ut sint *propria* Sacerdotii Evangelici *officia*, & quidem *proprii* illius, uti dixi, *Sacerdotii*. Aliter foret ut nulla prorsus esset Sequela si cum *propriè* sic dicto *Sacerdotio* alia conjungenda censuisset quàm *ejusdem* Sacerdotii *Officia*. Malè itaque *Tertullianum* explicant rursus Eruditi Viri de id genus *Tinctione* atque *Oblatione* quæ, pro suis saltèm Ecclesiæ *Romanæ* Principiis, non sint Officiis *Sacerdotalibus* accensendæ. *Baptismum Laicis*, etiam *Mulieribus* Obstetricibus, concedunt *Romanenses*. Adeo nullam includit, pro eorum sententiâ, Potestatem *Sacerdotalem*. Sic & illa donorum *Oblatio*, seu *Eulogiarum*, seu *Panis* etiam, (ante tamen quàm consecraretur) *Eucharistici*, Laicorum potiùs spectabat officium quàm *Sacerdotum*

Albaspin. *de Euchar.* L. 11. c. 8. Petav. *de Pot. Consecr.* c. 1.

dotum propriè ſic dictorum. *Offerebant* enim illa Dona *Sacerdotibus* Laici, Deo deinceps ab *illis* offerenda; non ipſi *Deo* immediatè, quod proprium erat ipſorum *Sacerdotum*. Et tamen eo ipſo nomine ſeſe Viris Maximis commendârunt iſtiuſmodi interpretationes, quòd hæc *Officia* longiſſimè diſtare viderentur ab Officio *Sacerdotali*. Rectè quidem Illi, ſi à *rei* ipſius *naturâ* deductum fuiſſet Argumentum; perperam omnino, cum à *Teſtimonio* procedat, hoc eſt, à *mente* & *ſententiâ Tertulliani*. Nunc, cum aliter ſe res habeat, facilè intelliget Amicus noſter Anonymus, quàm cauſæ noſtræ nihil obſit, ſuæ nihil faveat. *Tertullianus*, ſi modò ad *illius* Principia ſit exigendus. Concedit noſter *Sacerdotii* propriè ſic dicti munera à *Laicis*, etiam in neceſſitatis causâ, validè præſtari non poſſe; noſtramque omnem, in Tractatu de *SCHISMATE* Diſputationem rectè ſolidéque proceſſuram, de irritis Uſurpantium, quo- *Vind. Defenſ. D. Stillingfleeti, de Separat. cap. V. p. 350. 353.*

 cunque

cunque tandem necessitatis prætextu, Ministeriis, id si unum Nobis modò daretur, pro *Sacerdotio* habendum esse *Evangelii Ministerium*. Sic & *Walo Messalinus*. Atqui
p. 385. id ipsum agnoscit hoc ipso loco *Tertullianus*, & *Sacerdotii* vicem præstare nostrum *Evangelii Ministerium*; & *munerum Sacerdotalium* vicem obtinere *Tinctionem* atque illam (de quâ loquitur) *Oblationem*. Errârit itaque (pro horum hominum Doctorum Principiis) ipse *Tertullianus*, si è communi illo *Sacerdotii* titulo *Jus* Laicorum colligat ad *munera*, quæ dixi, *propriè Sacerdotalia*. Parum etiam verisimile videbitur, de *Facto* saltem, in Ecclesiâ obtinuisse morem illum quo *Tinctionis* illa *Oblationisque* Jura *Laicis*, quacunque tandem illâ *necessitatis* causâ concederentur. Ægrè denique (pro iisdem Principiis) concedetur, hoc ipsum testari voluisse *Tertullianum*.

§. 5. Id certè manifestius est quàm ut negari possit, (ut dubitent

alii,

alii, Sintne hæc pro *muneribus Sacerdotalibus* agnoſcenda ?) id tamen ipſum agnoviſſe *Tertullianum*. Hoc ipſo loco tantundem valent *Offers & Tinguis*, & *Sacerdos es tibi ſolts*. Malè illud, ni à *muneribus Sacerdotalibus* ad ipſum *Sacerdotium* procederet Argumentatio. Tantundem rursùs *Tinguere atque Offerre* ac *agere pro Sacerdote*. Hæc ultima locutio à *Romanis Legibus* deſumpta eſt quarum peritiſſimus noſter erat *Tertullianus*. Sic enim *pro Prætore* aut *pro Conſule* is agere dicebatur qui Prætoris *vicem* ſupplebat aut Conſulis. Et cum hæc pro *Sacramentis* habeat ; planè fateamur oportet de aliâ *Oblatione* illa quàm *Eucharisticâ* intelligi non poſſe, quæ ſola *Sacramentalis* eſt ; nec de alio etiam quàm *Sacerdotis* munere, cujus eſt obire *Sacramenta*.

§. 6. Quicquid etiam de *Baptiſmo* ſentiant Neoterici *Romanenſes*; at *Primævi* certè *Chriſtianiſmi* Principiis erat admodum conſentaneum,

um, ut & illum *Sacerdotali* Officio aſſignarent. Sic noſter certè Tertullianus: *Dandi quidem* (inquit) *habet Jus ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus.* Et quidem *ſummo Sacerdoti* ita illum proprium fecit, ut eo ipſo nomine *Baptiſmum* neget inferioribus etiam *Sacerdotibus*, niſi concedente *Epiſcopo*, nedum *Laicis* ut illum concedere potuerit. Sic enim ſequitur; *Dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi Autoritate, propter Eccleſiæ honorem.* Et paucis interpoſitis: *Quanto magis Laicis diſciplina verecundiæ & modeſtiæ incumbit, quum ea majoribus competat ne ſibi adſumant dicatum Epiſcopi Officium Epiſcopatûs.* Sic & *Ignatius*: Οὐκ ἐξὸν ἐστιν χωρὶς τοῦ Ἐπισκόπου οὔτε ΒΑΠΤΙΖΕΙΝ, οὔτε ἀγάπην ποιεῖν. Certè, quod ad *Romanenſium* cauſam propius ſpectat, *Mulieres* a *Baptiſmi* Adminiſtratione non uno in loco arcet *Tertullianus*. Librum illum de *Baptiſmo* ſcripſit ex profeſſo adverſùs *Quintillam* de *Caianâ* Hæreſi *viperam*,

de Baptiſm. cap. 17.

Ep. ad Smyrn. n. 8.

peram, ut appellat, *venenatissimam*. Ea *Baptismum* sustulit, quam ita castigat Tertullianus: *Petulantia autem mulierum quæ usurpavit docere, utique non etiam tinguendi jus sibi pariet, nisi si quæ nova bestia evenerit similis pristinæ* [*Quintillæ scilicet*] *ut quemadmodum illa Baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat.* Refellit deinde *Theclæ Baptizantis* Fabulam quam à Presbytero *Asiæ* ementitam, & malæ fidei convictam, scripsit tamen postea ornavitque denuo Quinti Seculi Scriptor *Basilius Seleucienfis*. Eodem spectant & alia in *Præscriptionibus* illa: *Ipsæ Mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, Exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tinguere.* Gradum hìc summum fecit, & rarissimo exemplo scelus, *tinctionem* à *Muliere* collatam.

Ib. de Bapt. cap. 17.

Præscript. c. 41.

§. 8. Quòd verò illam Officii *Sacerdotalis* nomine *mulieribus* prohibuerit, aliunde discimus. Sic

de *Virg.* vel. c. 9. enim ſcribit in Libro de Virginibus velandis: *Non permittitur mulieri in Eccleſiâ loqui, ſed nec docere, nec tinguere, nec Offerre, nec ullius virilis muneris, nedum Sacerdotalis Officii, ſortem ſibi vendicare.* Perversè hìc *Tertullianum* interpretatur *Albaſpinæus.* Quaſi verò exempla hìc prolata omnia ad primam, ſint *virilium* duntaxat *munerum*, claſſem referenda; *Sacerdotalis Officii* ita meminerit ut altiorem conſtituat gradum quàm illa, quorum meminerat Exempla. Atqui duplicem omnino claſſem memorat Pater quorum ad alterutram ſuperiora ſpectent exempla. Proinde quæ *Virilis muneris* non ſunt, ea ad ſuperiorem alterum ſpectant, pro ejus mente, gradum, *Officiorum* nempe *Sacerdotalium.* Ut verò invicem ſint diſtinguenda, ita intelligemus. Loqui in conciliis *Virorum* alienum exiſtimabant à *muliebri* verecundiâ *Romani,* ut & reliquæ illorum temporum gentes humaniores. De officio *docendi* idem censuit

Valer. Maxim. L. 3 c. 8. n.6. *Gel.* Noct. Attic. v. 19.

censuit *Apostolus* quem habuit ob oculos proculdubiò Tertullianus. *Mulieres* (inquit) *in Ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & Lex dicit. Siquid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesiâ.* 1 Cor. 14. 34, 35.

Rursus: *Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Heva. Et Adam non est seductus; mulier autem, seducta, in prævaricatione fuit.* 1 Tim. 11. 12, 13, 14.

Tam itaque *docere* quàm *loqui* in Conventibus *Virorum* alienum à *muliebri* verecundiâ judicavit Apostolus, ab eâ etiam *Subjectione* alienum cui damnata est, *Gen.* 3. 16, affine *dominationi* illius quæ *Adamo* & sexui deinde *virili* universo, propter *mulieris prævaricationem* priorem, à Deo fuerat ibidem adjudicata. Ita videmus quàm rectè hæc pro *virilibus* muneribus habeantur, tam in receptis illius Seculi *moribus*, quàm etiam apud

Christianos. De aliis *tinguendi* atq; *Offerendi* muneribus nullum extat Apostoli Testimonium, sintne inter *virilia*, an potiùs *muliebria* recensenda. Gentiles *mulieribus* etiam *Sacerdotia* concedebant, præsertim numinum *muliebrium*, ne dubitemus concessuros tinguendi hæc atque *Offerendi* officia, si alia intelligantur quàm *Sacerdotalia*. Cum Itaque de *virilibus* intelligi non possint, *Sacerdotalia* proinde censuerit, pro *Christianorum* disciplinâ, *Tertullianus*. Porro gradatim hæc exempla recensuerat, à gradu inferiori ascendendo ad superiorem. Infimus omnium est vel *loqui* saltem in *Ecclesiâ*, superior illo *docère*. Plus adhuc *tinguere*, supremus *offerre*. Proinde rectè & in distributione gradus intelligemus, ut *loqui* & *docere* munera sint *virilia*: *tinguere* autem & *offerre*, utpote superiora, *Sacerdotalia* habeantur Officia.

§. 8. Neque verò solus fuit in hàc *muliebris Baptismi* damnatione *Tertullianus*. Tam malè audiit, co

eo præſertim Seculo, ut ne quidem in *Hæreticarum* mulierum tantâ, cujus meminit, *procaciâ* deprehenderetur illius exemplum, Id certè innuunt ejus verba, *forſitan & tinguere*. Sic & *novam beſtiam* appellat, ſiqua fortè *eventura* eſſet (futuro nempe tempore) *Quintillæ* ſimilis *fæmina* quæ Baptiſmum *per ſe conferret*. Nondum itaque eruperat *Quintilla* alia *Montaniſtica* quæ fœminis ipſa etiam tribuebat *Sacerdotia*. Nondum & alia illa *mulier* cujus meminit *Firmilianus*, poſt tempora *Alexandri*, ſub initium *Maximini*, exortæ, quæ non *Baptiſmum* modò, ſed ipſam etiam *Eucbariſtiam*, adminiſtrare auſa eſt. Nullum itaque extabat hucuſq; *probati* iſtiuſmodi *Baptiſmi* veſtigium. Atqui *lotio* communis adeo *mulierum* erat propria ut ſolæ illæ pedes *hoſpitum* Eccleſiæ causâ peregrinantium lavarent quæ Eccleſiæ Eleemoſynis alerentur, 1 *Tim*. 5. 10. ne alia innumera exempla referam aliarum quo-

Præſcrip. de Bapt.

Epiphan. *Hæreſ.* 49. *n.* 2.

Ep. ad. Cypr. 75.

quoque *lotionum* quæ in Primævis occurrunt monumentis. Planè itaque rationem nullam video cur *virile* munus haberetur hæc *Tinctio Baptismalis* ni haberetur etiam *Sacerdotale*. Quòd verò *Sacerdotium* suum *viris* duntaxat assignarent *Christiani*, in promptu erant rationes. Tum quòd numen colerent nequtiquam, ut Ethnici, *fæmineum*: Tum etiam propter *Mysticam* illam, quæ per Sacrificia procurata est, Sacrificantium cum numine *Unitatem*. A *Capitis* enim *Unitate* constat, ex Apostolo, omnem illam fuisse arcessendam *Unionem*. Sic autem *mulieris* Caput *Virum*, ut Viri *Christum*, ut Christi *Deum*, appellat.

1 Cor. 11. 3. Eph. 1. 22. 5, 23. Col. 1. 18.

§. 9. Ne verò hoc singulare apud *Christianos*, aut novum, existimemus, quòd *Sacram* hanc *lotionem Sacerdotum* propriam fecerint, non aliter erat sanè faciendum, si (quod aliter probavimus) à receptis *Ethnicorum Judæorumquè* sermonibus moribusque *Christianorum* sint

ſint deducendi mores ſermoneſque, atque explicandi. Ad *Sacerdotum* præcipuè *Ethnicorum* curam attinebant *luſtrationes Aqueæ*, præſertim illæ quæ in *Templis* peragerentur, Templorumque περιῤῥαντηρίοις. Sic in causâ *Valentiniani Sozomenus*: θαλλοὺς τινας διαβρόχους κατέχων ὁ Ἱερεὺς νόμῳ Ἑλληνικῷ περιέῤῥαινε τοὺς εἰσιόντας. Eandem Hiſtoriam ita *Theodoretus*: ἑκατέρωθεν δὲ τῶν θυρῶν εἱστήκεισαν νεωκόροι περιῤῥαντηρίοις τοὺς εἰσιόντας περικαθαίροντες ὡς ἐνόμιζον. Et certè luſtrationes illæ quæ habebant in *Myſteriis initiationibuſque* locum, propriæ erant *Myſtagogorum* qui & *Sacerdotibus* accenſeri ſolebant. Sic in *Eleuſiniis* myſteria luſtrantia tradebat δᾳδοῦχος, & in *Iſiacis Sacerdos*. Idem obtinebat in publicis *Judæorum* luſtrationibus, *Templi* nimirum illis, *Sacrificiorum* propriis. Quin & in eorum *Baptiſmis* Chriſtianiſmo naſcente jam receptis. *Diſcipulos* eo ritu initiabant *Doctores*, & in ſuam quiſque Scholam

Sozom. Eccl. *Hiſt.* 6. c. 6. Theodoret. *Hiſt.* Eccl. L. 3. c. 16.

Suid. v. Διὸς κώδιον. Apul *Metam.* L. 11.

Scholam inſtituendos admittebant. Proinde munus illud obibat ipſe *Doctor*, aut, ipſius nutu, *primarii* Diſcipuli. Nec enim alterius *Jus* illud eſſe potuit, in ſuâ cujuſque Scholâ, præterquam ipſius *Doctoris*. Vigebat nimirum eo, quo dixi, tempore mos ille quo *Philoſophia* ipſa *Sacra* haberi cœpta eſt, & pro *Myſteriorum* vulgarium *Diſciplinâ* tradi. In eâ *Sacerdotis* vicem repreſentabat ipſe *Doctor*, *Ædituorum* ſeu *νεωκόρων* *Primarii*, quos dixi, *Diſcipuli*, quos etiam ſecundæ illi tribuebant *Sacerdotum* τάξει, ſaltem ὑπηρετικῇ. Sic enim *Sacerdotibus* *Æditūos* ſeu *νεωκόρους* accenſebant Gentiles, *Levitas* Judæi, *Diaconos* ipſi etiam Chriſtiani. Horum ergo Exemplorum quodcunque expreſſerint in *Baptiſmi* causâ *Chriſtiani*, erat ſane pro *Sacerdotali* Officio agnoſcendus. Eâ tamen potiori, præ aliis, ratione quòd *Dei* noſtra ſit *Chriſtianorum*, non *Hominis*, Diſciplina. Medium

um itaque ſe interponebat *Doctor* inter *Deum hominesque*, obibatque τὰ πρὸς θεὸν, quo pacto *Sacerdotium* deſcribit Apoſtolus. Id etiam illis in locis innuit *Tertullianus* quibus *tinguendi* gradum altiorem facit quàm *docendi*, ut proinde potiorem huic *tinctioni* locum aſſignet quàm ipſi etiam *Doctoris* Officio. Plane ſacram illam oportet habuerit *tinctionem*, & *humanâ* vice atq; Diſciplinâ ſuperiorem, certè pluſquam vulgarem admittendi in *humanam* Diſciplinam Diſcipulos Ceremoniam. Quod ſi *Tinctio* Officium ſit *Sacerdotale*, non erit deinde quòd dubitemus & *Oblationem* hanc quàm *tinctioni* ſemper anteponit *Tertullianus*, ipſam quoque eſſe *Sacerdotalem*, nimirum *Eucharisticam*. *Ebr. V. 1*

§. 10. Colligo itaque 3. ut *Tinctio* hæc & *Oblatio* pro *Sacerdotii* muneribus habenda ſunt, ex mente *Tertulliani*: ita *vero* eſſe tribuenda *Sacerdotio*, non duntaxat *umbratico*; ut proinde etiam ipſa non ſint

umbratica, ſed *vera potiùs* & realia illius *Sacerdotii* munera. Planè enim eo collimat univerſa hæc *Tertulliani* Argumentatio ut ex eò colligat *Officiorum* paritatem, quòd *Sacerdotii* munera *Clericis Laiciſque* communia, ſint & ipſa quoque inter ſe paria. At ſane *veri* Sacerdotii atque *Umbratici* nulla prorſus eſt paritas. Neque *paria* illis reſpondent *Officia*, quin potiùs plura atque potiora *Vero* Sacerdotio conveniunt quàm *Umbratico*. Ita utroque capite falleret hæc probatio, ut ne quidem ullam exhiberet veri ſimilitudinis vel ſpeciem, quâ *Tertulliano* incautiùs diſputanti poſſet vel fucum facere. Quid quòd etiam *Umbratici* Sacerdotii munera non eſſent ſane *Sacramenta* appellanda, quo ſenſù Sacramenta *Sacerdotii* ſunt propria. Innuit prætereа noſter Autor, idem prorſus à *Laico*, in neceſſitatis causâ, præſtari quod *Sacerdotem* argueret ſi præſtaretur in Conventu *Eccleſiaſtico*. Nec enim

aliter

aliter ſequeretur, *talem* eſſe oportere, in *neceſſitatis* causâ, qualis eſſe debuit in cauſis *Ordinariis* ipſe *Sacerdos*. Atqui *Sacerdotem vera* arguunt Sacerdotii munera,non duntaxat U*mbratica*. Quanquam itaque concederetur *adumbrari* in *Primitiarum Donorumque* aliorum *Oblatione* quodam modo *Sacerdotium*; Quanquam etiam propiùs accedat ad *veri* Sacerdotii ſpeciem ſpecierum *Euchariſticarum*, quoties reſervarentur, Oblatio: Nondum tamen illa *Sacerdotalis Oblationis* naturam univerſam abſolvunt, ut proinde *Verum* Sacerdotium probare poſſent, pro mente *Tertulliani*. Sic & alii qui idem ſentiunt cum *Tertulliano*. *Hilarius* Diaconus Officia *Evangelizandi*, *Baptizandi*, Scripturas in Eccleſiâ *prædicandi*, in initio *Laicis* exiſtimat conceſſa, quæ tamen ille ſuperioris Cleri Jura agnoſcit. Sic & *Hieronymus Tertulliani*, in causâ *Monogamiæ* plerumque compilator, *Baptiſma Laici Sacerdotium* appellat.

Comm. in Eph. 4. 11. *ſub nomine* Ambroſii.

Cont. Luciſer.

lat. Rectè itaque *Tertullianus* Officiis *Sacerdotalibus* accensuit.

Vind. Contin. c. 5. p. 349, 350, 351.

§. XI. Quòd itaque Amicus Cl. in Jure *Sacerdotii Mystici* pares existimet cum *Clericis*, nec eo nomine arcendos putet à *Ministerii Publici* Officiis *Laicos*; sed Ordinis duntaxat, & *Regiminis* Ecclesiastici; Ita *Tertullianum* explicet, & cum *Pacis* publicæ securitate conciliet: Quod (inquam) ita Respondeat, nec *rectè* ille, nec pro *mente Tertulliani.* Hoc ipso *Sacerdotii* Jure *Laicos* interdicit *Tertullianus.* Id reprehendit in Hæreticis quòd *Laicis Sacerdotalia munera injungerent.* Hanc ipsam *Sacerdotii paritatem*, & *tumores*, eâ ipsâ de causâ, *Laicorum* verbis refellit disertissimis; *Quum extollimur* (inquit) *& inflamur adversùs Clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes Sacerdotes, quia Sacerdotes nos Dei & Patri fecit. Quum ad peræquationem Disciplinæ Sacerdotalis provocamur, deponimus infulas* (*Sacerdotales* scilicet) *& impares*

Præscript. c. 41.

de Monog. c. 12

pares sumus. Sic enim pro *pares* legendum monuerunt Viri Eruditi. Sic & in locis suprà recensitis quibus ostendimus *tinctionem Oblationemque Tertulliano* munera esse *Sacerdotalia*, cum enim illa *Laicis* in solâ *necessitatis* causâ permittat; non utique de *communi* Laicorum, sed *proprio* erit Clericorum, *Sacerdotio* intelligendus. Habent itaque Clerici *Sacerdotium* (si *Tertullianum* audiamus) distinctum prorsus à *Sacerdotio* Laicorum. Cum itaque Jura *Sacerdotii* neget Vir Clarissimus *Laicis* nisi per *Divinam Institutionem* posse communicari; proinde sequitur per viri Docti Principia, nec quidem si verè *illius* essent, defendi posse *Tertullianum*.

§. XII. Nec modò *Tertulliani* defensioni *Principia* immiscet Amicus noster alienissima à mente *Tertulliani*, sed ab ipsâ etiam *rei* veritate. Quòd neget Evangelii *Ministerium* pro *Sacerdotio Mystico* atque *Mediatorio* habendum, in

eo discedit à sententiâ *Primævorum*, à *Novi* etiam *Testamenti* Ratiociniis, ut alibi ostendimus. Jam alibi observavimus nullum esse *Judæorum* Sapientumque *Ethnicorum Privilegium* cujus meminerint N.T. Scriptores quin illud sensu longe nobiliori suis vendicent *Christianis*. Ostendimus in illis contineri λατρείαν (*Templi* nimirum *Hierosolymitani* Ministerium) *Rom.* 9. 4. Ostendimus proinde à *Judæorum Sacerdotibus* ad *nostros* argumentari Evangelii *Ministros* tum Scriptores *Sacros* tum etiam seculi Apostolici *Clementem Romanum*. Non rectè illi nisi & *nostri* fuissent quales illi *Sacerdotes*. Nec negat Vir Cl. frequentem esse in *Patribus* de Evangelii Ministris vocem *Sacerdotii*. Quid igitur dubitat & *naturam Sacerdotii* iisdem tribuere, *Mystici* nimirum atque *Mediatorii*? Nempe unâ illâ fretus ratione quòd *Christus solus* sit novi Testamenti *Mediator*. Nempe non advertit Vir alioquin perspicacissimus, id genus locutiones

Diss. Sacerdot. & ur. Alt. c. 1. *Sect.* 5, 6, 7.

locutiones de *Deo* & *Christo* non impedire quominùs eædem voces *hominibus*, sensu inferiori tribuantur. *Nemo bonus præter unum Deum.* Num propterea *hominem bonum* neminem agnoscet? Idem *solus sapiens*, & *solus* dicitur *habere immortalitatem*. Et tamen donum *Sapientiæ* habebant *Apostoli*, & quidem *Divinæ* illius *Sapientiæ*, non *fucatæ* atque *Mundanæ*; & *immortales Angeli* atque *Animæ Humanæ*. *Unus* nobis καθηγητὴς, & *unus* διδάσκαλος *Christus*. Nec minùs tamen Ordinem in Ecclesiâ *Doctorum* agnovit Apostolus. Nemo nobis *interris* appellandus *Pater*. *Patris* tamen idem *nomen* & *Jus* sibi vendicat Apostolus. Sic & in hâc nostrâ causâ Episcopum *Sequestrem Dei* & *hominum* appellat *Hieronymus*, voce nimirum eâdem quâ *Romanæ Leges* eum notant qui Græcis dicitur μεσίτης. Nec aliter *Græcus* etiam ipse *Chrysostomus*. Voce tamen πρεσβεύειν (quæ eodem redit) non μεσιτεύειν. Latuit

Ep. 128. *ad* Fabiol. *de vest. Sacerdot.*

Chrys. *L. 6. de Sacerdot.*

tuit nimirùm virum doctum ars ea *Platonicorum*, quos imitati plerique è primævis *Christianis*. χρῆται (inquit de *Platone Laertius*) ἐν τοῖς ἐναντίαις φωναῖς ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ. Nempe corrigendo imaginationis errori, ut scilicet cum voces easdem tribui videmus *Deo* & *Creaturis*, significatione tamen longe præstantiori de *Deo* usurpari intelligamus quàm quâ illas intelligimus quoties tribuuntur *Creaturis*. Sic itaque & *Sacerdotes Mediatores* appellamus, & *Christum* tamen *unicum Mediatorem* agnoscimus, quòd quo sensu *Christus Mediator est*, eo *Creatura* nulla, ne quidem *Sacerdos*, *Mediator* appellandus sit. Est enim & ea quoque alia *Platonicorum* Regula, ut *Veritatem* solis rerum *Archetypis* rerum simulacris assignent, quas *Ideas* appellant, & Λόγῳ suo tribuunt: Idearum autem *creatis Ectypis* Veritatis quandam concedant duntaxat *apparentiam*, qualis est *Solis* in *Parhelio*, aut in *cerâ Sigilli*. His enim

Laert. Platon. *L*. 3.

enim ipſis ſimilitudinibus rem illam explicant. Sic enim Λόγον Ἀυτοὸν & Ἀυτόφως appellant, *Creaturas* Λόγου participes ἑνοειδεῖς duntaxat & φωτοειδεῖς. Atque has *Platonicorum* Regulas jam alibi oſtendimus à *Novi* quoque *Teſtamenti* Scriptoribus obſervatas, multò magis à *Primævis Chriſtianis*. Porro Λόγῳ huic Ἀρχιερωσύνην & μεσιτείαν tribuit & πρεσβείαν inter Deum homineſque, pro *Judæorum Helleniſtarum* ſententiâ, ipſe *Helleniſta Philo*. Proinde conſentaneum erat ut (pro his loquendi Regulis) Ἀυτοαρχιερέα illum & Ἀυτομεσίτην & Ἀυτοπρεσβευτὴν nuncuparent; *Creatos* autem *Pontifices* Ἀρχιερεοειδεῖς, Μεσιτοειδεῖς & Πρεσβευτοειδεῖς. Ut proinde *verus* Ἀρχιερεὺς, Μεσίτης, Πρεσβευτὴς ipſe *ſolus* agnoſcendus eſſet, reliqui *apparentes* duntaxat & *umbratici*.

Philo περὶ Ὀνείρων, p. 406 Id. τίς ὁ τῶν θείων κληρονόμος. p. 346.

§. 13. Non eſt tamen quod propterea *Creatis* quoque *Pontificibus* omnem prorſus *Pontificii*, aut

Mediatorii, etiam, Officii, negemus, pro harum quoque Regularum conſecutione, *Veritatem*, dum tamen illi, non cum Λόγῳ, ſed *invicem*; conferantur. Ut enim Λόγος omnis Ἀρχιερωσύνης *Archetypus*, *ſolus* proinde *verus Pontifex* erat agnoſcendus; ſic & *Creatorum* Pontificum quicunque aliis eſt Creatis *Archetypus*, Erit propterea (pro illius quæ in Creaturas convenit *Veritatis* ratione) *verus* etiom *Pontifex* appellandus. Quanquam enim Αὐταλήθειαν *ſolum* Λόγον indigitarent *Platonici Helleniſtæ*, non tamen illi tantopere à vulgari loquendi conſuetudine abhorrebant, ut non aliqualem agnoſcerent etiam in Creatis *Veriſimilitudinem* aliam aliâ ſimiliorem, quò nimirum longius illa aut propiùs à Λόγῳ Αὐταληθείᾳ diſtarent, quam etiam illi, pro Vulgi conſuetudine, *Veritatem* appellarent. Id verò ſupponunt Novi Teſtamenti Raciocinia, ut reliqua Veteris Teſtamenti omnia, ſic etiam ejuſdem

ejusdem λατρείαν, similem prorsus, unde propterea liceret Argumentari, in N. T. designare λατρείαν. Proinde ita loquuntur N. T. Scriptores ut τύπους duntaxat agnoscant in Oeconomiâ *Mosaicâ*, *Veritatem* Novi Testamenti *propriam* faciant, quod etiam propterea longe docent esse efficacius, quòd hujus Oeconomia Λόγον propiùs repræsentet & immediatiùs, Veteris Testamenti illa Novi nostram repræsentet *immediate*, Cœlestem autem dispensationem duntaxat *mediatè*. Utque videamus quo jure N. T. Dispensationi tribuant *Veritatem*, vim quoque omnem *Veteris* Dispensationis ita deducunt à *Novâ* ut deducitur *Novæ* Dispensationis vis etiam omnis à *Cœlesti*. Sic *Veteris* Testamenti *Sacrificia* Novi Testamenti *Sacrificio* Christi in *cruce* vim suam omnem debent. Sic & eorum *Pascha* nostro *Paschati*. Sic & eorum in nube *Baptismus*, & *Baptismus* etiam *Diluvii*, nostro etiam *Baptismo*, cujus illi fuerunt

Typi, noſter autem eorum ἀντίτυ-πον. Ad eundem modum & *Sacerdotium* eorum vim ſuam acceperit à *noſtro* etiam *Sacerdotio*, non illo duntaxat *Chriſti*, (fuit enim id commune *Legi* cum *Evangelio*) ſed *externo* illo miniſterii Evangelici *Sacerdotio*. Sic enim conferuntur, ut diximus, *Externa* eorum *Sacramenta* cum noſtris *Externis* itidem *Sacramentis*, *Paſcha* eorum cum noſtro etiam *Paſchate* Euchariſtico, & *Baptiſmus* cum noſtro itidem *Baptiſmo*. Sic etiam conſtabit *externam* Evangelii Diſpenſationem *Externæ* itidem *Moſaicæ* Diſpenſationi anteponendam. Nec enim de *aliis* utriuſque Teſtamenti Diſpenſationibus quàm *Externis* omnis illa inſtituebatur illorum temporum Diſpenſatio. Conſtabit præterea *Evangelicæ* Diſpenſationi ea omnia fuiſſe tribuenda *beneficia* quæ veteres ſub Diſpenſatione *Moſaicâ* de *Facto* etiam ſunt conſequuti, quò etiam collimant Apoſtoli frequentes ad-

modum

modum in Epiſtolis Diſſertationes. E *Novi* igitur Teſtamenti *Principiis* ita manifeſtum erit, quo ſenſu *Veritas Creaturis* tribuitur, eodem & *Noſtrum* Evangelii *Verum* eſſe *Sacerdotium*, & *Officium* illius Sacerdotii *Mediatorium* ipſum quoque eſſe *Verum*. Unde etiam colligitur, ut, *Publici Sacerdotii* Jus nullum conferebat *privatum* Judaici Peculii *Sacerdotium*; Sic nec *Evangelici Peculii*, ſeu *Myſtici* potiùs *Judaiſmi*, *Sacerdotium* Jus tamen ullum habere commune cum *Publico* ejuſdem Evangelii *Sacerdotio*.

§. 14. Reliqua ex *Auguſtino* noſter mutuatus eſt Amicus. Videamus itaque quam vim habeant quæ hâc eâdem in causâ ratiocinatur S. *Auguſtinus*. Poſuerat quodam in loco *Parmenianus* Donatiſta *Mediatorem inter Deum & Populum Epiſcopum*. Huic illum opponit S. *Pater* Apoſtoli locum, *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt* Cont. Parmen. L. II. c. 8.

propi-

propitiatio pro Peccatis noſtris. Inde ita Argumentatur. *Si itaque ſequeretur & diceret: Et ſi quis peccaverit, advocatum habetis apud Patrem Jeſum Chriſtum Juſtum, &c. ſeipſum à peccantibus quaſi ſegregâſſe videretur, ut jam non ei opus eſſet propitiatione quæ ſit per Mediatorem ſedentem ad dexteram Patris, & interpellantem pro nobis. Quod utique non ſolum ſuperbè, ſed etiam falsò diceret. Si verò ita diceret, hoc ſcripſi vobis ut non peccetis, & ſi quis peccaverit, Mediatorem Me, habetis apud Patrem, & ego exoro pro Peccatis veſtris, &c. Quis eum ferret bonorum atque fidelium Chriſtianorum? Quis ſicut Apoſtolum Chriſti, & non ſicut Antichriſtum intueretur?* Reddit autem, paucis interpoſitis, rationem: *Homines enim* (inquit) *omnes Chriſtiani invicem ſe commendant Orationibus ſuis. Pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic unus veruſque Mediator eſt, cujus Typus, quoniam præſigurabatur*

in

in Sacerdote veteris Testamenti, nullus illic invenitur orâsse pro Sacerdote. Tandem & illud, de quo egimus Argumentum de Christo uno Mediatore subjungit. Non est tamen quòd de S. *Augustino* admodum laboremus, acutiore quàm peritiore aut solidiore Adversario. Quod tamen salvâ Patris Maximi *Pietate* atque *Eruditione* sit dictum. Multa solent illius ætatis *Rhetores* in *Adversariis* Tragicè reprehendere quæ æquiore animo censuissent si Catholicum habuissent Auctorem. Id quod ex hoc ipso loco, ne longiùs abeamus, abunde constat. Sic enim *Mediatoris* officium (quò majorem conflaret Adversario *invidiam*) describit ut Supremum illum, quem dixi, sensum designet, nec in alium possit quàm in *Christum* solum, convenire. Loquitur nimirum de *Uno Veroque Mediatore*, quem etiam postea *Maximum* & *Verissimum* appellat *Ecclesiæ Sacerdotem.* Verba sunt pro illis, quas dixi, *Platoni-*

corum

corum Regulis, *Supremæ* vocis *significationi* omnino propria. Quasi vero eo sensu vocem intellexisset *Parmenianus.* Loquitur de eo *Mediatore*, qui nec fidelium *indiget* precibus, nec eâ ipsâ *propitiatione* quæ fit per *Mediatorem* sedentem ad dexteram Patris & interpellantem pro nobis. Quasi nempe eam significationem vox illa necessariò denotaret, aut talem credidisset suum *Parmenianus Episcopum.* Occurrit tamen de *Mose* vox illa aliquoties, quem nemo nihilominus *Christianorum* negabit primario illo *indigisse* Mediatore. *Ego* (inquit) *sequester & medius fui inter Deum & vos in tempore illo.* Et de Lege Apostolus: *ordinata per Angelos in manu Mediatoris*, Grecè μεσίτȣ. *Mediator* ille, quis fuerit, è priori loco intelligimus. Mox etiam sui videtur oblitus S. Pater cum *summo* veteris Testamenti *Pontifici* concedit hoc quod *Episcopis* negârat, tam *Sacerdotis*, quàm etiam *Mediatoris*, offici-

Deut. 5. 5.
Gal. 3. 19.

Officium. Inde factum colligit, quòd nullus inveniatur, in Veteri Teſtamento, *orâſſe pro Sacerdote.* Huic etiam Obſervationi aſtipulatur Amicus noſter.

§.15. Ubinam ergo illud, quod tanti faciunt, de *Uno Chriſto Mediatore*, Argumentum? Adverſumne putant Mediatoris *Unitati* Sacerdotii *Chriſtiani* Officium *Mediatorium*? Nec tamen *Sacerdotii Judaici* adverſum ei idem putant Officium? *Antichriſtus* habebitur *Mediator Epiſcopus*, ſeu etiam *Apoſtolus*? Nec *Antichriſtum* agnoſcent *Judæorum* ſummum Sacerdotem ſimiliter *Mediatorem*? Ecquis eſt qui non videat quantùm hæc ſpectent ad minuendam *Evangelici Sacerdotii* dignitatem, ad *Moſaici* illam anteponendam, ad refellenda ea omnia *Apoſtoli* ratiocinia quibus nobiliorem oſtendit *Evangelii* Diſpenſationem Diſpenſatione *Moſaicâ*? At *Typus* fuit (inquiunt) *unici* Mediatoris *Pontifex Moſaicus*. Non tamen abſolvit *Mediatoris* il-

lam quam hìc tradunt ſignificationem *Typicus* ille *Mediator*. Eſto, verum fuerit. Nullus fuerit ſub veteri Teſtamento repertus qui *orârit* pro *Sacerdote*. Num proinde ſequitur, ne quidem alienâ prece eum *eguiſſe*, ne quidem univerſali illâ *Chriſti Mediatoris* interpellatione? Hæc tamen illi *Mediatoris* nomine intelligunt, dum *Parmenianum* reprehendunt, dum negant Sacerdotio *Evangelico* Officium *Mediatorium*? Nihilominus *verum* non eſt, nullam fuiſſe pro Judæorum *Sacerdote primario* Orationem. Idem ipſe *pro ſe* oravit *Pontifex* atque *ſacrificavit*, ſuam proinde alienæ opis indigentiam hoc ipſo facto profeſſus. *Orâſſe*
Lev. 16. 6. *pro ſe, & pro domo ſuâ*, diſerta ſunt in hanc ſententiam verba *Levitici*. Idque ipſum ante nos obſervavit Magno Sanctoque *Patre* major tamen & ſanctior Apoſto-
Ebr. 7. 27, 28. lus: *Qui non* (inquit) *habet neceſſitatem quotidie* (*quemadmodum Sacerdotes*) [*Leviticos intelligit*] *priùs*

priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, hoc enim fecit ſemel, ſe offerendo. Lex enim homines conſtituit Sacerdotes infirmitatem habentes. Rurſus: *In ſecundo autem, ſemel in Anno ſolus Pontifex*, (non alius omnino quàm ſummus) *non ſine ſanguine quem offerret pro ſua & Populi ignorantiâ.* Nullum ergo, hâc in causâ diſcrimen Sacerdotii *Levitici* atque *Evangelici*, nullum certè *Levitici* Privilegium. *Typum* tamen *unici* noſtri *Mediatoris* agnoſcunt ipſum illum *Leviticum Sacerdotem*. Nihil itaque includit *unici Mediatoris* rationibus adverſum *Typicum* iſtiuſmodi *Sacerdotium*, nihil certè *Antichriſtianum*. Nihil enim pugnat unius *Antitypi* multos eſſe *Typos*, unius *Originalis* multas eſſe *repræſentationes* quæ tamen habeant virtute ſui Originalis propriam ſibi quandam in *Lege* vim atque efficaciam, ne prophanorum manibus temerè aut impunè contrectentur. Ebr. 9. 7.

de Uno Altar. *&* Uno Sacer-dot. *c.* 12.

§. 16. Quidni igitur *Episcopos* eodem illo *Typici Sacerdotii* nomine & honore insigniamus? *Ignatium* certè aliosque insigniisse *Veteres* alibi ostendimus. Nec negari certè potest *honorem* quemcunque habent, à *Christo* eum habere, & in *eum* redundare omnes proinde illorum *contemptus* atque *contumelias*. *Christum* itaque *repræsentent* necesse est, unamque constituant cum eo in Lege, *Personam*. Alioqui nulla posset esse ratio cur ad *Christum* pertineat quæ in illos admittitur *Contumelia*. Negari iterum non potest quæcunque locum habent, in *Christianismo*, Sacrificia ea etiam ad Officium *Episcoporum* attinere, nec ab alio esse quàm à *Christo* eorum etiam illam *Sacrificandi* Potestatem, nec aliud *repræsentari* in *Eucharistiâ* Sacrificium quàm *Christi* illud in *Cruce* quod & in *Cælis* hodieque à *Christo* repræsentatur. Qui ergo *Christum* in ipsâ etiam *Sacrificandi* Potestate *repræsentant*, Quidni illos

illos pro *repræsentatitiis Sacerdotibus* habeamus? At Sacerdotem *Typicum* non alium intelligimus quàm Sacerdotem istiusmodi *repræsentatitium*. Sed *Typos* omnes *Veteris* Dispensationis proprios existimant Adversarii. Concederem facilè si de *futuræ* Dispensationis *Typis* intelligerent, quales erant *Mosaici*. Nec enim aliam fateor *futuram* Dispensationem esse expectandam. Quòd si de rerum *invisibilium Cœlestiumque Typis* intelligant, nec verum est tales in *Christianitate* locum non habere, nec id unquam ex ullis conficient *Scripturarum* ratiociniis. Ipsa *Sacramenta* id genus *Typi* sunt, Officia nempe nostra *Sacerdotalia*. Nihil ergo impedit quin & ipsum, cujus ea sunt Officia, *Sacerdotium Typicum* agnoscamus.

Caput II.

Factum *Laicorum* Sacerdotale *nullum testatur ab Ecclesiâ* probatum *fuisse* Terullianus.

C*Oncesserant hactenus Ecclesiæ* Patroni, pariter ac Adversarii, *de* Facto *aliquo Laicorum* Sacerdotali, *& quidem ab Ecclesiâ* probato, *intelligendum hoc in loco* Tertullianum. §. 1. *Non est* Tertullianus *Testis de* Facto, *sed Disputator de* Jure *Laicorum*. §. 2. *Idem valent* Tertulliano Tinguis & Offers, *ac* Jus habes Tinguendi atque Offerendi. §. 3. *Exempla*. §. 4. *Ita se explicat ipse* Tertullianus. §. 5. Tinctionem *hanc* Oblationemq; *Laicorum non sumit pro* concessis, *sed* probat. §. 6. *Aliis in locis, ubi* non probat, *eo ne utitur quidem*

dem Argumento. Exhortationem Caſtitatis *ſcripſit nondum* Hæreticus. Eccleſiæ *diſplicuiſſe hanc* Argumentationem *innuit ipſe* Tertullianus. §. 7. *Explicantur hujus Argumenti* Principia. *Forma* Regiminis *Eccleſiaſtici à* Romanarum Civitatum *formâ deſumpta.* §. 8. Eccleſiæ *nomen ab uſu vocis* Helleniſtico, *ut proinde non ſolos* Plebeium *conventus deſignârit.* §. 9. *In* Sacris, *idem* Eccleſiæ *nomen*, (*etiam apud* Græcos,) aliorum *Conventus ſignificavit*, *præterquam* Plebeiorum. §. 10. *In Eccleſiâ* Chriſtianâ *certum eſt* Stantes *Laicos Clericis* ſedentibus *fuiſſe minores.* §. 11. *Etiam inter* Sedes *Eccleſiaſticas propria tamen quædam erat dignitas* Sedis primariæ. §. 12. *Pro exemplo Monarchiæ* Romanæ *probabile eſt Monarchiam* Eccleſiaſticam *fuiſſe* abſolutiſſimam. §. 13. *Jus* Regiminis *Eccleſiaſtici naſcitur è Jure* Sacerdotii;

ut

ut proinde siquod Jus habuerint Laici regendi *Ecclesiam, eosdem Jure etiam* Sacerdotii *præditos fuisse necesse sit.* §. 14. *Quid sit* Tertulliano *Ecclesiæ* Autoritas. §. 15. *Quid* honor *per Ordinis Consessum* sanctificatus. §. 16. *Quid* differentiam *inter Ordinem & Plebem ab Ecclesiæ Autoritate* constitui. §. 17. *Quid* honorem *Sacerdotii per Ordinis Consessum* sanctificari. §. 18. *Quid* constitui. §. 19. *Quem nexum habeant hæc* Tertulliani *verba cum præcedentibus.* §. 20. *Explicantur* Tertulliani *verba*; Adeo ubi Ecclesiastici Ordinis non est Consessus, &c, §. 21. *Non* Clavis errorem, *aut* malè *administratam à Rectoribus* rem *Ecclesiæ* publicam, *pro* Necessitatis casu *agnovit* Tertullianus. §. 22. *Infertur, de* Facto *ne quidem intelligi posse* Tertullianum. §. 23. *Explicantur verba,* Ubi tres, Ecclesia est, licet Laici. §. 24. *Intelligenda de tribus Sacerdotibus,*

cerdotibus, ut proinde Sacerodtes *essentiam* Ecclesiæ *constituerent.* §.25.*Ita senserunt coævi* Tertulliano,*idque meritò.* §. 26. *Explicantur, refelluntur que* Tertulliani *verba illa*,Unusquisque enim suâ fide vivit,*&c.* §. 27. *E* Suffragiis *Laicorum,in Causis* Ecclesiasticis, *jus eorundem* Sacerdotale *videtur elicuisse* Tertullianus.§.28. *Sed perperam.* §. 29.

Resp. ad alium Terulliani *locum quo* Factum *subindicari putant in* Lib. *de* Cor. Mil. Præsidentium *nomine non* Presbyteri *intelliguntur, sed* Episcopi. §.30. *Seculo* Tertulliani *ne quidem ipsis licebat* Presbyteris *Communionem* date *nisi* consulto Episcopo, *nec passim alibi* celebrare, *nisi ubi* præsens *adesset* Episcopus. §. 31. *Non ita ab* initio. §. 32. *Seculo* Quarto *permissus* Laicis, *urgente Necessitate,* Baptismus. §. 33. *Non tamen in Ecclesia* Africana. §. 34. *Ne quidem urgente* Necessitate, *audebant* Laici

Afri *Consecrare Eucharistiam.* §. 35. *Quæ adduxit è* Basilio *de Patriciâ* Cæsariâ Petavius, *nihil omnino ad Consilium* Tertulliani. §. 36.

§. 1. Ita refutatis aliorum de hoc *Tertulliani* loco sententiis, alia jam quærenda ratio quâ possit adversus illum *Ecclesiæ Disciplina* defendi. Id quod eo magis factu necessarium est quòd nimium huc usque concesserint Ecclesiæ *Patroni* Ecclesiæ *Adversariis.* In eo enim utrique consentiunt, fuisse nimirum, *Tertulliani* ætate, *Laicos* qui *Baptismum* saltem celebrârint, *Sacerdotii* nimirum (ut vidimus) *Evangelici* officium, si tamen nulla fuisset aliunde *copia* Sacerdotum Evangelicorum, nullus istiusmodi *Sacerdotum* in vicino *consessus.* Consentiunt non *Hæreticos* modò *Laicos*, aut *Schismaticos*, aut aliunde ab Ecclesiâ *extorres*, hæc sibi munia vendicâsse (eorum enim nullam concedent

dent apud *Catholicos* fuiſſe Autoritatem) ſed *Laicos* & ipſos *Catholicos*, nec eo à *Catholicis* nomine reprehenſos. Sic enim ſolida, apud *Catholicos*, ab id genus *Laicorum* uſu, *Tertulliani* procederet Argumentatio, alioqui frivola & prorſus inepta. Conſentiunt denique non id *Poteſtate* aliquâ à Clericis *mutuatitiâ* feciſſe, etiam in *Neceſſitatis* causâ, *Laicos*; ſed *ſuo* quodam *Jure Sacerdotali*, neutiquam tamen extra illam *Neceſſitatis* cauſam, exercendo. Nec enim à *præſumpto* Clericorum *conſenſu* procedit ratiocinium; nec ſi ita procederet *Jus* aliquod *Laicorum* Sacerdotale probaret *mutuatitia* prorſus *Autoritas*, quod tamen inde conficit *Tertullianus*.

§. 2. Ego *Tertullianum* ita intelligo, non ut *Teſtis* fuerit *conſuetudinis* in Eccleſiâ de *Facto* obtinentis quà *Laicis* munera *Sacerdotalia*, in *Neceſſitatis* causâ, ab *Eccleſiâ* permitterentur, ſeu rectè ea, ſeu perperam permitterentur: ſed plane ut *Diſputator* id è *Jure* Laicorum *Sa-*

cerdotali collegerit, *Jus* esse *Laicis*, in casu *Necessitatis*, administrandi munera *Sacerdotalia*, seu *probarentur* ea ab *Ecclesiâ*, seu *irrita* haberentur; seu fuissent *reperti* Laici qui *Jure* suo fungerentur, seu *neminem* haberent *Exemplum*. Ita nullum erit *Tertulliani*, quod putant, de *Facto* Testimonium. Sic enim *Disputat* ille, non ut è *Facto Jus* Laicorum *Sacerdotale* collegerit, sed è *Jure* eorundem *Sacerdotali* (non concesso à *Catholicis*, sed aliis *Ratiociniis* comprobato) illud prætera collegerit, rectè *Laicos*, & pro Officio, facturos si qui munera *Sacerdotalia*, eo, quem dixi, *Necessitatis* casu exercuissent. Inde porro concluserit, quò paratiores essent, ad tales casus, *Laici*, cum *munere* Sacerdotali Sacerdotalem quoque illam, de quâ agit, *Monogamiæ Disciplinam* observare oportere. Sic propria erit *Tertulliani* hæc Sententia, non *Ecclesiæ*, nec proinde pluris æstimanda quàm illa, quâ nititur, *Argumentatio*. Sed

Sententiæ

Sententiæ Paradoxæ, & quæ alios effugerit Ecclesiæ non *Adversarios* modò, sed etiam *Amicos*, reddendas fateor esse rationes.

§. 3. Imprimis verba illa *Tertulliani Offers & Tinguis*, quanquam *Præsentis* Temporis, non tamen *Actualem* aliquam *Tinctionem* necessariò denotant aut *Oblationem*. Nec enim, ubi nullus esset *Sacerdotum* Ecclesiasticus *Consessus*, statim necesse erat de *Facto tinguere* aut *Offerre* Laicos, sed poterant omnino, & necesse erat illos aliquando, à *Facto* abstinere. *Rigaltius* ipse casum *Tinctionis* & *Oblationis* conditionatum duntaxat facit, nec tamen *positâ conditione* ut possit in *absolutum* transire. Nec enim in Ecclesiis *constitutis*, etiam ingruente *Persecutione* quæ impediret quominùs possent *Ecclesiastici Sacerdotes* in unum convenire, ita *Sacerdotum consessum* defecturum existimat ut locus esset *Sacerdotio Laicorum*, sed apud *Barbaros* duntaxat, aut in *Insulâ desertâ*, ubi ne

Rigalt. *ad Lib. de Exhort.Cast. ex* Agobardi *Codice Edit.* Lutet. 1628. *Observ.* 19.

ne *essent* quidem *Sacerdotes* qui *possent* in unum convenire. Tantundem igitur apud illum valent *Offers ac Tinguis* ac (*positâ* illâ, quam dixi, *Conditione*) *Offerre velles ac Tinguere.* Aliter *Albaspinæus.* De *Oblatione* enim & *Tinctione* intelligit non modò de *Facto* præstitis, sed quæ etiam *consuetæ* essent & in solenni *more* positæ. Idem igitur illi *Offers ac Tinguis*, ac *Offerre soles ac Tinguere.* Plus etiam hìc per verba illa intelligit quàm, per strictas *Grammaticæ* Regulas, *Præsentis* Temporis verba solent denotare. Ego tertiam potiùs Significationem huic loco puto aptiorem, quæ tamen nullum includat, uti dixi, de *Facto* Testimonium, ut nimirum verba illa eodem redeant acsi dixisset, *Jus habes offerendi atque Tinguendi. Jus* enim ei esse potest qui eo tamen neutiquam *utatur.*

Albaspin. *de Eucharist.* L. ii. *c.* 8.

§. 4. Est enim id in Scriptoribus de *Legibus* frequentissimum ut *Præsentis* Temporis Verbis *Jura*

ra designent. Sic in *Constitutionibus* quas *Apostolicas* appellant: Ἐπίσκοπος εὐλογεῖ, οὐκ εὐλογεῖται· χειροθετεῖ, χειροτονεῖ, προσφέρει, εὐλογίαν παρὰ Ἐπισκόπων λαμβάνει, παρὰ δὲ Πρεσβυτέρων οὐδαμῶς· Ἐπίσκοπος καθαιρεῖ πάντα Κληρικὸν, &c. Πρεσβύτερος εὐλογεῖ οὐκ εὐλογεῖται. εὐλογίας δέχεται παρὰ Ἐπισκόπου καὶ συμπρεσβυτέρου· ὡσαύτως ἐπιδίδωσι συμπρεσβυτέρῳ. χειροθετεῖ οὐ χειροτονεῖ, οὐ καθαιρεῖ, ἀφορίζει δὲ ὑπερβεβηκότας, &c. Διάκονος οὐκ εὐλογεῖ, οὐ δίδωσιν εὐλογίαν, λαμβάνει δὲ παρὰ Ἐπισκόπου καὶ Πρεσβυτέρου· οὐ βαπτίζει, οὐ προσφέρει, &c. Sic & reliquorum Clericorum *Jura* pro eâdem plerunque formâ indicantur. Sic autem formam aliquando mutat, ut una alteram explicet. Ita enim ibidem legimus: Τῶν δὲ ἄλλων κληρικῶν τὸ τοῦ διακόνου ἔργον ποιῆσαι οὐδενὶ ἐξὸν & Ὑποδιακόνῳ οὐκ ἔξεστιν ἀφορίσαι, &c. Idem igitur valebat in superioribus, οὐ χειροτονεῖ, οὐ χειροθετεῖ, οὐ καθαιρεῖ ac οὐκ ἔξεστι χειροτονεῖν. χει-

Const. Ap. L. 8. c. 8.

ροθε-

ροθετεῖν, καθαιρεῖν, & vice versâ χειροτονεῖ, χειροθετεῖ ac ἔξεστι χειροτονεῖν, χειροθετεῖν, *&c.* Sic & apud *Juridicos* Judæos, *Rex Judicat, non Judicatur, Sacerdos Judicat & Judicatur, &c.* Sunt etiam aliorum Legum pro eâdem formâ ſtatuentium exempla frequentiſſima.

Sanhedr. c. 11. 1, 2.

§. 5. Nec ſe aliter explicat ipſe *Tertullianus.* Quod enim hìc dixerat *Offers & Tinguis,* id ita poſtea aliter enunciat. Sic enim infrà: *Igitur ſi habes JUS Sacerdotis in temetipſo ubi neceſſe eſt, habeas oportet etiam Diſciplinam Sacerdotis ubi neceſſe ſit habere JUS Sacerdotis. Digamus tinguis? Digamus Offers?* E particulâ *Igitur* diſcimus nectenda hæc ita eſſe cum præcedentibus, ut quod probaverat ſuperiùs hic ſumat pto novæ Ratiocinationis Principio. Quod itaq; ſuprà dixerat, *Sacerdos es tibi ſolus*; hic ita, *habes Jus Sacerdotis.* Cum rurſus ex hoc *Jure Sacerdotis* ita Diſputat, *Digamus tinguis? Digamus Offers? Tinguis & Offers* idem

idem valeat oportet, ut ſuprâ, quòd *Sacerdos es*. Cum itaque voce Sacerdotis, *Jus*, ut vidimus, *Sacerdotis* intellexerit; conſentaneum eſt ut & voces *Tinguis* & *Offers* de *Tinguendi* etiam atque *Offerendi Jure* intelligamus. Aliter plus erit in novi Ratiocinii Præmiſſâ quàm fuerat in præcedentis Concluſione. Idem etiam colligimus ex alio noſtri Autoris loco, quem tamen geminum agnoſcunt Adverſarii. Quòd enim hìc Laicis *Tinctionem* tribuit, de *Jure* id *Baptizandi* explicat in Libro *de Baptiſmo*: *Alioquin* (inquit) & *Laicis JUS eſt*. Ita fiet ut *Tinctio* illa de *Tinguendi* ſit *Jure* duntaxat exponenda. *JUS* tamen ſolum vix erat utique memoraturus, ſi etiam de *Facto* conſtaret. Quia tamen de *Jure*, eo in loco, *Baptizandi* præcipuè agitur, nempe *Mulieribus* negando; & quia etiam Epiſcopo *Jus* ſolum *Baptizandi* ibidem aſſignatur, ut & reliquis ſuperiorum Ordinum *Clericis*, quos tamen conſtat etiam *Baptizâſſe* de *de Bapt. c. 17.*

Facto; proinde non erit fortaſſe neceſſarium ut *Jus* hoc ita intelligamus ut neceſſario *Factum* excludat, ni ex aliis locis conſtaret de *Jure* Baptizandi, ſeu *Factum* comitetur, ſeu ab eo etiam ſeparetur, intelligendum eſſe *Tertullianum*.

§. 6. Id potius urgendum exiſtimârim quòd hoc Laicorum *Sacerdotium*, & *munera* ejuſdem *Sacerdotalia*, non ſumat pro *conceſſis*, ſed ſuſcipiat ex profeſſo *probanda*. Ut *Sacerdotium* probârit, alibi fortaſſe videbimus. Quod verò attinet ad *munera Sacerdotalia*, ex hoc ipſo loco ſatis conſtat: *Adeo*, (inquit) *Ubi Eccleſiaſtici Ordinis non eſt conſeſſus*, & *Offers* & *Tinguis*, & *Sacerdos es tibi ſolus.* Notanda diligenter particula *ADEO*. Sic enim legit optimus Codex *Agobardi*, cui ſoli debemus ſiquid intelligimus in hoc fere univerſo opere de *Exhortatione Caſtitatis*, & quo niti etiam præcipuè ſolent Eccleſiæ Adverſarii. Sic certè locum repræſentavit ex ipſo *Agobardi* Codice

Rigalt. *Obſervat* 19. *de*

ce

ce *Grotius*, cum tamen vulgarium Codicum servârit errorem in suâ *Agobardianorum Tertulliani* Opusculorum Editione *Rigaltius*. Est autem ea particula *Illativa*. Unde intelligimus *Jus* illud *Offerendi* & *Tinguendi* ubi *Ecclesiastici Ordinis* non est *Consessus* inferri à *Tertulliano* è præcedentibus tanquam è Præmissis *Conclusionem*. Et quidem id appositissimè. Sic enim optimè cohærebunt, alioqui nullam prorsus cum præcedentibus connexionem habitura. Sunt enim ea talia quæ antecedunt è quibus promptum esset hanc elicere *Conclusionem*. Ut si minùs *Codicis* tam insignis fide constaret adjiciendam esse *Inserendi* particulam, *res* tamen *ipsa* id suaderet. Cum enim *differentiam* inter *Ordinem* & *Plebem Ecclesiæ honori per Ordinis Consessum sanctificato* tribuisset; jam rectè sequebatur, ubi *nullus* esset (qui liberum impediret *Laici Sacerdotii* usum) *Ecclesiastici Ordinis Consessus*, in eo casu ritè *Oblaturum* Laicum &

Cen. Admini-stration. ubi Pastores non sunt.

Tincturum, & ſibi fore *Sacerdotem.* Rediret enim, ſublato impedimento, & *uſus* Juris illius Laici Sacerdotalis. Nempe, licet è falſis Præmiſſis, legitima tamen, &, pro Artis Logicæ Regulis, rectè conſtituta concluſio. Sic & in Libro *de Baptiſmo*, poſtquam dixiſſet, *Alioqui & Laicis Jus eſt*, quaſi revocâſſet in animum non id ei conceſſuros quibuſcum fuerat ei Diſputatio, probationem deinde, pro ſuo more, ſubjungit, non quidem ſolidam illam, ſed talem nihilominus qualem ferebat cauſa cujus patrocinium ſuſceperat. Sic enim ſequitur: *Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt, niſi Epiſcopi jam, aut Presbyteri, aut Diaconi, vocantur, dicentes, Domini ſermo non debet abſcondi ab ullo. Proinde & Baptiſmus æquè Dei cenſus ab omnibus exerceri poteſt.* Notandæ & hic particulæ *enim* & *proinde.* Sunt enim ex *Probationis* indicia. Notandum præterea, cum & *Clericis* Jus illud *Baptizandi* tribuiſſet, non

tamen

tamen *Clericorum Jus*, ſed duntaxat *Laicorum* ſuſcipere probandum. Id enim ſolum qualitercunque probant, quæ vidimus, Argumenta. Quin potius è *Clericorum Jure* tanquam omnibus notorio facileque concedendo hoc ſuum elicit minimè concedendum *Laicorum Sacerdotium*. Eò enim ſpectant illa: *Niſi Epiſcopi jam, aut Presbyteri aut Diaconi vocantur diſcentes.* Sic enim potius legerim cum *Latinio* quàm cum vulgatis. Eſt enim ea vox *Diſcentium* pro *Diſcipulis* apud *Tertullianum* ſane frequentiſſima. Sic itaque Argumentatur ut *Neceſſitas* ingruens novam conferat vulgaribus Diſcipulis, quam antea non habebant, Autoritatem. Quòd enim hìc *jam* dicitur, id poſteà explicat per vocem *Neceſſitatis*. *Sufficiat* (inquit) *ſcilicet in neceſſitatibus ut utaris.* Sic & *ubi neceſſe eſt* in Opere de *Exhortatione Caſtitatis*. In eâ igitur *Neceſſitate Epiſcopi* Perſonam aut *Presbyteri* aut *Diaconi* ſuſtinebit (pro *Tertullia-*

ni

ni mente) *Laicus*. Ut proinde possit & *Jura* sibi *Clericorum* in eo Casu, vendicare. Omnino hæc supponunt *Jus* Sacerdotale *Clericorum* à nemine negatum, *Laicorum* illud à nemine, saltem *Catholico*, fortasse concessum, ætate *Tertulliani*. Tantum ab est ut concesserit *Coæva* Tertulliano *Ecclesia*.

§. 7. Quid quòd, aliis in locis, quibus de eodem agit *Monogamiæ* Argumento, nuspiam tamen *Facti Sacerdotalis* illum putent meminisse vel ipsi quidem Adversarii, non id proculdubiò prætermissurum si quòd extitisset id genus *Factum* ab *Ecclesiâ* probatum. Tum enim solet aliquoties ille repetere quæ antea scripserat quoties de novo idem retractat Argumentum. Sic in *Apologetico* & Libris *ad Nationes*, eadem leguntur utrobique fere omnia. Sic & in his de quibus agimus Libris, cum alia pleraque eadem legantur, de hoc tamen *Facti* Argumento, in illis quos diximus Libris, altum est ubique

ad uxor. l. 1. & de Monog.

bique ſilentium. Et tamen à probato *Facto* ad *Jus* longe fuiſſet ſolidior Argumentatio quàm contraria illa à *Jure*, non conceſſo utique ſed *probando*, ad *Factum*. Nec enim *vera* modò fuiſſet illa, ipſarumque rerum *naturis* conſentanea; ſed *vera* etiam* (uti loquuntur) *ad homines*, & ab adverſariis conceſſa, omnique proinde exceptione major. Cur itaque illam omitteret? Eò certè potiori ratione non erat omittenda quòd, poſt *Exhortationem Caſtitatis*, Libros ad *Uxorem* de *Monogamiâ* videatur ſcripſiſſe *Tertullianus*. Librum de *Monogamiâ* adversùs *Eccleſiam* ſcriptum ait *Hieronymus*, à *Tertulliano* nimirum jam *Montaniſtâ*. *Montaniſmi* nullum in *Exhortatione* veſtigium, nec in id genus Librorum Catalogo recenſuit *Hieronymus*, cum tamen in eodem verſetur Argumento cum Libro de *Monogamiâ*. Sed nulla hìc mentio Pſeudo-*Prophetiæ*, nulla *Pſychicorum*, nihil in *Eccleſiam* aſperiùs. Difficilior omnino

Hierony. *Cat. in* Tertul.

nino cum Libris ad *Uxorem* comparatio. *Lusit* (inquit *Hieronymus*) *Tertullianus adhuc Adolescens in hâc materiâ.* Nondum itaque *Montanista*, Post *mediam* enim *ætatem* ab *Ecclesiâ* eundem defecisse idem Testis est *Hieronymus.* Et multa *Montanistarum* placitis adversa legimus in Libris ad *Uxorem.* Non *damnat* ille *prorsus* cum *Montano Deuterogamiam*, nec in *Persecutione Fugam.* Et tamen ita *durè* de utraque sentit, ut ad illos etiam *Montanistarum* errores propendere videatur. Potiùs itaque prior nostra videtur *Exhortatio*, ut hunc *Tertulliani lusum* intellexerit *Hieronymus.* Quid quòd cùm *Exhortationem* scriberet *Tertullianus*, adhuc vigebant Leges *Papiæ*, quibus *ad liberos* (inquit) *suscipiendos compellerentur homines.* Sublatas illas à *Severo* idem testis est cum scriberet *Apologeticum.* Quod ait à *Severo* sublatas, factum probabile est cum *solus* esset *Severus* Augustus. Nempe ante *An. Dom.* CXCVIII.

Hieronym. *adv.* Jovin. *L.* 1

Hieronym. *in Catalog.*

Exhort. c. 12.

Apol. c. 4.

CXCVIII. quo datus eſt ei à militibus in Imperio *Auguſteo* Collega filius *Caracalla*. Et ſane probabile eſt eo circiter tempore eſſe ſublatas. Devicto enim An. CXCVI. *Albino*, ſcripſit ad *Senatum* minaces literas, in quibus & *Senatoris* nuper *Conſulis* amores *meretricios* improperat. Proinde veriſimile eſt reverſum edidiſſe ſeveras illas in causâ *Adulterii* Leges quarum meminerunt Autores, & una alias illas Leges *Juliam* & *Poppæam* de *Maturandis Nuptiis* ſuſtuliſſe, ut tanto ſanctiùs Nuptiæ & Religioſiùs obſervarentur quò minùs temerè inirentur. Sic ante alia ejus Opera quamplurima ſcripſerit hanc *Tertullianus Caſtitatis Exhortationem*, certè ante illud de *Monogamiâ*. Nulla tamen, ut dixi, in eo de *Monogamia* Opere, mentio de *Tinguendi Offerendive* Poteſtate *Laicis* conceſsâ, cum tamen hìc *Sacerdotium Laicorum* rursùs defendat. Defendit autem ita ut unà innuat nullatenus illud ab *Eccle-*

Dio Xiphilin. *in* Sever.

ſiâ fuiſſe probatum. *Cum extolli-mur* (inquit) *& inflamur adver-ſùs Clerum, tunc unum omnes ſu-mus, tunc omnes Sacerdotes.* Non eſt veriſimile à veris ſolidiſve peti-ta eſſe Principiis, quæ nemo do-cuerit ſedatus. Non eſt veriſimi-le ab *Eccleſiâ* probata eſſe (quæ illis certè temporibus pendebat à *Clero*) quæ nemo docuerit niſi *elatus* & *inflatus in Clerum.* Ratio-nem reddit à *rebellibus* illis procul-dubiò allatam, non quòd eorum munus aliquod Sacerdotale *pro-bâſſet* Eccleſia, ſed *quia*(inquit) *Sacerdotes nos Deo & Patri ſuo fe-cit.* E. *Scripturis* igitur, non è *Facto* aliquo, probârunt Jus illud *Sa-cerdotale Laicorum.* Ex *iiſdem* mu-nera illa Sacerdotalia, & *Facta* eſſe probanda, ſiqua fuiſſent edita. Ab-ſtinuit autem, datâ operâ, ab eâ *Facti*, ni fallor, mentione, quòd mi-nùs firmum illud judicârit Argu-mentum quod alio eſſet Argumen-to confirmandum. Nullum ita-

que

de Monog. c. 12.

que erat id genus *Factum* hucuſque ab *Eccleſia* probatum.

§. 8. Ut autem intelligamus quàm ſolidè Argmentetur *Tertullianus*, & quid fuerit ei ab *Adverſariis* de *Facto* conceſſum, quid ſolâ ejus *ratiocinatione* conficiendum; indicanda ſunt omnino *Argumenti Principia*. Civitatum *Romanarum Græcarumque* Diſciplinam in Civitatum *Eccleſiaſticâ* etiam Adminiſtratione obſervatam conſtat è *Tertulliani* aliquantiſper coævo *Origene*. Sic enim ille illas invicem contendit ut partes partibus etiam reſponderint. Id genus autem Civitatum πολιτεία è duabus omnino conſtabat hominum claſſibus, è Βȣλῆ & Δήμῳ pro *Græcorum*; è *Plebe* & *Senatu*, pro uſu *Romanorum*. *Senatui* reſpondebant in Eccleſiâ *Presbyteri*, nimirum ab *ætate* utrobique ſic dicti. Proinde *Ordinem* appellat *Tertullianus* ſuperius hoc in *Eccleſiâ* Concilium, & à *Plebe* diverſum facit, pro *Romanorum* uſu accuratiſſimè, apud

quos *Senatorius Equesterque* Ordines *Plebeiis* opponuntur. Inde inelligimus quàm rectè hæc, & pro *Tertulliani* mente, & è *Romanorum* exemplis interpretemur, cum & *vocabula* hæc à *Romanis* acceperit, & in Ecclesiam *Tertullianus* invexerit, Constat porro utrique huic *Concilio*, tam *Clericorum* illi quàm etiam *Laicorum*, suum fuisse ætate *Tertulliani*, nostrique *Cypriani*, in *Ecclesiâ* suffragium. Proinde & eorum *Jura* (pro mente saltem *Tertulliani*) è *Civitatum*, quos dixi, moribus intelligenda. Id præterea etiam constat, superiora illa *Concilia* Civitatum in locis tectis solita cum suo Moderatore convenire, *sedentesque* proinde consilium dedisse, ut propterea non βυλαὶ duntaxat, sed συνέδρια etiam appellentur (*Romanis consessus*) à situ nempe consulentium. Nec enim pleno *Senatorum* Jure fruebantur *pedarii* (quorum meminit *Gellius*) Senatores. *Plebes* in *Campis* suffragari solebant, locisque

Gel. *Noct. Attic.* 3. 18.

subdi-

ſubdivalibus, ut proinde, in liberis etiam Rebuſpub. non *ſedentes* tamen, ſed *ſtantes*, ſuffragarentur. Hos etiam conſulentium *ſitus* in *Eccleſiam* migrâſſe ſuâ etiam teſtis eſt ætate *Cyprianus*. *Stantium Laicorum* meminit Clerus *Romanus*, & Ep. 31. Pame
ipſe *Cyprianus*. Idem ſic de *Numi-* Ep. 14. 27. 5.
dico Ordinato Presbytero: *Adſcri-* Ep. 35.
batur Presbyterorum Carthaginienſium numero, & nobiſcum ſedeat in Clero. De *Celerino* etiam & *Au-*
relio Presbyteris deſignatis: *Cæte-* Ep. 34.
rùm Presbyterii honorem deſignâſſe Nos illis jam ſciatis, ut & ſportulis iiſdem cum Presbyteris honorentur, & diviſiones menſurnas æquatis quantitatibus partiantur, ſeſſuri Nobiſcum, &c. Nec enim recentiora *Cypriano* Teſtimonia, hoc in loco, colligenda cenſuimus ad explicandam ſententiam *Tertulliani*. Duæ igitur erant in *Eccleſiâ*, pro exemplo *Civitatum*. *Suffragantium* Claſſes, *Laicorum* ſtantium, ſedentiumque *Clericorum*. Sic tamen duæ, ut ad unius ejuſdemque *Eccleſiæ* integri-

tegritatem utræque concurrerent: Ita enim *Ecclesiam* ait *Cyprianus* in *Episcopo* & *Clero* & in omnibus *Stantibus* esse constitutam. Quanquam enim apud *Græcos* diversi admodum invicem, & diversorum Jurium, & diversis in locis, haberentur *Plebis*, uti dixi, *Senatûsque* conventus; quanquam etiam *Plebeiorum* conciones præcipuè *Ecclesiæ* appellarentur: *Nihil* tamen impediunt hæc quominùs apud *Christianos* utrique unam conflarent *Ecclesiam*.

Ep. 27.

§. 9. Nempe *Ecclesia Christianorum* non à *Græcarum* Rerumpub. Ecclesiis *immediatè* deducta est (ut existimavit quidam nostratium *Independentium*, magnum inde *causæ* suæ præsidium colligendum arbitratus, summæ nimirum *Plebis* in *Ecclesiâ* Potestatis, qualis nimirum fuerat in *Græcorum Democratiis*) sed ab *Hellenistarum* Veteris Instrumenti Interpretum illius vocis usu. Sic autem eam illi usurpant *Interpretes* ut *quoscunque* quorumcunque

que hominum Conventus, ſeu *legitimos* illos, ſeu etiam *illegitimos* complectatur, longe laxiori, quàm quâ eam adhibuerant *Græci*, ſignificatione. Nimirum id genus voces *Ebreas* eâ reddunt illi voce quæ & ipſæ fuerint laxiſſimæ. Reſpondet nimirum voci קהל & להק Et quo manifeſtiùs conſtet inde repetendam eſſe hujus vocis originem, occurrunt in *Novo* quoque *Teſtamento* liberiores ejus ſignificationes quàm ferebat *Græcæ* Linguæ puritas, idque etiam in Scriptore *Græcæ* alioqui puritatis obſervantiſſimo, nimirum S. *Lucâ*. Is turbam illam hominum ſeditioſorum adversùs Apoſtolum tumultuantium ἐκκλησίαν appellat, quam etiam ἐννόμῳ ἐκκλησίᾳ opponit. *v*.39. quæ tamen ſola apud *Græcæ* Linguæ caſtos Autores *Eccleſia* eſſet appellanda. Idem etiam (quod propius ad hanc noſtram cauſam ſpectat quòd *Eccleſiaſticæ* ſignificationis originem propiùs deſignet) univerſam, quà patebat, omnium Ordinum *Act.* 19 32,40:

Ordinum multitudinem *Israeliticam Ecclesiam* nuncupat, ἐκκλησίαν ἐν τῇ ἐρήμῳ, locum scilicet, *Deut.*
Act. 7. 38. 18. 16. proculdubio imitatus. Ex quo intelligimus & hunc quoque, ut & alios plerosque dignitatis Titulos à *Synagogâ* deduxisse *Christianos*, & pro primariâ, quam habebat in Sacris Scriptoribus, significatione, *universam* denotare, *omniumque Ordinum*, nostrorum multitudinem.

§. 10. Quanquam etiam, ut daremus, à *Græcæ* Linguæ Scriptoribus ad nostros profluxisse hujus vocis usum; ne ita quidem necesse erit ut *Plebis* solius conventus, seu *duntaxat*, seu etiam *præcipuè*, designet apud *Christianos*. Alia enim erat ejus, etiam apud *Græcos*, in *Sacris* quàm in *Politicis*, significatio. *Sacer* erat, & communis universæ ferè *Græciæ*, Conventus *Amphyctionum*, Delphicis nimirum Sacris præfectus, quæ erant omnium communia. Constabatque è *Sacerdote* Eponymo (cujus nomine Decreta

Decreta eorum publica consignata legimus apud *Demosthenem*) *Hieromnemosi* & *Pylagoris*, cum aliis etiam è *Plebe* Assessoribus. Nunquid igitur solorum *Assessorum* Conventum ἐκκλησίαν appellandam putabunt? Sic equidem foret appellanda, pro usu Reipub. Sed alium fuisse illius vocis, hâc in causâ, usum Testis est dissertissimus *Æschines*, ipse unus è *Pylagoris*. Sic enim ille: Ἐκκλησίαν ὀνομάζουσιν, ὅταν μὴ μόνον τοὺς Πυλαγόρους καὶ τοὺς Ἱερομνήμονας συγκαλέσωσιν, ἀλλὰ καὶ τοὺς συνθύοντας καὶ χρωμένους τῷ θεῷ. Sic itaque in usu vocis apud *Christianos*, cum *Sacrum* denotet Conventum, *omnes* proinde denotabit hominum *Ordines* quorum ullus fuisset in Conventibus ipsis, pro more, usus, seu *Suffragandi*, seu *Assentiendi* duntaxat atque comprobandi. Præsertim cum & eadem apud *Primævos Christianos* ratio valuerit quæ apud *Græcos* obtinebat. Nec enim, ut in *Politicis*, alios sibi proprios *Conventus*

Æschin. *conta* Ctesiphont. *n.* 39.

ventus habebant *Plebii* à *Senatoribus*, ſic in *Sacris* habebant *Amphyctionum* Conventibus. Omnes in eodem *loco* & in *cœtum* etiam eundem conveniebant, proinde meritò communi nomine *Eccleſiam* appellandam. Sic & apud *Chriſtianos* iidem erant utrorumque Conventus *Clericorum* ſedentium, *ſtantiumque* Laicorum, ut proinde unam utrique confecerint *Eccleſiam*. Erat tamen & alia *Chriſtianis* propria ratio, quòd cum voces *Conventuum* ſignificatrices ad *homines* tranſire ſoleant, idem etiam in hâc quoque voce contigerit. Ita factum apud Nos ut univerſum *Chriſtianorum* Corpus, ſeu *convenerit*, necne, vocetur tamen *Eccleſia*. Ita deinde conſecutum ut cum univerſum illud Corpus *unum* ſit, proinde & multi Chriſtianirum *Conventus* pro *unâ* tamen habeantur *Eccleſiâ*. Ut itaque diverſi fuiſſent, apud *Primævos Chriſtianos* (id quod falſum eſſe diximus) Laicorum Clericorumque *Conventus*;

tus ;

tus; non tamen inde ſequeretur *diverſas* fore etiam *Eccleſias.* Nedum ut Conventus *Laicorum* ſola eſſet *Eccleſia* appellanda.

§. 11. Sed nec illud ſequetur, *paria* fuiſſe ſaltem, in Conventibus Eccleſiaſticis, *Laicorum Jura*, (quòd à *Plebeiorum* Conventibus nomen ad *Univerſorum* Conventus denotandos ſit traductum) nedum *Superiora*, ut exiſtimant *Independentes.* Aliter fuiſſe, de *Facto*, apud *Primævos Chriſtianos*, ipſa *Stantium Sedentiumque* diſcrimina ſatis manifeſtè innuunt. Nec enim in locis *ſubdivalibus* conveniebant, quibus nulla eſſe poſſet tot ſedilium copia, ut ſolebat *Plebs Romana.* Nec etiam *proprios* ſibi habebant in quibus nemo *ſederet*, uti dixi, *Conventus.* Sed quòd in *iiſdem* Conventibus *ſedentibus* Clericis, *ſtarent* nihilominùs Laici, hoc certè Argumento eſt firmiſſimo, nulla fuiſſe *Liacis*, in *Conventibus Eccleſiaſticis* (quæ volunt Adverſarii) *Jura primaria.* Ea intelligebant

k 2 procul-

proculdubiò ſymbola *Chriſtiani* pro ſuis & Seculi *moribus*, præcipuè *Romanis*. *Honoris* autem Symbolum fuiſſe Seſſionem, *Imparitatis* certè Stationem, apud illos Chriſtianos diſcimus ex Epiſtolâ S. *Jacobi*. Quod vero ad *Romanos* mores attinet, *Seſſio* perpetuum erat *Imperii* ſignum, Statio *Subjectionis*. Proinde *Curules*, quos appellabant, *Magiſtratus* Symbolum habebant Magiſtratûs *Sellam Curulem*, portatilem ſcilicet, ut quocunque in loco *Jus* dicendum eſſet, in eo poneretur. Hâc ſella vecti ſunt etiam in *Senatum*, ne unquam aliter in publico quam *ſedentes* viderentur. Sic & *Imperatores*, in *Allocutionibus Exercituum*, & *Congiariorum* donatione, ſedentes in *ſellâ Curuli* repreſentant tam *Nummi* quàm Veterum *alia* quoque Monumenta. Proinde *Conſuli* occurrentibus ne quidem *equis* inſidere licebat, juſſuſque propterea *Fabius* filio *Conſuli* obviam factus ab Equo deſcendere. Sed ne quidem

S. Jacob. II.3

Gell. *Noct. Att.* L. 3. *c.* 18.

quidem *sedentium* omnium *par* tamen fuit, pro illius Ævi moribus, idemque *honos*. *Sedium* quoque ipsarum dignitatem distinxit invicem seu *locus Ordinis*, seu *sedilium altitudo*. Humillimum proinde etiam sedentium Ordinem denotat apud Apostolum *sedile suppedaneum*. Jacob. II. 3. Erant & aliarum ejusdem altitudinis Sedium diversæ tamen *Dignitates*. In *Romanorum* Tribunalium Exemplo discrepabant admodum *Confessores* & *Adsessores* Σιώεδροι & Πάρεδροι. Nempe *Adsessio Dignitatis* erat nomen, non item *Jurisdictionis*. Habebant enim *Romani* Provinciarum *Præsides Adsessores* quorum nimirum uterentur, quoties opus esset, *consilio*, qui tamen *Statuendi* de Causis *Decernendive* nullum Jus haberent. Potestas itaque atque *Jurisdictio* solorum erat *Considentium*. Atqui *Sacerdotium Tertullianus* soli vendicat Ecclesiastici *Ordinis consessui*. Proinde *Jus* nullum *Sacerdotii* fuerit oportet *Stantium Laicorum*. Sed nec Ecclesiastici

ſtici Ordinis *univerſi*. *Diaconos* excludit certè *Cyprianus*, dum *Preſbyterorum* à ſe Ordinatorum *Juribus* illud accenſet quòd eſſent ad *Conſeſſum* admittendi.

§. 12. Sed ne *Conſidentium* quidem *Jura* neceſſe eſt fuiſſe *paria*. Erat enim in Συνεδρίῳ Πρωτοκαθεδρία, *ſedium* nimirum ſaltem una *primaria*. Sic in illo, quod vidimus, *Amphyctionum* Synedrio *Sacerdos Eponymus*. Sic & in *Judæorum* Synagogis Πρωτοκαθεδρία. Inde ad *Chriſtianos* emanavit exemplum. Habemus enim *Apoſtolicorum* Temporum Teſtem *Hermam*, jam fuiſſe apud illos *primæ Sedis* dignitatem. Tum in Diſputationibus adversùs *Hæreticos* ſub Seculi Secundi medium cœptis de deducendâ *Apoſtolicæ Traditionis* Succeſſione, multa *Cathedrarum* mentio, quæ quidem nonnullæ ad ſua uſque tempora ſervatæ memorantur. *Jacobi Cathedram* ſuo etiamnum Seculo extitiſſe prodit *Euſebius*. Idem de

S. Matth. 23. 6. Marc 12. 39. Luc 11. 43, 20, 46.

Herm. *Paſt. L.* 1. *Viſ.* 3.

Euſeb. *Hiſt. Eccl*, 7. 19. 32.

de *Marci Cathedrâ* aſſeritur ſiqua fides ſcriptis de illius Paſſione monumentis. Nec etiam digna cenſeo quæ huc in Teſtimonium adducantur quæ de *Romanâ* etiam *atque Antiochenâ Cathedris* ſcribunt fabulatores. Locupletior eſt omnino Teſtis *Tertullianus*, qui quæ ſcribit ea è fide *Hegeſippi* ſcripſiſſe viſus eſt qui *ſedes Apoſtolicas* peragravit quo meliùs judicare poſſet de Traditionis illibatâ Succeſſione. Sic autem ille de *Eccleſiis Apoſtolicis* in univerſum: *Apud quas* (inquit) *ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur*. Non de eo admodum laboro, fuerintne prorsùs eædem Sedilium *materiæ*. Sufficit mihi ſi talis concedatur *Sedilium* ſucceſſio qualis erat *Perſonarum*, ut fuerit nimirum à temporibus uſque Apoſtolorum *primæ Sedis* propria quædam dignitas. Inde & illa quæ de *Cathedris* ſcribunt *Irenæus* acque *Cyprianus*, ne jam ad inferiora deſcendam *Optati* atque *Auguſtini* Teſtimonia. De aliâ

Præſcript. c.36.

liâ hæc quàm *primâ ſede* non poterant intelligi. *Præſideri* eas dixerat *Tertullianus*, de *Præſidum* omnino *Cathedris* intelligendus. Quid quod *ſingulas* duntaxat *Cathedras* ſingulis aſſignent *Civitatibus*,& ſingularum duntaxat *Perſonarum* Catalogos conficiant,in illis *Cathedris*, in illis Civitatibus, ſedentium. Nec quidem *Epiſcopos* illos, quorum Catalogos memorant, *primarios* ſaltem fuiſſe *Presbyteros* ipſi inficiantur Adverſarii. Quin & *Cathedræ Primariæ* dignitatem oſtendunt ipſa ejus ornamenta, *Linteis* fuiſſe *obvolutas* teſtes ſunt *Pontius Diaconus* & *Pacianus Barcinonenſis*.Et θρόνον Ἐπισκοπικῶς ἐςολισμένον memorat *Athanaſius*. Nec *velatas* modò *Cathedras*,ſed & *abſidas* præterea *gradatas*,addit *Auguſtinus*. Ex quâ Sedis *celſitudine* facilè intelligimus *Sedentis dignitatem*.

Pont. *vit.* Cyprian. Pacian. *Ep.*2. *ad* Sympron. Aug. *Ep.* 203. *ad* Max.

Athanaſ. *Apolog. p.* 36.

§. 13. Erant, fateor, horum *Ordinum*, pro *variâ* Πολιτειῶν in *Civitatibus* conſtitutione, *Jura* etiam ipſa *varia*. Erat enim id genus

nus Regiminis mixtum. *Monarchiam* quandam repræſentabat qui *primam* in Concilio *Sedem* obtinebat; *Ariſtocratiam* ſecundus illi Sedentium *Conſeſſus*; *Democratiam* tertia *Stantium* ſuffragia. Quo itaque in loco eminebat in hâc miſtione forma *Democratica*, in eo *Plebiſcita* plus valuerunt quàm *Senatuſconſulta*; Quo rurſus in loco obtinebat forma *Ariſtocratica*, in eo plus *Senatuſconſultis* tributum quàm *Plebiſcitis*: quo denique *Monarchica*, in eo Principum *Edicta* plùs valebant quàm *Plebiſcita* vel *Senatuſconſulta*. Non eſt itaque de *ſingularum* partium *Jure* temerè ſtatuendum, quod tamen faciunt hodierni *Schiſmatici*. Cum *Plebem* audiunt in rebus *Eccleſiaſticis* fuiſſe conſultam; jam *Democratiam* omnia ſonare putant *Independentes*. Cum *Presbyterium*, ſeu, quod eodem rediit, Eccleſiaſticum *Senatum*; nullam inde colligunt *Presbyterani*, ſaltem *abſolutam*, valuiſſe *Monarchiam*. Qua-

si verò in *absolutâ* Legibus *Monarchiâ Senatûs* nulla esse possent, *Plebisve*, Jura. Et tamen utriusque contrarium erat, & quidem illud longe celeberrimum, illâ etiam ætate, exemplum in Urbe Urbium omnium Principe *Romanâ*. Adhuc *Senatus*, adhuc *Plebeiorum* Comitia conveniebant, & quidem sub suis utrique *Præsidibus*: *Senatus* sub *Consule*, aut *Præfecto Urbi*, aut *Prætore*; *Plebeiorum* comitia sub *Tribuno Plebis*. Vix tamen inde quippiam decerptum ex *Imperatoris* absolutissimâ *Monarchiâ*. Sic & in Urbe *Hierosolymitanâ*, conveniebant sub *Herode* Magno, cum Synedrio *Judæorum* Ecclesiastico *Senatu*, etiam Πρεσβυτερίῳ λαοῦ. Nec tamen est quod de *Herodis* Jure *absolutissimo* dubitemus. Harum Urbium saltem *alteram* Christianis præivisse verisimile est, præsertim si & *aliarum* Urbium exempla *diversa* essent ab invicem, harum viceversâ exempla essent sibi invicem *consentientissima*. Potiùs itaque pro

Gel. *Noct. Attic.* L. 14. 7.

S. *Matth.* 11. 7.

pro Jure *Episcopi* Monarchico erat præsumendum. Nec enim *Senatus* aliquid, aut *Plebs* etiam, in Imperio *Romano*, poterat, nisi consentiente *Imperatore*. *Jus* enim *Convocandi* Senatum, & ad eundem *referendi*, de quo vellet Argumento, habuisse *Imperatorem* apud omnes in confesso est. Hoc *referendi* Jure suffragium habebat in iis de quibus referre *noluit*, plane *Negativum*. Atqui *referendi* Jus *Consules* habebant (inquies) *Prætores*, *Tribuni Plebis* & *Præfecti Urbi*. Habebant utique. Sed & *illi* Imperatori ipsi etiam obnoxii; siquid tamen ausi essent, potuit *Imperator*, pro *Tribunitiâ* ejus *Potestate*, rursus *intercedere* ne *ratum* esset, siquid alii eo *illubente* retulissent. Major tamen erat, hâc in causâ, *Episcopus Imperatore* quòd in *Synodis* Cleri sui *Diœcesanis* nullos haberet in hoc ipso *referendi* Jure æmulos. Comitiorum Tribunitiorum *Plebiscita* rara admodum constituta legi-

mus ſub *Imperio Romano.* Is unus erat eorum fore uſus ut *Magiſtratus* illis *Provinciis* deſignarent quæ erant *Populi Romani.* Atqui id ipſum erat in *Imperatoris* arbitrio ſitum ut quas vellet Provincias *Populo* relinqueret, quos vellet etiam *Popularium Magiſtratuum* Populi arbitrio permitteret. Illud certè conſtat, nec *Senatui* fuiſſe, nec *Populo* Jus, de cauſâ aliquâ ſtatuendi, ni de eâ fuiſſet ad ſe legitimè *relatum.* Illud rursùs, nullam fuiſſe *Imperatori,* ut *referret,* Obligationem; Illud denique, nullam fuiſſe *Senatui* aut *Plebi* Poteſtatem quâ poſſit *Imperatori,* etiam *perperam* agenti, reniti. Hæc ſi *Epiſcopo* Jura in *Senatum Eccleſiaſtiaſticum Plebemque* concedamus; nihil utique obſtabit quo minùs Poteſtatem ei concedamus planè *Monarchicam.* Fateor equidem majora olim fuiſſe utriuſque tam *Senatûs,* quàm etiam *Plebis* Jura apud ipſos etiam *Romanos.* Sed Exemplum habebant *Chriſtiani*

non

non eam Regiminis formam quæ *olim* obtinuerat, ſed eam potiùs quæ vigebat, *naſcente* Chriſtianiſmo. Et ſane *Jura* Poteſtatis *Eccleſiaſticæ* (quod ad *Regimen* attinet) è *Juribus Romanis* (quorum erat peritiſſimus explicanda, conſentaneum eſt cenſuiſſe *Tertullianum*, cum *Romanis* etiam vocibus Regentium *Ordines* in *Eccleſiâ* deſignat. Omnino par eſt ut *coævæ* illi Eccleſiæ *Jura* talia fuiſſe credamus, quæ ipſe prorſus ignorare non potuit.

§. 14. Id tamen præterea obſervavit *Tertullianus*, in *Eccleſiâ*, è Jure *Sacerdotii* nata eſſe Jura *Regentium*. Fuerunt enim & *Sacerdotibus* ſui quoque *Ordines*. Et verò omnis *coercio* quæ quidem *Chriſtianis* conveniebat, omni *Secu-lari* Imperiò deſtitutis. ſoli debebatur *Sacramentorum* Adminiſtrationi; & quidem *Juri* eorundem *uni* duntaxat Ordini *proprio*. Sic enim factum eſt ut quorum illud fuiſſet *Jus* illi immorigeros poſſent à *Sacramentis* arcere, & pœnâ illâ ad obſe-

obſequium obligare. Et cum *Sacramenta* Tertulliano munera *Sadotalia* fuiſſe oſtenderimus; ſequitur cum *Jure* Regiminis Eccleſiaſtici connexum eſſe *Jus* etiam *Sacerdotii*. Proinde ſiquod *Laicis Jus*, etiam urgente *Neceſſitate*, Eccleſiam *regendi* conveniat, id unà conſequetur iiſdem *Jura* quoque *Sacerdotalia* competere. Sic itaq; Argumentatur *Tertullianus* ut *Jura* omnia, tam *Regiminis* quàm etiam *Sacerdotii*, ab *Eccleſiæ* Jure concludat, ut quicunque *Chriſtianorum* numerus rectè poſſit *Eccleſia* cenſeri, is idem *Jura* etiam *Eccleſiæ* poſſidere cenſendus ſit. Jam autem *Laicos* ut probet rectè, etiam ſolos, *Eccleſiam* poſſe conficere, ſupponit *omnes* Eccleſiæ *Ordines unam* tamen & *eandem*, ut dixi, conſtituere *Eccleſiam*. Proinde & *omnibus* Eccleſiæ *Ordinibus* ſua eſſe in Eccleſiæ Poteſtate *Jura*, atque *invicem* ex æquo neceſſaria. Sic enim in Rebuſpub. diſtincti invicem *Senatûs Plebiſque* Conventus
in

in unum tamen idemque *Corpus* coalescere censebantur, quòd in præcipuis Reipub. muneribus utrique essent invicem necessarii. Sic certè res habebat in Potestate communis Corporis longe maximâ, *Legum* nempe *lativâ*. Nec enim sine *Plebiscitis* migrabant in *Leges Senatusconsulta*. Nec viceversâ *Legum* vim habebant *Plebiscita*, nisi suffragante *Senatu*. Sic itaque putavit *Tertullianus*, summam scilicet Ecclesiæ Potestatem, *universæ* fuisse, quà patebat, *Ecclesiæ* communem, nempe *Sacerdotalem*. Inde enim pendent *Ecclesiæ* cum Deo *Pacta*. Inde *Mystica* ejusdem cum Deo *Unitas*. Ex illis Pacti illius Unitatisque *beneficia* omnia manare necesse erat. Qui itaque *Sacerdotii* Jus habebant, illis & *Jura Sacerdotii* ipsius, & *munerum* quoque *Sacerdotalium* conveniebant, & *Beneficiorum* omnium *Jura* illa consequentium.

§. 15. *Laicorum* autem *Sacerdotium* probat è loco Apocalypseos

ſeos, *Regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri ſuo fecit.* Ex eodem illo nempe loco, è quo rebelles *inflatoſque* in *Clerum Laicos* Argumentari ſolitos, monet idem in Libro de *Monogamiâ.* Inde pendent ſequentia: *Differentiam inter Ordinem & Plebem conſtituit Eccleſiæ Autoritas, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus.* Malè *Eccleſia* Codex *Agobardi* à *Grotio* repreſentatus. Reliqui omnes (ut nos) legunt, *Eccleſiæ Autoritas.* Agnoſcitque in loco plane gemino de *Baptiſmo* ipſe *Tertullianus,* ubi *Presbyteris Diaconiſque* cum *Jus Baptiſmi* dandi conceſſiſſet, ita infert: *non tamen* (inquit) *ſine Epiſcopi Autoritate, propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo ſalva Pax eſt.* Ergo præter *Eccleſiæ honorem,* addenda erat *Eccleſiæ* ejuſdem *Autoritas,* quæ tamen ita in *Eccleſiæ honore* includitur, ut cum *honor Eccleſiæ* iis *omnibus* communis fuerit qui locum habuerint in Eccleſiæ conſeſſibus, *Autoritas* propria fuerit

Epi-

Episcopo, loci nimirum in Confessu primarii. Rectiùs hæc quàm è *Cypriano* explicari non possent qui in eâdem floruit, quâ *Tertullianus* Ecclesiâ. In eo frequens de *Episcopi Autoritate* mentio quam & *honorem* aliquoties appellat. *Autoritatem* illam Nos alibi explicavimus, ita ut, pro *Legum Romanarum* sermone, *Jus* illud denotaret *Præsidis* quo omnium à *Synedrio* decernendorum illum esse oportebat *Autorem*. Nec enim nisi de legitimè *relatis* statuendi *Jus* habebat *Synedrium*, nec ad Synedrium *referendi* alius quispiam *Jus* habebat nisi *Præses*. Cum itaque in *Christianorum Confessibus* nemo *præsideret* nisi *Episcopus*: siquid eo *inconsulto*, aut non legitimè *referente*, fuisset ab alio quovis *Ecclesiasticorum* Ordine constitutum; id *Autoritati Episcopi*, id primæ sedis *honori*, adversum habebatur. Nec id modò in *Decretis* locum habuit, sed in rebus etiam *gerendis*. Ipse *Cyprianus* à *loci* sui *honore* alie-

Dissert. Cyprian. 9.

m num

num cenſuit quòd ſuo injuſſu *Lapſis* Communionem conceſſiſſent *Presbyteri*. Id ergo includebat *Epiſcopi Autoritas*, ne quid eſſet à ſuis cujuſcunque Ordinis *Eccleſiaſticis*, præſertim in *Eccleſiæ* causâ atque *Sacerdotalis Officii*, niſi ſe *Autore*, gerendum, ne in illis quidem rebus quarum alioqui *Poteſtatem* habebant *Eccleſiaſtici*. Sic enim negat *Ignatius* τῶν ἀνηκόντων εἰς Ἐκκλησίαν quippiam agendum niſi permittente Epiſcopo. Hæc eſt igitur ea de quâ loquitur *Tertullianus*, *Eccleſiæ Autoritas*.

§. 16. Sequitur, *& honor per Ordinis Conſeſſum ſanctificatus*. Ut enim *Epiſcopis*, pro illius Seculi moribus, obnoxii erant *Eccleſiaſtici*, ſic etiam *Laici* cujuſcunque Ordinis *Eccleſiaſticis*. Id etiam oſtendit multis in locis *Ignatius*. Ut enim *Presbyteris Diaconiſque* ſuadet obſequium *Epiſcopo* præſtandum, ſic & *Plebem* hortatur ne *Presbyteris* renitantur aut *Diaconis*. Id ipſum noſter *Cyprianus* de *Confeſſoribus*, &

Igna. *Ep ad* Smyrn. *n*. 8. *ad* Polycarp. *n*. 6. *ad* Phi-lad. *n* 7. *ad* Trall. *n*. 3.

Ep. 6.

& *Virginibus*, qui quidem, pro illius ævi Diſciplinâ, primariæ erant, inter *Laicos*, dignitatis; *Virgines* etiam *Clericis* nonnunquam accenſitæ. Ut itaque *primariæ Sedis* ea erat dignitas nequid *Conſeſſui*, niſi *Præſide Autore*, proponeretur; ita & ea univerſi ſimiliter *Conſeſſûs*, nequid referretur ad *Plebem* de quo antea non fuiſſet in Eccleſiaſtici Ordinis *Conſeſſu* conſtitutum. Et quidem eadem valebat ratio, cur Univerſo *Conſeſſui* parere decuerit *Laicos*, âc cur *Epiſcopo* reliquos parere *Clericos*. Si enim *primæ* inter Sedentes *Sedi* ea tamen à *Conſidentibus* habebatur reverentia, non minor certè habenda erat Univerſo *Conſeſſui* ab aliis qui ne *ſederent* quidem. Nec in *Decretis* modò, ſed in rebus etiam *agendis*, eadem & hìc quoque norma valuit. Ita factum ut quo in loco eſſet *Conſeſſus*, nihil eſſet à *Laicis*, ſine *Conſeſſûs Sacerdotalis* permiſſu *Sacerdotale* præſtandum. Sed nec ullum prorſus concedebant illis, pro

illius Seculi more, *Officium Sacerdotale.* Id enim notavit in *Hæreticis* ipse *Tertullianus*, quòd *Laicis Sacerdotalia munera injungerent.* Cur id autem notaret in *Hæreticis*, si ejus ullum fuisset apud *Catholicos* exemplum? Majus ergo erat, hâc ex parte, *Laicorum* in *Clericos* obsequium quàm *Clericorum* in *Episcopum.* Clericis veluti *Sacerdotibus* officia Sacerdotalia *Episcopi* permittebant, non item *Laicis.* Cur illud, si ad *Officia Sacerdotalia* sufficere credidissent *Laicorum* illud commune *Sacerdotium*? Vix illud, si ejusdem fuissent cum *Tertulliano* Sententiæ.

§. 17. Quod porro ait, *differentiam hanc inter Ordinem & Plebem* ab *Ecclesiæ Autoritate* esse constitutam, malè referunt Viri Docti ad *Ecclesiæ Canonem, seu cujusvis* generis *Decretum.* Eâdem enim omnino formâ, ab *Ecclesiæ* etiam *honore* per Ordinis Consessum sanctificato hanc ait constitutam esse differentiam. Ergo etiam

honori

honori Decreta tribuent & Canones? Ecquis eſt qui non videat de *rei* ipſius *Exigentiâ*, non de aliquâ *Eccleſiæ Conſtitutione* (quo ſenſu vulgò *Conſtitutiones* intelligimus) hæc eſſe verba capienda? Id voluit nimirum acutus Pater, id *poſtulare Autoritatem* præſidentis Epiſcopi, id *honorem* conſidentium Epiſcopo Presbyterorum, ne paſſim *Laicis* munera *Sacerdotalia* permitterentur; utque tanta eſſet, quanta eo Seculo vigebat, inter *Ordinem* & *Plebem*, in *Praxi* differentia. Id nimirum *poſtulabat* Epiſcopi *Autoritas*, nequid *Laici* auderent cujus *Epiſcopum* non haberent *Autorem*. Id *honor* ipſe *Sedendi*, nequid *Stantes* ſine *Sedentium* Presbyterorum conſenſu. Nec ſane aliter intelligendum ſuadent verba ejuſdem *Tertulliani* in Libro de Baptiſmo: *Non tamen ſine Epiſcopi Autoritate propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo ſalva Pax eſt*. Agit hoc in loco de diſcrimine diverſorum in ipſo *Clero* Ordinum, non modò *Diaconorum*, ſed

ſed etiam *Presbyterorum*, ab *Epiſcopo*. Hoc ſi nullis tribuat Eccleſiæ *Decretis*, non erat utique cur *Laicorum* ab utriſque diſcrimen *Decretis* aſſignet. Nec enim credent ipſi adverſarii adeò propè accedere ad *paritatem* cum *Presbyteris*, Jure Divino, *Laicos*, quàm accedunt *Presbyteri* ad *paritatem* cum *Epiſcopis*. At nihil hic *Tertullianus* de aliquo Eccleſiæ *Decreto*. *Pacis* colendæ gratiâ obſervari vult *Eccleſiæ* illum *honorem*. *Honori Ecleſiæ* illud tribuit *Presbyterorum* obſequium *Epiſcopo*, pro *Sedis Autoritate*, præſtandum. Ità ſcilicet diſtinguimus inter Juſſa Regentium *præter Leges*, de quibus nihil publico aliquo *Decreto* conſtitutum eſt, , *ipſaſque Leges*. *Legibus* parendum eſt propter diſerta *Legum* verba; *Juſſis* propter ſolum *Regentium honorem*. Cum itaque duntaxat in *honorem Epiſcopi* hoc omne referat *Presbyterorum* obſequium; id potiùs innuit, de eo nullam extitiſſe Eccleſiæ *Conſtitutionem*

nem publicam. Eodem referendum quod ſubjungit, *Sanctificari* hunc *honorem* per *Ordinis Conſeſſum*. Eam omnino intelligit *Sanctificationem* quæ *Laicos* arceret à *conſidentium* Presbyterorum Officiis. Sic enim *Sanctitas Levitarum* in causâ erat ne fas eſſet eorum munera attrectare quempiam è *Plebe Iſraeliticâ*, quamvis & *illis* pariter ac *nobis* convenerit hoc *Peculii* Regale Sacerdotium. *Levitas* rurſus à *Sacerdotalibus* Officiis ſubmovebat *Sacerdotalis* loci *Sanctimonia*; *Sacerdotes* ipſos *Summi Pontificis* præcipua quædam Sanctitas. Ita *inferior* quiſque Sanctitatis gradus pro *Prophano* habebatur ſi ad *ſuperiorem* inſtitueretur comparatio. Id vult igitur *Tertullianus*, conſtitutâ in *Eccleſiâ* primæ Sedis *Autoritate*, conſtituto diverſorum *Ordinum* diſcrimine per illa *Standi* & *Sedendi* Symbola: jam *Sacra* haberi oportere *Superiorum* Ordinum *Jura*; jam *nefas* eſſe & *piaculari* crimine teneri ſi quis inferior *Superiorum*

periorum Jura pervaſerit; eſſe denique à Deo ipſo metuendam violatæ *Sanctitatis* pœnam, cujus ad *honorem* propiùs ea ſpectarent quæ ſuâ ipsâ *Sanctitate* veneranda habebantur. Sic enim tribûs *Levitici* Sanctitatem adverſus *Dathanem* & *Abironem* ipſe vindicavit. Sic & *ſtirpis Aaronicæ* Sacerdotium adversùs *Coritas* ipſos quoque *Levitas*. Sic & *Arcæ* Sanctimoniam in *Philiſthæos*, *Bethſhemitas*, & ipſum quoque *Uzzam*; & *Sacerdotii* in Regem ipſum *Uzziam*. Veteris (inquies) Teſtamenti hæc exempla ſunt. Eò potiùs notanda quòd *Deus ipſe* pœnam exigerit cum nec deeſſet interim religioſus alioqui *Magiſtratus* qui poſſet exegere. Nec tamen deſunt in *Novo* etiam *Teſtamento*. *Sacrarum Pecuniarum* factum punivit ipſe in *Ananiâ* & *Sapphirâ*: temeratam *Euchariſtiam* in aliis, nunc *morbis*, nunc etiam *morte* ipſâ, multavit. Et in cauſâ *Sacramentariâ* alia habemus exempla *Infantis* atque *Mulieris* apud noſtrum

noſtrum *Cyprianum*, quò propiùs ad ipſum *Terullianum* hæc ſpectare videatur Expoſitio. Et quidem apud ipſos quoque *Gentiles* ſententiam illam de *Deo* ipſo in cauſâ *piaculari* vindice, vel ex *Act.* 28.4. valuiſſe conſtat, ne alia jam, quæ innumera occurrunt, Teſtimonia proferamus. Quod ergo expectaturi erant, pro hâc ſententiâ, *Gentiles*, id conſentaneum erat expectaturos ipſos quoque *Chriſtianos*, è *Gentilibus* nempe converſos; Quod *Chriſtiani*, id *Deum*, pro eorum expectatione præſtiturum. In eâ præſertim *Miraculorum*, quâ vixit *Tertullianus*, ætate, non erat cultui ſuo defuturus *Deus* in iis quæ ad commendandam Religionem *Chriſtianam* facerent, præ aliis æmulis *Religionibus*. Non erant *Gentilium Chriſtianorumque* ipſorum expectationes & vota fruſtranda. Ita igitur hæc erat intelligenda *Sanctificatio*.

Cyprian *de Lapſ.* 18.

§. 18. Quòd porro ait per *Ordinis Conſeſſum* ſanctificari hunc *Sacerdotii*

cerdotii honorem; Ita ſcilicet Argumentatur: Ex ipſo *Conſeſſu* colligi poſſe, alium eſſe *Sedentium*, & quidem præſtantiorem ſuperioremque, Ordinem quàm fuerit eorum qui Sedentibus duntaxat *aſſiſterent*; proinde alia eorundem eſſe & *Sanctiora* Jura, quæ propria eorum eſſe oporteret, ne permiſceri invicem diverſi Ordines viderentur. Et cum in *Sacris* locum haberet *Sacrorum Ordinum* hoc *diſcrimen*; proinde ipſum hoc diſcrimen Ordinum *Sacrum* eſſe habendum; & *Jura Sacra*, & *Sacram* etiam ipſam fore Jurium *proprietatem*: Ita *Sacrilegii*, & *piaculari*, ut dixi, crimine teneri ſiquis violâſſet Superioris Ordinis Jura. Sic enim Diſputârat, ante *Tertullianum*, Apoſtolicorum Temporum *Clemens*: Fuiſſe apud *Judæos* Ordinum, ταγμάτων, iſtiuſmodi diſtinctionem, Ἀρχιερέως, Ἱερέων, Λευιτῶν, Λαϊκῶν: fuiſſe apud eoſdem ſua quoque ſibi reſpondentia *Jura*, Ἀρχιερεῖ, ἰδίας λειτουργίας, Ἱερεῦσιν

Ep. ad Corinth. *n.* 41.

ῥεῦσιν ἴδιον τόπον, Λευΐταις ἰδίας διακονίας, Λαϊκοῖς ἴδια προστάγματα; Harum diſtinctionum violatoribus θάνατον fuiſſe πρόστιμον, à *Deo* nempe ipſo inferendum (pro more ſcilicet pœnarum *piacularium*;) nec enim quenquam legimus hoc nomine ab *hominibus* punitum in *Veteris Teſtamenti* locis illis de quibus egit hoc in loco *Clemens:* Eò referendum illud *virgæ Aaronis* germinantis prodigium, ad ſtabiliendam ſcilicet *Ordinum Munerumque* Ordinibus reſpondentium *Sanctimoniam*: Hæc eadem in noſtris *Novi Teſtamenti* diſpoſitionibus adhuc hodieque valere, *Noſtris* ſimiliter peccantibus *majus* imminere periculum; (unde hoc, ni apud *noſtros* illa à *Sacerdotio Iſraelitico* deducta valuiſſet Argumentatio? hoc ipſum unde, ni & *noſtri* fuiſſent pro *Sacerdotibus* agnoſcendi?) Diſputationi illi *Judæorum* περὶ Ἱερωσύνης reſpondere novam illam, de quâ agebat, *Corinthiorum* ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς Ἐπισκοπῆς: Utque

Judæorum illi consuluisset *Moses* per illud germinantis *virgæ* Prodigium; sic & novam illam *Corinthiorum* prævisam ab *Apostolis*, & ab iisdem ei similiter fuisse consultum. Ab *illis* itaque manavit Ordinum Ecclesiasticorum ita stabilita *Sanctimonia.* Et ut *Judæorum Sacerdotes* cum *nostris* contulit *Episcopis*; sic & cum *Levitarum* διακονίαις consentaneum erat illum à se memoratos nostros etiam conferre *Diaconos.* Ergo si *Tertullianum* è *Clemente* interpretemur, *Autoritati* (si tamen de *Autoritate instituente* ejus verba capiamus) certè plusquam *Humanæ* Ordinum *Ecclesiasticorum* erit assignanda *Sanctitas.* Nec sane aliam sententiam patitur *Tertulliani* ipsum *ratiocinium.* Nec enim *Ordinum* ab *Autoritate Humanâ* institutorum tanta posset esse *Sanctitas*, ni etiam in *Deum* essent Autorem referendi.

§. 19. Una restat de voce *Constituit* fortasse Difficultas, quàm ægrè concedent Adversarii, nisi de

de *Decreto* posse intelligi. Et quidem si *propriè* loqui velimus, ne quidem *Decreta*, eâ voce, solent à *Jurisperitis* quæcunque designari, sed *singulorum* duntaxat *hominum.* Apud Romanos *Constitutiones Principum* sæpe legimus; nusquam ita vocata legimus seu *Plebiscita*, seu etiam *Senatusconsulta*, quin potius utrisque contradistinguuntur illæ *Constitutiones*. Inde vocis usus in *Ecclesiam* manavit, respondetque, apud *Græcos* Scriptores, *Græcæ* voci Διατάξεις. Proinde illa quoque de *Principum*, quas dixi, *Constitutionibus* usurpatur apud *Græcos Jurisperitos.* In *Ecclesiâ* autem ne quidem *singularium* quarumcunque *Personarum* Decreta Διατάξεις appellantur, sed earum duntaxat quæ præcipuam quandam haberent præ aliis αὐθεντείαν, ut Ecclesias non modò possent *singulas*, sed etiam *Universam* obligare. Id genus nempe Διατάξεις videbantur *Imperatorum Constitutionibus* accuratissimè respondere, Ita factum

ctum ut ne *ſingulorum* quidem *Epiſcoporum* Decreta Διατάξεις nuncuparentur, ſed duntaxat *Apoſtolorum*. Sic enim Apoſtolus, 1 *Cor*. 7. 17. ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις πάσαις ΔΙΑΤΑ'ΣΣΟΜΑΙ. Quanquam ibi fateor legi διδάσκω in Cod. *Curcellæi*, *doceo* in Editione *vulg*. & apud *Ambroſium* etiam atque *Hieronymum*. Sic tamen vocem uſurpârunt *Conſtitutionum* Autor quæ *Apoſtolorum* nomen præ ſe ferunt, & Interpolator *Ignatii*. Inde Phraſes illæ, οὐ Διατάσσομαι ὡς Ἀπόστολος, οὐ Διατάσσομαι ὡς Πέτρος καὶ Παῦλος, ſub nomine *Ignatii* qui ipſe erat *Epiſcopus*. Ergone hoc ſenſu intelligent hanc noſtram *Tertulliani Sanctificationem*? Sic erit Eccleſiæ *Apoſtolicæ* Ordinum Eccleſiaſticorum tribuenda diſtinctio, vel ipſis potiùs *Apoſtolis*. Unde itaque *Plebis* illa *Jura* præſertim Seculo *Tertulliani*? Si enim ſoli *Apoſtoli* de *Plebe* Sacerdotio excludendâ *Conſtituerint*; jam neceſſe erat nulla adhuc *Plebis* in *Sacerdotio* fuiſſe *Jura*. Alioqui irritæ fuiſſent & prorſùs

Vid. ap. Uſſer. *Diſſert. de* Ignat. *cap.* 5.

prorsùs invalidæ de Jure *alieno* Constitutiones, ni *Plebem* ipsam assensisse fingamus, quem tamen *Plebis* assensum notio ipsa *Constitutionis* excludit. Valebit certè hæc Ratiocinatio si de *Apostolis* loquamur ut *hominibus*, & *Humanæ* Prudentiæ Spiritu præditis. Sin illos potiùs consideremus ut *Apostolos*, & Extraordinario *Spiritûs* gradu *Apostolico*; Sic certum est Ecclesiæ Jura *omnia*, etiam *Plebeiorum*, ut penes *Deum*, ita penes *Apostolos* fuisse *solos* ita consideratos. Tum verò erit porrò quærendum ut Jura *Sacerdotii* Plebi vel *concesserint*, vel etiam *illibata* reliquerint jam *antea* possidentibus, cum tamen Jurium illorum *usum* omnem præciderint? Præsertim cum de Causâ illâ *Extraordinariâ* quâ nullus haberi potest *Sacerdotum Consessus*, nulla extet eorundem Apostolorum *Constitutio*. Sed mihi fateor, sensu *Juridico*, non intelligendum videri *Tertullianum* laxiore nimirum usum illius vocis significatione, quâ possit etiam de

rebus

rebus *inanimatis*, pariter ac de *Personis* præcipientibus, affirmari. Sic de quorundam fide aut simpliciore, aut scrupulosiore, se (inquit) *in incertum Constituit*. Sic etiam, in causâ nostrâ, de *rebus* intelligetur hæc *Constitutio*, quas *Ecclesiæ Autoritatem Honoremque* appellamus, non de *Personis* Autoritate præditis atque præcipientibus.

Tert. *de Spectac. c.* 3.

§. 20. Quæres jam quem nexum teneant cum præcedentibus verba *Tertulliani* in hanc sententiam explicata? Ego illa eò retulerim, ut occurrat *Objectioni*. Nempe *Sacerdotio* illi *Laicorum* in superioribus asserto contraria videbatur Praxis *Ecclesiæ* quæ ab omni *munere Sacerdotali* Laicos arceret, quæque adeo immensum constituisset intervallum inter *Laicos* & suum *Ecclesiæ Sacerdotium*. Huic Objectioni ita occurrendum censuit *Tertullianus*, simul ut concederet rectè se habere eam, quæ de *Facto* obtinuit, *Ecclesiæ Consuetudinem*

tudinem; ſimul tamen ut oſtenderet non utique pugnare cum Laicorum *Jure* Sacerdotali negata illis in *Praxi* Sacerdotalia *Officia*. Quòd *conſuetudinem* ne minimâ quidem ex parte ſugillârit, inde conſtat quàm longe abſuerit ab interpretamentis Adverſariorum. Proinde *Eccleſiæ Autoritatem* non opponit ille *Divinæ*, nec morem aliquem in *Praxi* improbat ab *Eccleſiâ* probatum, ut proinde nullam habuerit in hoc Argumento vel occaſionem quæ eum redderet *Eccleſiæ* infenſiorem. Quòd itaque *Eccleſiæ* memorârit *Autoritatem*, non eo tamen memoravit ille conſilio ut Divinâ *minorem*, nec ut *æmulam*, nedum ut *contrariam* facileque quoties opus eſſet, contemnendam: Quorſum enim hæc probanti ea quæ etiam in Praxi *probârat* Eccleſia? His itaque conceſſis, rectè à *muneribus Sacerdotii* excluſos fuiſſe *Laicos*, nec proinde rectè poſſe *Laicos* munera ſibi interdicta attentare, quamdiu conſtaret ea-

dem ratio propter quam fuissent exclusi; Hæc tamen facta contendit, non propter *Laicorum* aliquam *incapacitatem*, sed *Ordinis* duntaxat gratiâ, *honorisque* in superiores conservandi. De eâ itaque *munerum Sacerdotalium* agit *differentiâ*, quæ sola ei videretur adversa. *Locorum differentiam* concedit, *Ordinem* nimirum *Plebe* fuisse Superiorem, *Sedentes Stantibus*, atque inter ipsos *Sedentes* suam fuisse *primariæ Sedi* Autoritatem. Sed & *locis* ipsis concedit, pro eorum diversitate, *diversam* cuique *reverentiam*. Hæc adeo non negat, ne sugillat quidem, ut potiùs vertat in Argumentum, cur, quos putat *Officio* ipso *pares*, adeo tamen viderentur in *Praxi impares*, ut quo loco fuisset *Ordinis consessus*, in eo *Laicorum Sacerdotii* vestigium nullum appareret. Quòd verò *Laicis* neget munerum Sacerdotalium *incapacitatem*, non id sumit velut ab Ecclesiâ *concessum*, sed quòd antea probâsse sibi visus esset, dum *Laicorum* illud probaret *Sacerdotium*. §.21.

§. 21. Pergit Tertullianus: *Adeo ubi Ecclesiastici Ordinis non est Consessus, & Offers, & Tinguis, & Sacerdos es tibi solus.* Est hæc, nimirum, è Præcedentibus, ut dixi, Argumentatio. Cum enim *Jus* Sacerdotii *Laicis* in superioribus asseruisset, idque unum docuisset obstare quominùs *Jure* suo liberè *uterentur* in *Praxi*, quòd colenda esset *Ecclesiæ Autoritas*, colendus Ecclesiasticorum *Consessus*, colenda *Pax* Ecclesiæ quæ,nisi debitis præstitis *obsequiis*,salva esse non posset; Quo Itaque Casu nullus esset *Ordinis Consessus*, nulla primæ Sedis *Autoritas*, nulla debita *obsequia*, in eo rediret cum ipso *Jure* Juris etiam *usus* & ipse liberrimus. In eo Sacerdotalia etiam munera *exercebit* Sacerdos (inquiet) *Laicus*,tam *Baptizandi*, quàm etiam *Offerendi* Sacrificium Eucharisticum. Nec enim *Pacis* violandæ poterit esse Periculum ubi nulli sunt cum quibus sit *Pax* ipsa colenda; nec *honoris* violandi, aut *Autoritatis*,cum

nullus eſt *Conſeſsus*, unde *honorem* illum pendere, pro his Principiis, *Autoritatemque* oſtendimus. Sic itaque cum *Eccleſiæ Diſciplinâ* concilianda erat Sententia *Tertulliani*, quòd præter hunc *neceſſitatis* caſum (quo nulla *eſſet* quæ contemni poſſet *Eccleſia*, nulla item quæ violari poſſet *Eccleſiæ Diſciplina*) nullum hujus Sacerdotii Laicalis *uſum* agnoſcat. Illos ſemper Sententiæ ſuæ *limites* ponit ipſe *Tertullianus*. Sic poſtea: *Igitur ſi habes Jus Sacerdotis in temetipſo, UBI NECESSE EST, habeas oportet etiam Diſciplinam Sacerdotis, UBI NECESSE SIT habere Jus Sacerdotis.* Et in Libro de Baptiſmo: *Sufficiat ſcilicet IN NECESSITATIBUS* ut utaris.

§. 22. Sed nec illam agnoſcit *Neceſſitatem Tertullianus* quam ſolent in ſui patrocinium obtendere *SCHISMATICI*. Non ille *clavis errorem*, nec *malè adminiſtratam* à *Conſeſſu* rem Eccleſiæ publi-

publicam, pro ea habet *Necessitate* quâ liceat *Laicis* sui *Sacerdotii* etiam munera exercere. Illud si agnosceret, jam plane omnem Ecclesiæ Disciplinam funditùs dirueret. Rarus enim erit reus quin causam suam tueatur uti bonam, & *malè* dicat à suis Excommunicatoribus *administrari* Ecclesiam Et verò *reos Judices* faciunt *SCHISMATICI.* Longe aliter *Tertullianus.* Nullum ille *Necessitatis* prætextum admittit, quo aut *haberi* possit *Ecclesiæ Consessus*, aut, quod eodem redit, *adiri*; Nullum quo aut *contemni* possit primæ Sedis *Autoritas*, aut negligi Consessûs *honor*, aut *Pax* ipsa violari. *Tres* ille solas recenset in Libro de Baptismo Necessitates, *sicubi aut loci, aut Temporis, aut Personæ conditio compellit.* LOCI, ubi nullus est omnino *Ecclesiæ Consessus*, ut in Insulis desertis, aut apud Barbaros: TEMPORIS, quo adiri non potest Ecclesiæ Consessus, aut consuli, & ne quidem fortè congregari,

gari, ut in arctâ custodiâ, sæviente Persecutione: (Aliter nulla unquam fuit, ut opinor, Ecclesiæ tam sæva Persecutio quin conveniret *Ecclesiæ Consessus*) Denique PERSONÆ, quoties ita disturbati essent *Sacerdotales* Consessus, ut ne unus quidem adhiberi possit *legitimus* Ecclesiæ *Sacerdos*. Nullam hìc *Necessitatem* reperimus quoties *audiri* possit *Consessûs* qualecunque *Decretum*. Nullam excipit *Decreti Iniquitatem*, nullum *Clavis errorem*. Omnino *Decretorum* Ecclesiasticorum qualiumcunque *Judicem* solum agnoscit *Ecclesiæ Consessum*. Ita nullum erit SCHISMATICIS in *Tertulliano* Patrocinium. Favet tamen (inquies) ejusdem *ratio*. Ne id quidem, si tamen pro *Principiis Tertulliani*, & coævæ Tertulliano *Ecclesiæ*, sententiam feramus. Nemo est qui dubitet quin singuli etiam *Presbyteri*, in eo, de quo loquitur *Tertullianus*, Necessitatis casu, *Sacerdotii* sui munera possint, pro *arbitratu*, exercere. Eosdem tamen,

tamen, cum *adessent* Consessus, & Consessuum *Præsides Episcopi*, seu injussu *Episcopi*, seu adversùs *Collagarum* in Consessu Suffragia, eadem munera exercentes, semper pro SCHISMATICIS habuit *Ecclesia*. Sic ne quidem *Laicis* id liceret, si id vel maximè concederemus ejusdem *generis* cum *Sacerdotio Presbyterorum*, id etiam esse, quod volunt, *Laicorum Sacerdotium*.

§. 23. Ex iisdem porro verbis id præterea colligimus de *Facto* aliquo ab Ecclesiâ *probato* intelligi omnino non posse *Tertullianum*. *Tinguis* (inquit) *& Sacerdos es tibi solus*. Hæc si de *Facto Tinguendi* interpretemur, id unà etiam sequetur, posse quempiam in eo, de quo loquimur, *Necessitatis* casu constitutum, se quoque *ipsum* Baptizare. Quod tamen fieri non potest ut crediderit ipse *Tertuliianus*, nedum ut crediderit, aut ab alio factum probârit, *Ecclesia*. Esto enim, *Christianus* fuerit cui *Necessitas* ea contigerit. Ita *Baptizatum* supponemus. At Baptismum semel

mel ſuſceptum nunquam *iterandum* ſemper docuit *Eccleſia*. Etiam illi qui *Baptizarent* jam *Baptizatos* ab *Hæreticis* (quo in numero noſtrum fateor fuiſſe *Tertullianum*) non eo tamen nomine illos Baptizabant quòd *Baptiſmi iterationem* probarent, ſed quòd *nullum* cenſuiſſent Hæreticis fuiſſe *Baptiſmum*,& prorſùs *invalidum*, non utique *repetendum* exiſtimantes ſi *verus* fuiſſet prior ille *Baptiſmus*. Ita certè non uno in loco *Tertullianus*. Quòd ſi *Ethnicum* ſupponimus, ſeu (quod eodem redit) *nondum Baptizatum*, ne ita quidem poterit (pro Principiis *Tertulliani*) *ſeipſum* Baptizare. Nec enim illum *Sacerdotem* agnoſcet noſter quo ſenſu *Laicis* Chriſtianis *Sacerdotium* cenſuit eſſe concedendum. *Nondum Baptizatum* ne quidem pro *Laico* habet *Luciferianus* apud *Hieronymum*, quod nec negat *Orthodoxus*. Ipſe *Sacerdotium Laici* Baptiſma nuncupat, quo loco Diſputat pro Principiis *Tertulliani*. Eodem retulit

Tert. *de Bapt.* c. 15.

de Bapt. c. 15. *de Pœnit.* c. 7. *de Pudicit.* c. 16. *cont. Marcion.* L. 4. c. 9. L. 5, c. 10.

Adv. Luciferian.

lit verba illa *Regnum quippe nos & Sacerdotes Deo & Patri suo fecit*, quæ etiam antea eodem retulerat ipse *Tertullianus*. Certè *nondum Baptizatos* non erat eodem quo se primæ Personæ verbo complexurus Apostolus. Nec de aliis quàm Baptizatis *Tertulliani* ipsa procedit Argumentatio: *Quod enim* (inquit) *ex æquo accipitur, ex æquo dari potest*. *Ex accepto* scilicet *Baptismo* Jus illud *Sacerdotale* colligit eundem *conferendi*. *Laicos* suos *Sacerdotes* etiam pro *Episcopis* habet & *Presbyteris* atque *Diaconis*. Omnino utique *Baptizatos*. Eodem spectat & illud à *censurâ* ductum Argumentum: *Proinde & Baptismus æquè Dei census ab omnibus exerceri potest*. Nec enim alium, quàm qui ipse in censu fuisset, *Censorem* admittebant Leges *Romanæ*. Quòd si de *Jure* Tinguendi *Tertullianum* intelligas, jam erunt omnia facilia. Quem enim *Sacerdotem* agnovit in eo, de quo loquimur, *Necessitatis*, Casu *Tertullianus* De B.pt. c. 17.

Laicum, ad eundem *Jura* omnia *Sacerdotalia* pertinere consentaneum erat, ut nullum haberet *Objectum* in quo posset *Jus* suum exercere.

§. 24. Pergit *Tertullianus*: *Sed ubi tres Ecclesia est, licet Laici.* Inde intelligimus, verba illa, *Sacerdos es tibi solus*, non ita intelligenda esse quasi in se solum *Sacerdotii* sui muneribus *fungi* posiit *Sacerdos Laicus*; sed quòd illud adhuc suo Ratiocinio deesse videret, nondum scilicet evicisse se necessariam esse Laico *Sacerdotalem Disciplinam* dum etiam de *Facto* probâsset munera *Sacerdotalia* à *Laico* exercenda. Supponit itaque *singulos* Sacerdotes, utcunque *Jura* Sacerdotalia possidentes, nondum tamen *munera* Sacerdotalia de *Facto* posse præstare dum *Collegium* conficerint. Id collegerat, ni fallor, è receptis *Collegiorum Sacerdotalium* moribus, tam *Judæorum* illis, quàm etiam aliorum præcipuè *Romanis*. Inde enim Argumentatur, hâc in causâ, *Tertullianus*,

nus Eo uſque rectè. E receptis enim *Sacerdotii* Juribus Argumentatur etiam S. Autor ad *Ebræos*. Quòd verò *negarent* tam *Tertullianus* ipſe, quàm illi, cum quibus ei res erat, *Adverſarii*, Jurium Sacerdotalium *uſum ſingulis* etiam reverâ *Sacerdotibus*; id ex ipſâ *Collegii Sacerdotalis*, ut exiſtimo, notione collegerunt. Conſtituebant enim, ut alibi oſtendi, illius Seculi *Sacerdotes* Corpora quædam, ſeu Communitates, quæ *Collegia* appellarentur. *Aſſumptus eſt in omnia Collegia Sacerdotalia Sacerdos*, inquiebat in vitâ *Commodi Lampridius*. Sic & *Tertullianus*: *Quot Collegia, quot Sacerdotia*. Rurſus: *Quod ergo mirum ſi apparatus agonum Idololatriâ conſpurcat de Sacerdotalibus Præſidibus, de Collegiariis Miniſtris, &c.* Proinde *Omnibus* cujuſcunq; generis *Sacerdotibus* ſua erant, pro *Romanorum* conſuetudine, *Collegia*. Ita factum ut *Jura Sacerdotalia*, quæ *Collegii* erant *Univerſi*, non poſſent *ſinguli* exequi. *Collegii* enim *Jura* à

Diſſert. Cyprian. 9. §. 2. 4.

De Spectac. c. 7. c. 11.

Lamprid. Comod. *c.* 12.

legii proinde pendere oportebat *arbitrio*. Ita nullum *Sacerdotii* munus exerceri potuit, nisi *Universi Collegii* Autoritate. Nec verò *Collegii Sacerdotalis* nomine quicquam geri potuit nisi ab eo qui *Collegii Universi* haberet *Potestatem*. At pro Legibus *Collegiorum*, numerus *Collegarum* erat omnino necessarius qui *Collegium Universum* representare posset atque obligare. Alioqui irritum prorsus habebatur atque invalidum, & in Lege nullum, siquis potestatem *Collegii Universi* exercuisset, neutiquam Autore *Collegio*. Et verò in Sacris, hasce *Juris* Regulas accuratissimè observabant. Tum quòd rem nefariam existimarent, & piaculari scelere infamem, si ipsum numen aliter, quàm oporteret, *repræsentassent*. (representari enim in *Sacerdotio* ipsum *Numen* alibi probavimus) Tum quia *rata* apud Numen sperari non poterant, ni, pro Numinis ipsius *beneplacito*, ritè omnia sanctèque fuissent administrata

de Un. Sacerd. & Un. Altar. Cap. 8. § 4. &c.

ſtrata, quæ quidem facerent ad rei geſtæ Autoritatem. Aliter fore ne quod expectari poſſet Sacerdotalis Officii *Beneficium* ab ipſo ſcilicet *Numine* præſtandum. Jam verò de *Numero* qui *Collegium* poſſet repreſentare, apud *Juriſconſultos* ipſos erat Diſputatio. Erant enim qui Jus omnium *in unum recidere* poſſe, & *in uno ſtare Univerſitatis nomen* aſſererent. Horum ita meminit *Ulpianus*, ut plane ſe in aliâ eſſe ſententiâ confirmet. Si (inquit) *Univerſitas ad unum redit, &c.* Receptior longe erat *Neratii Priſci* ſententia cujus ita meminit Marcellus: *Neratius Priſcus tres facere exiſtimat Collegium. Et hoc magis ſequendum eſt.* Hæc habuit ob oculos *noſter*, Juris perítiſſimus. De *uno* Sacerdote ait *Sacerdotem* illum ſibi fore ſolum. Acturum ſcilicet, pro eorum Sententiâ, qui ad *unum* redire Univerſitatem, & in *uno* ſtare *Univerſitatis nomen* aſſererent. Aliter ipſe. Cum enim *Eccleſiam* niſi in *tribus* con-

Ulpian. *Digeſt. L.* 3. *Tit.* 4. *l.* 7. *n.* 2.

Marcell. *Dig. L.* 50. *Tit.* 16. *l.* 85.

constituere non audeat, sequitur *unum* pro *Ecclesiâ* non habere *Tertullianum*. Non itaque in *uno* *Universitatis* nomen stare credidit. Ita *uni* duntaxat *Sacerdoti* non licuit, si illum audiamus, exercere *communia* Sacerdotalis Collegii *munera*. Nec id temerè *Tertullianus*. Etiam alibi in *tribus* constituit *Ecclesiam*. Rectè itaque illum *sibi Sacerdotem* fore asserit qui *solus* esset, quià non possit esse *Ecclesiæ*. Ut proinde *Jura* sola habere possit istiusmodi *Sacerdos*, sine omni tamen *Juris usu*. Unde etiam rursus constat, ita non Argumentari à *Facto Sacerdotali* ab *Ecclesiâ* probato *Tertullianum* (ut existimant Adversarii) ut tale *Factum*, siquod fuisset à *Laico Sacerdote* solitario editum, ne ipse quidem potuerit, pro suis Principiis, probare *Tertullianus*.

de Fug. in Persec. c. 14.

§. 25. Id prætereà Observandum, cum ait, *Ubi tres, Ecclesia est, licet Laici*, de *tribus* illum intelligendum esse *Sacerdotibus*, eo nimirum,

nimirum, quod *Laicis* tribuerat, *Sacerdotio*. Sic rectè nectentur cum præcedentibus, ut nimirum *Sacerdoti ſoli* hic *tres* opponantur, ſimiliter utique *Sacerdotes*. Et verò ita intelligendum poſtulabat ipſum ejus, quod dixi, ratiocinium. *Eccleſiæ* enim nomine illud intelligit *Collegium*, de quo pronunciaſſent Juriſperiti in *tribus* illud ſtare poſſe. Et cum agat de muneribus *Sacerdotalibus*, ut oſtendi, & Jure etiam *Sacerdotali Laicis* tribuendo, non utique de aliis intelligendus eſt *Collegiis* quàm *Sacerdotum*, quorum *Collegia* habebantur apud *Romanos* celebratiſſima. Quod itaque Juriſconſulti *Collegium* appellâſſent *Sacerdotum*, id ſupponit, apud *Chriſtianos*, appellari *Eccleſiam*. Supponit ergo *Tertullianus* (quod docent etiam alii Eccleſiæ Orthodoxi Patres) in ipſâ *Eccleſiæ* definitione includi *Sacerdotium*. Nec enim aliter probat à *Laicis* conſtitui potuiſſe *Eccleſiam*, quàm probando

Laicos

Laicos esse *Sacerdotes*, & quidem eo *numero*, qui, per *Romanas Leges*, necessarius esset ad *Collegium Sacercerdotum*. Eo itaque uno Principio nitebatur hæc *Tertulliani* universa Argumentatio, quòd unius esset ejusdemque generis commune illud *Christianorum* omnium *Sacerdotium* cum *Ecclesiæ* publico *Sacerdotio*, & ad eadem publica similiter Ecclesiæ *Officia* referendum. At solus erat in eâ fortasse sententiâ, nec fere quenquam Ecclesiasticorum Scriptorum habuit suffragantem *Tertullianus*. χωρὶς τούτων (*Episcopi* nimirum, *Presbyteris* atque *Diaconis*) ἐκκλησία οὐ καλεῖται, inquit *Ignatius*. Rectè id omnino, & pro Principiis etiam *Tertulliani*, id modò unum concedatur, solum esse *publicum* Ecclesiæ *Sacerdotium* quod Potestatem habeat *Publicorum* Ecclesiæ *Officiorum*, quod ut negârit *Tertullianus*, credidit tamen *Tertulliano* antiquior *Ignatius*. Nec *Ignatius* modò. Idem credidit *Tertulliani* conterraneus *Cyprianus*, è quo

Ignat. Ep. ad Trallian. n. 3.

quo melius *Ecclesiæ Africanæ* sententiam, quàm ex ipso *Tertulliano* didicerimus. Sic enim ille definit *Ecclesiam*, ut *essentiam* ejus ingrediantur *Sacerdotes* Ecclesiastici: *Illi sunt* (inquit) *Ecclesia, Plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo Grex adhærens.* Sic & *Tertulliani* Excriptor *Hieronymus*, etiam in eo Opere in quo multa è *Tertulliano* mutuatus est. *Ecclesia non est quæ non habet Sacerdotes.* Postea; *Similiter & Ecclesia multis gradibus consistens, ad extremum Diaconis, Presbyteris, Episcopisque finitur.* Inde intelligimus quos voluerit in priori loco *Sacerdotes.* Non illos certè *Laicos* Tertulliani. De *Clericis* enim loquitur quos *non potuit* Hilarius Luciferianus *Diaconus Ordinare.* Illorum defectu *Hilarii* ait defecisse *Ecclesiam.* At *Sacerdotes Tertulliani* infinitos Ordinare potuit etiam *Diaconus*, cum etiam illi Potestatem *Baptizandi* tribuat *Tertullianus.* At Sectam suam deficere passus est *Schismaticus* iste *Diaconus* potius quam aut, in eâ

Cyprian Ep. 69.

adv. Lucifer.

etiam *necessitate*, Sacerdotium usurparet *Ecclesiæ*. Adeo nemo erat, seu *Ecclesiasticus*, seu etiam *Schismaticus*, qui *Tertullianum* hic audiendum crederet. Sed quid opus est pluribus? Ipse hoc videtur innuere *Tertullianus*. Ut enim *Sacerdotium*, nescio quod, *Umbraticum* Laicis suis concedit; sic etiam *Episcopatum*, *Presbyteratum* atque *Diaconatum*, & ipsos quoque similiter Umbraticos: *Nisi* (inquit) *Episcopi jam, aut Pres-*
de Bapt. c. 17. *byteri, aut Diaconi vocantur Discentes.* Cur illa, ni vidisset non utique concessuros *Ecclesiasticos*, satis esse suum illud *Laicale Sacerdotium* ad *Sacramenta Ecclesiæ*, etiam urgente *Necessitate*, administranda? Cur (inquam) illa, si alios habuissent *Ecclesiastici*. Etiam quacunque positâ *Necessitate*, *Sacerdotes* quàm *Episcopos*, *Presbyteros* atque *Diaconos*? Ubinam ergo illa Laicorum *Sacerdotalia munera* ab Ecclesiâ, ut existimant, *probata*? Hæc si fuissent, non opus esset commentitio illo *Episcopatu*, *Presbyteratu*, aut *Diaconatu*. §.26.

§. 26. Sed ſcio mihi cum id genus Adverſariis eſſe rem qui *Patres* etiam *Primævos* flocci faciunt, ni conſtet de *rationibus*. Et ſcio admodùm *ingrata* illis hæc fore Principia quæ *Sacerdotium* legitimum Eccleſiæ *Eſſentiale* faciant, ne ſint proinde ſine probatione prætermittenda. Conſtat interim, ut dixi, in hâc univerſâ Diſputatione conceſſa, tam à *Tertulliani* Adverſariis, quàm ab ipſo etiam *Tertulliano*. Nec id omnino temere. *Eccleſiæ* enim nomine illam hominum intelligimus multitudinem quæ poſſit convenire in *Cœtus*, pro *Chriſtianitatis* normâ, *legitimos*. Sed nec *cœtus* etiam *legitimos* quoſcunque intelligimus. Sunt enim & *Orandi* cauſâ *cœtus* Orthodoxorum, fateor, *legitimi*. Nec illos *cœtus* intelligimus qui ſunt, pro *Chriſtianæ* Religionis Principiis, *neceſſarii*, in quibus ea præſtantur *munera* quæ nequeunt à *ſingulis* præſtari *Chriſtianis*, quorum tamen *virtute* ea etiam quæ à *ſingulis* præſtari

 poſſunt,

possunt, *Deo* grata redduntur atq; accepta. Nempe *Sacramenta* intelligo quibus *Deo* atque *invicem unimur*, atque in *unum* Christi *Corpus* coalescimus, cum *Deo* etiam *paciscimur*, & Pactorum *Beneficia* omnia & *Jura* consequimur. Hæc enim *Unitatis* vincula ratio sunt cur *singuli* in recessibus conclavibusque *Christiani*, ad *unum* tamen *idemque* Ecclesiæ *Corpus* pertinere intelligantur. Hæc *Pactorum Beneficia* etiam *Orantium Cœtus* faciunt *acceptos*. Qui itaque horum *Cœtuum* Publicorum *Potestatem* habent, *Ecclesiæ* etiam *Potestatem* habeant necesse est, ut proinde nequeat sine illis *Ecclesia* ne quidem appellari. Nec enim *Ecclesiæ* meretur nomen Multitudo *Mysticæ Unionis* vinculis nondum *unita*, aut *unione* apud Deum *irritâ*, aut quæ nulla habeat Evangelici Pacti *Jura*. Cum itaque *Sacramenta* habuerint pro *Officiis Sacerdotalibus*; rectè illi, & pro Principiorum suorum consequentiâ, *Sacerdotium* Ecclesiæ *Essentiale* crediderunt. §. 27,

§. 27. Quæ porro subjungit *Tertullianus*, eò spectant ut probet id quòd supremo loco dixerat, *Ubi tres, Ecclesia est, licèt Laici*, quod tamen idem superiori, ut ostendi, Argumentatione conficere conatus est. Cur adeo multis opus erat in brevi sermone probationibus, ni vidisset id difficillimè *concessuros* Adversarios? Probat autem infelicissimè. *Unusquisque enim* (ait) *suâ fide vivit, nec est Personarum acceptio apud Deum, quoniam non Auditores Legis justificabuntur à Deo, sed factores, secundùm quod & Apostolus dicit.* Posteriora hujus loci ad priora referenda, eò nimirum ut ostendant, nullam esse apud *Deum Personarum acceptionem.* In eo sita est vis illa qualisqualis Argumenti, quod quia nulla est apud Deum *Personarum acceptio*, proinde nihil referat quis *munera Sacerdotalia* exequatur; perinde *gratum* Deo esse *Laicum* si *Factor* sit *Legis*, perinde *ingratum Clericum*, si *Legis* sit tantummodò *Auditor*.

Hæc

Hæc verò Ratiocinatio ſi procederet, ſupervacua eſſet illa *Neceſſitatis Exceptio*, quâ ſolâ ingruente, liceat *Laico Sacerdotalia* munera exercere, quam tamen adhibet, uti vidimus, *Tertullianus*. Etiam *extra Neceſſitatem*, non eſt *Perſonarum Acceptor* Deus. Nec tamen *Laicum* perinde *Deo* gratum agnoſcet ac *Clericum*, ſi velit *munera Sacerdotii*, nullâ *Neceſſitate* cogente, capeſſere. Prudenter itaque explicanda ea erit, quæ à Deo erit removenda, προσωποληψία. Æque *Deo* gratus eſt *Gentilis*, ac *Judæus*, ſi velit *Chriſtianiſmum* amplecti, ut in *Cornelii* cauſâ obſervavit Apoſtolus. Nec tamen eſt quod quis propterea dubitet jam *Chriſtianum* utroque eſſe *gratiorem*. Non eſt *Perſonarum acceptor* in *Judicio* Deus. Perverſè tamen egerit ſiquis inde concluſerit, nihil referre in *Judicio Divino*, ſeu *reus* quiſpiam, ſeu potius fuerit *innocens*. Sed nec in *ſalutis* cauſâ, eſt quòd quis ſibi de *loci* dignitate blandiatur.

blandiatur. Tam facilè *Pauperes* audiet ſervabitque Deus quàm *Divites*; tam facilè *viles* & ex imâ fæce *Plebeios* quàm viros in Seculo *illuſtres* atque *nobiles*; tam facilè *ſimplices* quàm acutos hujus mundi *Scribas* atque *Diſputatores*. Nec tamen propterea colligendum nullas eſſe *Diſpoſitiones*, quæ, etiam in *Salutis* cauſâ, *Perſonam* aliam aliâ reddant *acceptiorem*. Id ſibi igitur volunt iſtiuſmodi Scripturæ loca, non ut omnem negent apud Deum *Perſonarum diſtinctionem*, ſed ut illos removeant ab eo *humanos affectus* qui nos in *Perſonas*, nullo ſuo *merito* digniores, procliviores reddunt. Exigit è contrà *Juſtitiæ Divinæ* ratio, ut quæcunque faciunt ad *veram* Perſonarum *commendationem*, eorum ratio apud *Deum* habeatur. Et certè in rebus *gerendis* quarum tota vis à gerentis *Autoritate* pendet, id unum ſpectat ipſa *ratio*, verêne *Autoritatem* illam habuerit, quæ tota rurſus pendet è *loci* dignitate. Si enim, quæ

Dei

Dei nomine *Sacerdos* paciſcitur, ea Dei *Autoritate* paciſcatur, perinde tenebitur *Deus* ut ea ratia habeat præſtantibus conditionem, ſi vel *Auditor Legis* tantummodò fuerit *Sacerdos*, ac ſi eſſet *Factor*. Sin contrà nullam habeat à *Deo* ad *Pacta* Sacerdotalia *Autoritatem*, ea *irrita* erunt apud *Deum*, utcunque alioqui *Factorem Legis* Sacerdotem ſupponamus. Sed hâc profectò in cauſâ, erit *Legis ne Auditor* quidem, Sed *Sacrilegus violator*; nec alio apud *Deum* loco proinde judicandus. Hucuſque vidimus nullum Laici Sacerdotii *Factum pro conceſſo* ſumere. E contrà potiùs ſedulò probare, *negatumque* proinde ſupponere. Quæ ſequntur ea jam *probatum* ſupponunt *Laicorum Sacerdotium*, & ad illam traducunt, quam agit, cauſam *Monogamiæ*. Idem conatur, ut dixi, in Libro de *Baptiſmo*. Sed nulla ibi legimus verba quæ vel leviſſimam movere poſſent, de *Facto* ab Eccleſiâ *conceſſo* ſuſpicionem.

§. 28.

§. 28. Id unum in Ecclesiæ *Praxi* video, unde suspicari possit *Tertullianus*, commune quippiam cum *Ecclesiæ* Sacerdotio habere Sacerdotium *Laicorum*. Quòd scilicet in *eosdem* convenirent cum illis *Ecclesiæ cœtus*, nec eos modò qui *cultûs* causâ fuissent celebrati, sed in illos etiam qui *Judicii.* Quid illis licuerit in Ecclesiâ *Africanâ* intelligimus è *Cypriano.* Aderant scilicet siquis esset in *Ordines Ecclesiæ*, etiam *inferiores*, cooptandus, edebantque de *vitâ* Ordinandi moribusque *Testimonium.* Nec facilè quisquam illis, pro Imperio obtrusus, non dico *refragantibus*, verum etiam ni suffragiis illum ipsi sibi *expetiissent*. Excusat se aliquoties *Cyprianus*, siquando, sæviente etiam *Persecutione*, quempiam præfecisset qui non fuisset legitimis eorum suffragiis anteà pro more *comprobatus.* Et quidem ita se plerumque excusat, ut *aliud* aliquod allegat eorundem *Testimonium*, si quando defuisset suffragandi *solennitas.*

Ep. 33. 34. 35

Aderant iidem *Laici* etiam *consiliis* Ecclesiæ, siquâ graviori de causâ esset consultatio, etiam ubi de dandâ *Ecclesiæ Communione*, aut *negandâ*, ageretur. Sunt autem ea quæ ad *Communionem* spectant *Sacerdotii Officia* præcipua. Et quidem ita aderant, ut nec temerè quicquam sine eorundem *consensu* Constitueretur. Sic enim causam *Lapsorum Cyprianus* ad *Concilium* distulit, in quo locum haberent, & suffragium, *stantes* etiam *Laici*. Nec certè *gravioris momenti* quippiam, quod quidem ad *Ecclesiæ regimen* attineret, gestum legimus, sine eorum *assensu*, rarò sine *Suffragiis*. Inde facilè potuit colligere *Tertullianus* Jura *Sacerdotii* universo *cætui* fuisse communia. Nec enim *Jura Sacerdotii* exinde imminui credendum erat quòd *Juris* ptohiberentur *exercitio*, cum & *veri*, sine controversiâ, *Sacerdotes*, Presbyteri & Diaconi, *Juris* tamen sui *usu*, propter primæ Sedis aut consessûs *honorem*, similiter

Ep. 14. 31, 52.

ter prohiberentur. Eo igitur concesso quod *unum* conficerent eundemque *cœtum*, tam *cultûs* causâ, quàm etiam *Judicii*, ita deinde procedebat Argumentatio: Eandem hìc valere *rationem* quæ & in *aliis*, diversorum quoque Ordinum, *Collegiis*, deficientibus nonnullis ad *reliquos* redire *communia* universarum *Jura*; *ista* sublato, quod sæpe contigit, *Episcopo*, *Jura* deinde *Episcopalia* transire viderat in *Presbyteros*: Illos deinde ea præstare *solos* quæ nefas esset alioqui præstari, nisi *Autore Episcopo*. Sic & sublato *Presbyterio*, *Jura* quoque *Presbyterii* recidere, per eandem rationis paritatem, in *Diaconos*, cujus tamen rarum admodum, si fortasse ullum, eâ ætate extabat *exemplum*. Sic denique sublatis *trium Ordinum* omnibus *Clericis*, *Jura* eorundem omnia redire tandem ad *Sacerdotes Laicos*. Quod tamen de *Facto* nuspiam contigisse verisimile est ætate *Tertulliani*, ut proinde possit à *Facto*

 aliquo

aliquo ab Ecclesiâ *probato* Argumentari. Hæc innuit ipse fortasse *Tertullianus*, cum in eo casu *Episcopos* vocari posse, aut *Presbyteros*, aut *Diaconos*, Discentes ait, nempe *Laicos*. Quasi nimirum in illos migrâssent *Episcopatûs*, *Presbyteatûs*, & *Diaconatûs* communia *Jura*, pro eâ, quam dixi, Argumentatione.

§. 29. Ex eâ certè potiùs *Ecclesiæ Constitutione*, quàm è *Scripturâ*, quam tamen solam adhibet, ratiocinatum fuisse *Tertullianum*, exinde colligo. Quòd *solos* nimirum *Laicos viros* sui fecerit participes *Sacerdotii*. Non item *Virgines*, quanquam & ipsas, pro illius Seculi more, *sacras*. Viderat nimirum in *Ecclesiæ* cœtibus locum habere soles *Viros*, excludi *Mulieres*. Scriptura autem, quam quidem protulit, tam facilè poterat de *Mulieribus*, quàm de *Viris*, intelligi. Quid quòd etiam verisimilior, ex eâ Hypothesi procederet Argumentatio. Solâ enim *Sacerdotii* voce

voce uſa eſt Scriptura, non item aliquid adjunxit, è quo collig poſſet *quale* illud fuerit *Sacerdotium*; nedum an ejuſdem fuerit generis, eorundemque munerum cum *publico* Eccleſiæ *Sacertio*. Longe autem erat proclivius ut hæc colligeret ex eâ, quam dixi, *cætuum* Eccleſiaſticorum *Conſtitutione*. Cum enim videret, in re etiam *Sacramentariâ*, adhiberi in Concilium *Laicos*; facilè poterat inde ſuſpicari, ut à *Sacramentis* de *Facto* arcerentur, propter illum primæ Sedis, quem dixi, & Conſeſſûs, *honorem*, *Jura* tamen *Sacramentorum* ad eoſdem attinere. Utcunque tamen ſpecioſa primâ facie videatur, non erat ſolida hæc etiam ipſa Argumentatio. Nec enim in id genus diverſorum Ordinum *cætibus* ſolebant *Superiorum* Jura ad *Inferiores* deſcendere. Ne quidem in *Eccleſiâ* obſervatum alibi oſtendimus. Nec enim habebant, Sede etiam vacante, *Jura* tamen *Epiſcopalia Presbyteri*. Nec *Dissert. Cypr.* 9

Epiſco-

Episcopos Ordinabant, nec res *gravioris momenti* quascunque decernebant quæ quidem *primæ Sedis* Autoritatem postularent, quasque ratas esse oportebat apud primæ Sedis *Collegas Episcopos*. In eo uno auctiores erant, Sede vacante, *Presbyteri*, quòd cum *Sacerdotii Presbytoralis* munera non possent *Sede plenâ*, nisi ad nutum *Episcopi*, exercere; jam sui essent, in *sui* saltem *Officii* muneribus, *Juris*, vel etiam fortasse penderent à toto *Presbyterio*. Ita, ex *rationis* paritate, id quoque unum sequebatur, sublatis superiorum Ordinum *Clericis*, jam liberos forè in *sui*, siquod anteà habuissent, *Sacerdotii* muneribus *Laicos*. Restabit verò deinde probandum illud *Laicorum Sacerdotium*. Malè tamen id elicitur è *Jure* illo quod illis permissum est in *Conciliis Ecclesiæ*. Potest *Magistratus* eorum etiam uti *consilio* qui *nullam* prorsùs habeat, in Repub. *Potestatem*. Nec libenter ab eorum consilio *discedet* quorum alioqui *judicium*

ea

ac *peritiam* magni facit. Præsertim si in re *gerendâ* multùm valeat eorum qualiscunque *Opinio,* utcunque nullâ legitimâ Autoritate stabilita. Movebantque primævos *Christianos* hæ omnes rationes ne *Plebis* opinionem, qualemcunque tandem illam, facilè contemnerent. Atqui aliud est (inquies) consulere aliquem *privatim*, aliud eundem *publicis* adhibere *consiliis*: Illud eorum esse posse qui tamen nullum habeant in *Repub.* munus; hoc non esse aliorum quàm qui agant pro *Jure* & *Officio.* At multi etiam *Publicis* solent interesse *consiliis*, non tam *muneris* quàm, potiùs *solennitatis*, causâ. Multi etiam *assentiendi* causâ, non tamen *statuendi*. Et sane de his *Plebis* suffragiis ita loquitur *Cyprianus* ut non inde rei gestæ penderet *Autoritas*. Sic enim scribit ad *Clerum* suum: *A primordio* (inquit) *Episcopatûs mei statueram, nihil sine consilio vestro, & sine consensu Plebis meæ, privatâ sententiâ gerere.* Planè innuit, hanc *se* nor- Cyprian. *Ep.6.*

mam

mam *ſibi*, pro *arbitrio* ſuo ſtatuiſſe, nullâ ſcilicet, cur ità faceret, impulſum *neceſſitate*, nullis coactum ſeu *Plebis*, ſeu etiam *Cleri* ſui, *Juribus*. Aliter fuiſſet, ne quidem *potuiſſet* quippiam privatâ ſententiâ gerere. Quæ enim *vis* fuiſſet privatis illius Decretis, ſiquam vim alienis *Juribus* intuliſſet? Nullus erat qui renitentes poſſet cogere *Magiſtratus*. Sed nec ulla, cur parerent, *Conſcientiæ* etiam *Obligatio*, ſiquid *unus* ille decreviſſet alienis *Juribus* adverſum. Et cum opus eſſet ut ab eâ normâ diſcederet, *excuſavit* quidem Factum, quòd præter *morem* ſuum atque *normam* fuiſſet geſtum, ratum tamen habuit, ne quidem expectato eorum ſuffragio. *Ordinatum ſciatis*, inquit, de *Aurelio*. Planè pro *Imperio*, & *loci*, in quo erat conſtitutus, dignitate. Rurſus de eodem *Aurelio* & *Celerino*: *Cæterum Presbyterii honorem deſignâſſe nos illis jam ſciatis, ut & ſportulis iiſdem cum Presbyteris honorentur, &c.* De *futuris* itaque

Ep. 33.

Ep. 34.

itaque *honoribus* in *Ecclesiâ* constituebat, ne quidem expectato *Plebis*, aut etiam *Cleri* suffragio. Nec aliter de *Numidico* ad *Clerum* pariter ac *Plebem*: *Admonitos nos & instructos SCIATIS dignatione divinâ, ut Numidicus Presbyter adscribatur Presbyterorum Carthaginensium numero.* Ep. 25. Erat itaque *ratum* siquid etiam in *Ordinationibus Episcopus* privatâ suâ sententiâ gessisset, in quibus tamen præcipuè putant Adversarii elucere ea *Plebis* & *Cleri Jura.* Et jam anteà ostendimus quàm non omnino pugnarent *Plebis* & *Senatûs* Concilia cum *absolutissimâ* etiam *Monarchiâ.* Sed fateor Juris Sacerdotalis *usum*, non item ipsum *Sacerdotium*, hoc refelli ratiocinio, cum & *Cleri* suffragia probet non fuisse necessaria, quos tamen nemo dubitat *veros* fuisse *Sacerdotes. Sacerdotium Laicorum* aliunde refellendum, quòd *Jus* nullum *Sacerdotii Plebs* habuerit Originale. Nec tamen illud uspiam legamus à Deo *Plebi* fuisse

donatum. Non ab ipſo *Deo* immediatè, non mediis *Apoſtolis*, ne quidem ipſis mediis ſeu *Epiſcopis*, ſeu etiam *Presbyteris*. Et tamen eò *Donationem* ipſam manifeſtiorem fuiſſe oportuit, quò, prohibito *Sacerdotii* omni *uſu*, obſcuriora fuerint illius, in Eccleſiæ *Praxi*, veſtigia. Hæc nos alibi ex profeſſo. Inde conſtabit non *Juris* fuiſſe, ſed *dignationis*, ſiquis fuerit *Plebi* locus in Conſultationibus de *Sacerdotio*. Ut proinde nullum inde potuerit elici *Jus* eorum *Sacerdotale*.

§. 30. Supereſt præterea unicus *Tertulliani* locus quo *factum* ſubindicari credidit *Grotius*, ſed maximi, ut putat, ponderis. Cum enim recitaret Eccleſiæ *mores* ab *Apoſtolorum* primævo uſu equidem *novatos*, quos tamen putat *Pacis* ſtudio retinendos, in eorum numero & hunc recenſuit: *Euchariſtiæ Sacramentum, & in tempore victûs, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum*

de Coron. Mil. c. 3.

aliorum manu quàm Præsidentium sumimus. Nempe (quod ad causam nostram spectat) opponi observat Vir Cl. superioris commatis verba illa, & *OMNIBUS mandatum à Domino,* posterioris Commatis illis, *nec de aliorum manu quàm Præsidentium sumimus.* Inde colligunt *Omnibus Christianis* mandatam à *Domino* Eucharistiæ celebrationem. Quod postea *Presbyterorum* propria facta sit, in eo discessum putant à primævâ *Domini* Institutione atque Exemplo; in eo *novâsse* etiam coævam *Tertulliano* Ecclesiam. De *primævo more* mox explicabo quid sentiam. Quòd verò ex hoc loco colligunt *mandatam Laicis à Domino* Eucharistiæ *Consecrationem,* malè id nimirum colligunt. Hoc ut eliciant, *Præsidentium* nomine *omnes* complectuntur cujuscunque Ordinis *Cleros.* Id tamen necessarium erat, ut voce *Omnibus* etiam *Laicos* includerent. Perversè hoc, & præter morem locutionemque *Tertulliani.* Vel

ipſum nomen *Præſidentis* ſatis erat ut monerentur, ne de alio *Tertullianum*, quàm *Epiſcopo*, interpretarentur. Erat enim vox illa ſatis nota *Romanis* qui *Rectores Provinciarum* omnes *Præſides* appellabant. Et quidem propter eam ipſam nominis Etymologiam, quòd *præ* aliis *ſederent* in Tribunalium Provincialium *Conſeſſibus*. Nec enim quenquam *Præſidem* appellabant, uno eo excepto qui *Sedem* occupabat in conſeſſu *primariam*. Quin & *Præſides* in *Collegiis Sacerdotalibus* ipſe memorat *Tertullianus*, unde facilè eſt colligere ab illis emanâſſe vocem ad *Chriſtianorum* Collegiorum Sacerdotalium *Præſides*, non utique alios quàm, in *ſingulis Collegiis*, pro *Gentilium* exemplo, ipſos quoque *ſingulos*. Nec verò ullus eſt *Tertulliani* locus quo vocem hanc uſurpat quin hanc, quam dixi, ſatis commodè patiatur ſignificationem. Aliam nonnulli ne *patiuntur* quidem. Ait *Præſideri Cathedras Apoſtolorum*, de *ſingulis*, ut

Digeſt L. 1. *Tit.* 18. *l.* 1.

Tertul. *de Spect. c.* 11.

ut oſtendi, intelligendus *Cathedris*, *Præſcript. c.* 36.
deque *ſingulis* proinde Apoſtolorum Succeſſoribus qui eundem tenerent in Eccleſiis *locum* quem tenuerant *Apoſtoli*. *Primum* illum fuiſſe quis dubitat? *Duplex* (inquit *Eccleſiæ*) *apud te Præſidentibus honor binis partibus deputatur, cum Apoſtolus duplicem honorem dederat, ut & fratribus & Præpoſitis*. Idem itaque *Tertulliani Præſides* qui *de Jejun. adv. Pſych. c.* 17.
Præpoſiti Cypriano multis in locis, ipſique *Tertulliano*; qui προεστῶτες *Juſtino* Martyri, de aliis quàm *Epiſcopis* neutiquam intelligendi. Nec verò alios, hoc in loco, intelligi patitur mentio *binarum partium*. Nempe pro *Romanorum Collegiorum* more, cum *menſurnarum diviſionum* partes *ſingulæ* duntaxat reliquis *Confeſſoribus* concederentur, *duplex* tamen reſervata eſt *Confeſſori primario*, quò alludit *Tertullianus*. Cum ait *Digamos, apud Eccleſiam, præſidere*, tam illum *de Monogam. c.* 12.
antecedentia quam etiam conſequentia cogunt, ut de *ſolis* intelligamus

ligamus *Episcopis*. *Monogamia* (inquit) *solis Episcopis imposita est*. Et eadem ipsâ voce sæpissimè explicat quos *Præsides* intellexerit.

§. 31. Vix opus esset, in causâ adeo manifestâ, tam operosâ probatione, ni viros alioqui maximos, hæc fugisset tantilla Observatio. Inde est quòd voce *OMNIBVS Laicos* incluserint quòd *Præsidentium* nomine *Clerum universum* intellexissent. Satis illi *consequenter* si, quod volunt illi, *Præsidentium* nomine voluisset *Tertullianus*. Plures enim voce *OMNIBVS* denotari quàm *Præsides*, id verò manifestissimum est. Si autem *Præsidentium* nomine solos intelligamus *Episcopos*, jam facilè constabit voce *OMNIBVS* reliquos intelligi quibus *Episcopus* præsidebat in Consessu *Collegas*, præsertim verò illos, & fortasse *solos*, qui locum in *Consessu* haberent, *Presbyteros*. Atqui illis (inquies) *Eucharistiæ* Sacramentum, etiam ætate *Tertulliani*, fuisse mandatum. Hoc unum, ut existimo, obstabat quominùs Viris

Viris Eruditis adeò facilis occurrerit Interpretatio. Non meminerant ſcilicet, quam Baptizandi Poteſtatem, aut *Euchariſtiam Conſecrandi*, habebant *Presbyteri*; ita tamen illam exercuiſſe coævos *Tertulliano Presbyteros*, ut & ea quoque Officia *ſoli* tribuerentur *Epiſcopo.* De *Euchariſtiâ* hìc ipſe locus abunde teſtatur. De *Baptiſmo* verba præcedentia: *In Eccleſiâ* (inquit) *ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis ejus.* De eodem rurſus in Libro de Baptiſmo: *Dandi quidem* [*Baptiſmi*] *habet* de Bapt. c. 17. *Jus ſummus Sacerdos qui eſt Epiſcopus. Dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi Autoritate, propter Eccleſiæ honorem.* Convenit ad amuſſim *Ignatius*: Μηδεὶς χωρὶς τοῦ Ἐπισκόπου τὶ πρασσέτω τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν Ἐκκλησίαν. Ignat. Ep. ad Smyrn. *n.*8. Ἐκείνη βεβαία Εὐχαριστία ἡγείσθω ἡ ὑπὸ τὸν Ἐπίσκοπον οὖσα, ἢ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ. Et nonnullis interpoſitis: Οὐκ ἐξόν ἐστιν χωρὶς τοῦ Ἐπισκόπου, οὔτε βαπτίζειν, οὔτε ἀγάπην ποιεῖν, &c.

Et

Ea igitur erat primæ Sedis *προνομία*, ut ab ejus nutu penderent reliqui, etiam in sui *Officii* muneribus. Proinde & *Professio Baptismalis* sub *manu* tamen *Episcopi* erat contestanda, & *Baptismus* ipse, ne quidem à *Consessûs Sacerdotibus*, nisi *Autore Episcopo*, administrandus. Ita cautum erat, ne possit quispiam à *Presbyteris* aut *Diaconis*, nisi suffragante *Episcopo*, Baptizari. Aliter irritum erat in foro *Ecclesiæ*, nec pro *membro* habebatur Ecclesiæ, siquem *Presbyteri* Baptizâssent aut *Diaconi*, inconsulto tamen *Episcopo*. Similiter in officio *Eucharistico*, habebant equidem *Presbyteri* illius, pro *Officio Sacerdotali*, Potestatem, si tamen permitteret *Episcopus*. Ne verò illi *Potestate* pro arbitratu uterentur, neve passim darent *Excommunicatis* Communionem ; proinde factum ut *Ordinaria* Ecclesiæ *Eucharistica* Officia ne quidem aliis in *locis* celebrarentur quam in illis in quibus *præsens* adesset *Episcopus*. Et in illis ipsis locis *solus* tamen consecravit

consecravit προεστὼς, ut è *Justino* Martyre discimus. Nihil hìc legimus fecisse *Presbyteros*, nisi quatenus communem *Collegii* Personam representabat *Episcopus*. *Solus* ille constituit quos *Communionis* oporteret fieri participes. Inde factum ut non de aliâ quàm *Præsidentium manu* sumere censerentur. Non quòd ille *propriâ manu* Communicantes participaret (Id enim *Diaconos* testis est fecisse *Justinus*,) sed quòd alium neminem haberet in Consecrandi disponendique munere æmulum *Sacerdotem*. Quod enim *Ministri* operâ peragebatur id *illi* attributum cui serviebat ipse Minister. Sic, in hâc ipsâ *Baptismi* causâ, Dominus *ipse* Baptizâsse dicitur, cum non ipse tamen externum adhiberet Baptismi Elementum, sed ejus jussù *Discipuli*. Inde factum, quod ex uno eodemque *loco* Communicarent aliquandiu magnæ alioqui *Civitates*. Inde quòd *absentibus* mitteretur per *Diaconos* Eucharistia, ut idem Testis est *Justinus*. Inde *Eucharistiæ* in

Justin. *Apol.* II. *p.* 97.

Arcis conſervatio,& quòd illam domum reportarent ſecreto percipiendam,quoties non licuit intereſſe Synaxibus, cujus habebant in *Gentilium* Sacrificiis exemplum. Nec enim in ſuas modò *ædes* quiſque ſuas *Sacrificiorum* portiones deferebat, ſed proſtabant etiam in foro *venales*. Has artes excogitabant *Chriſtiani* percipiendi *Communionem*, cum alioqui *plures* eſſent quàm ut *ſingulis* poſſent *Synaxibus*, quoties celebrarentur, intereſſe. Supervacuas nimirum illas, ſi, pro Urbium *frequentiâ*, Synaxeon *locos* credidiſſent eſſe multiplicandos. Hinc & *paucitas* illa, in *magnis* alioqui Urbibus, *Diaconorum*, quòd nempe ſolis in Synaxibus *Epiſcopis* eſſet miniſtrandum. Nec enim *Presbyteris* miniſtrabant, præterquam *Ruſticis*, aut quoties, *extrà* Synaxes, privata eſſent Sacerdotii munera præſtanda, ut apud Confeſſores in *cuſtodiâ*, idque præcipiente *Epiſcopo*. Ita factum ut ſolidiſſimo *Unitatis* vinculo cohærerent

omnes

omnes cum *Principio Unitatis Episcopo.*

§. 32. Ea ſcilicet obtinebat in Eccleſiâ Diſciplina, quo ſcripſit Seculo *Tertullianus*, quam tamen ab initio obtinuiſſe non eſt veriſimile. Ægre crediderim obtinuiſſe ante Secundum à Chriſto Seculum, quo primùm prodierunt, ſub *Trajano*, è latebris *Hæretici*. Tunc neceſſe erat ut arctiſſimè conſtringerentur Eccleſiaſticæ Communionis Vincula, cum eſſent variæ in Chriſtianiſmo *Sectæ* pellendæ ab *Eccleſiæ Communione*. Alium fuiſſe Eccleſiæ *Apoſtolicæ* morem ſtatim oſtendimus. Non tamen id ob oculos habuit *Tertullianus*, quæ *Primævæ* fuiſſet *Eccleſiæ* conſuetudo, ſed quid potiùs à *Chriſto* Domino fuiſſet Inſtitutum. Id verba ejus illa demonſtrant, *& Omnibus mandatum à Domino.* Ergo in ipſâ *Inſtitutæ Euchariſtiæ* Hiſtoriâ quærendum illud *Domini Mandatum.* Verba illa *Domini* ſubinnuit, ut puto *Tertullianus* : τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν

 ἀνάμ-

Luc. 22. 19. 1 Cor. 11. 24. ἀνάμνησιν. Verbum ποιεῖτε multi τεχνικῶς intelligendum cenſuerunt, ut nimirùm Euchariſtiæ non ſolam *perceptionem*, ſed etiam *Conſecrationem* denotet. Sic enim verbum *faciendi* apud *Latinos*. Sic etiam voce עבד utuntur *Ebræi*,& עשה Sic & multa apud *Græcos*, verba *faciendi* verbo reſpondentia, ut ἔρδειν ῥέζειν, &c. Vix tamen, ut exiſtimo, ποιεῖν. Utcunque ſolidè, de quo non eſt impræſentiarum diſputandum, ita tamen vocem intellexerunt nonnulli è *Latinis* qui vim *Græcæ* vocis non ſatis perpenderunt. In his *Tertullianus*, cujus ea leguntur adverſùs *Marcionem* Carmina:

Carm. adv. Marcion. L. 4. c. 4.

Namque ſuo ſocios homines ſibi Sanguine fecit,
Atque Sacerdotes voluit ſui Corporis eſſe,
Ipſe patris ſummi perfectus jure Sacerdos.

Nec enim aliò hæc, quàm ad *Inſtitutionis* Hiſtoriam, referenda. Idem illic *voluit* quod noſtro in loco

loco *Mandatum*. Et quòd *Sacerdotes* iliis Domini verbis crediderit conſtitutos fuiſſe *Diſcipulos*, ſatis inde conſtat de aliâ illum *factione* intelligi non poſſe, præterquam *Sacerdotali*. Nec enim ſatis erat alia quævis ad conſtituendos *Sacerdotes*. Sic igitur *Tertullianum* ſi intelligamus, jam facilia erunt omnia, apertéque conſtabit, pro illius Principiis, Quid Manda. rit *Omnibus* in Euchariſtiæ Inſtitutione *Dominùs*; Quid *novârit* poſtea, in eâ Domini Inſtitutione, *Eccleſia*. Nempe *Dominum* cum verbis illis *Sacerdotes* feciſſe crediderit *Tertullianus*, fruſtra ea ad *Laicos* detorquent Adverſarii. Ita vocem *Omnibus* de *Sacerdotibus* duntaxat interpretabimur, de ſolis nempe *Presbyteris*. Sic enim accuratiſſimè opponentur *Ordinarii* Presbyteri Presbyterii *Præſidi*, ſcilicet *Epiſcopo*. De *Laico* certè *Sacerdotio* intelligi non poteſt. Ut enim demus ad Euchariſtiæ etiam *Conſecrationem* extendi poſſe Jura *Sacerdotii*

tii Laici; in ipsâ tamen Euchariſtiæ ſeu *perceptione*, ſeu etiam *Conſecratione*, omnino eſſe non potuit *Sacerdotii* Laici *Inſtitutio*. Laici Sacerdotium *Baptiſmum* appellavit, pro *Tertulliani* Principiis, *Hieronymus*. Certè *Baptizandos* omnes *Sacerdotes* credunt qui cum *Tertulliano* idem ſentiunt. Ita *Euchariſtiæ* perceptio *Sacerdotes* illos ſupponit *jam* conſtitutos, ut proinde *conſtituere* non poſſit. Qui autem jam ſupponit *Baptizatos*, altiorem Laico *Sacerdotio* oportet *Sacerdotii* ſaltem eſſe *gradum*. Sic ergo rectè Argumentabitur, pro ſuis Principiis, *Tertullianus*, in Euchariſtiæ *Inſtitutione*, quâ *conſtitutos* credidit fuiſſe *Sacerdotes*, omnes fuiſſe ex æquo conſtitutos, Euchariſtiæ *factionem* omnibus ex æquo fuiſſe mandatam, nec ullum fuiſſe prorſùs indicium, unde colligi potuerit, unum è *Collegis* reliquis anteponendum, aut ab unius *Præſidentis* nutu reliquos, etiam in *Officii* ſui Adminiſtratione, & *muneribus* Officii

ficii *propriis*, pendere oportere; Nihil esse cur non illorum pariter *ministrantium* è *manibus* Eucharistiam perciperent fideles. Quod ergo non de aliorum *manu* quàm *Præsidentium* acciperent, id non equidem (quod faciunt Novatores) *improbandum*, à primævo tamen more, & non scriptâ Traditione *novatum* censuit *Tertullianus*. Sed in Institutione, non unus quispiam *Apostolorum*, sed *Christus* ipse præfigurabat *Episcopum*, Collegii nimirum Apostolici universi *Præses*. Et vicissim *Christum* cum *Episcopo*, *Apostolos* cum *Presbyterio*, in recentiore Ecclesiæ Disciplinâ, contendit *Ignatius*. Et tamen *Successorem*, in Collegii Apostolici *Præsidatu S. Petrum* (qui tamen *locum*, dum *Christus* ipse superesset in terris, capessere non potuit) designatum à Domino putat ejusdem, quâ fuit *Tertullianus*, Ecclesiæ *Cyprianus*; ab illo emanâsse *præsidatum*, non ad unum Episcopum *Romanum*, sed ad omnes, ubicunque

Episco-

Episcopos. Malè itaque comparationem instituit *Tertullianus.*

§. 33. Nequid tamen dissimulemus, est & aliud animadversione dignius, unde colligi possit de *Facto* intelligendum esse *Tertullianum,* quod tamen mirum est non eò retulisse Eruditissimos Adversarios. Nec enim meminit *Rigaltius,* nec *Grotius,* nec *Walo,* sed nec *Georgius Ambianâs.* Quarto Seculo legimus permissum *Laicis* ab *Ecclesiâ,* ingruente *Necessitate,* Officium *Baptismi,* & quidem ita permissum, & sub iisdem *conditionibus* quibus permissurus erat ipse *Tertullianus.* Nec enim aliter ratum esse voluit *Baptismum Laicorum* Quarti etiam Seculi *Ecclesia,* ni & urgente *Necessitate,* & à *Monogamis,* pro mente *Tertulliani,* fuisset administratus. Ita Concilium Eliberitanum: *Peregrè Navigantes, aut si Ecclesia in propinquo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, Baptizare in Necessitate infirmi-*

Conc. Elib. *Can.* 38.

infirmitatis positum Catechumenum, ita ut si supervixerit ad Episcopum eum perducat, ut per manûs Impositionem proficere possit. Vix potuit ab ipso *Tertulliano* aptiùs, pro suis equidem *Principiis*, Canon ille concipi quàm à Patribus illis videmus esse conceptum. Sic & *Hieronymus* adhuc juvenis: Cum enim dixisset, *sine Chrismate & Episcopi jussione, neque Presbyterum, neque Diaconum, jus habere Baptizandi*, mox illa subjungit: *Quod frequenter, si tamen* Necessitas *cogit, scimus etiam licere* Laicis. Augustinus: *Quanquam etsi Laicus aliquâ pereunti dederit necessitate compulsus, quod cum ipse acceperit, dandum esse addidicit, nescio an piè quisquam dixerit esse repetendum. Nullâ enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est: si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale, delictum est. Sed etsi nullâ* Necessi*tate usurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamvis rectè dici*

Hieronym. *adv.* Lucifer. *p.* 616.

Aug. L. II. *cont.* Parm. *c.* 13.

possit illicitè datum. Illicitam ergo usurpationem corrigit reminiscentis & penitentis affectus. Quod si non correxerit, manebit ad pœnam usurpatoris quod datum est, vel ejus qui illicitè dedit, vel ejus qui illicitè accepit, non tamen pro non dato habebitur. Hæc verus *Augustinus.* Mitto enim quæ *Augustini* nomine ad *Fortunatum* nêscio unde proferat testis infidus imperitusque *Gratianus.* Mitto etiam recentiora Quarto Seculo Testimonia quæ nihil valent ad declarandam sententiam *Tertulliani.*

Grat. *de Cons. Dist.* 4. *Can. In Necessitate.*

§. 34. Ut ab ultimo S. *Augustini* Testimonio ordiamur, id solum inde discimus quid fuerit ipse de *Baptismo Laici* Ministri, si quidem ullus fuisset, existimaturus; fueritne ullus de *Facto* ita non discimus, ut potiùs contrarium rectiùs inde colligamus. Sic enim disputat, ut potius Casum *positum* fingat, quàm *existentem* concessumque supponat, indeque Argumentetur. Non ait, *Cum Laicus dederit,*

rit, &c. ſed *etſi dederit.* Non *Eccleſiæ* ſententiam profert de iſtiuſmodi *Facto*, quòd erat ſanè facturus, ſi & *frequentia* fuiſſent id genus exempla (& fuiſſent ſane *frequentia* ſi toties ederentur quoties occurriſſet illa *Neceſſitas*) ſi & *recipiendis* ita *Baptizatis* ad Jura fidelium, & quidem unanimi *Epiſcoporum* conſenſu recipiendis, pro ſuâ nimirum cujuſque ditione, patefactum eſſet quid de illo *Facto* judicâſſet *Eccleſia.* Timidè ille ſententiam ſuam profert: *Neſcio an piè quiſpiam dixerit eſſe repetendum, Aut nullum, aut veniale delictum eſt.* At ſi ſententiam tuliſſet *Eccleſia*, ſi *Decreto* aliquo univerſali *Facta* iſtiuſmodi permiſiſſet, aut *Praxi* aliquâ *Univerſali*, etiam nullo *Decreto* permiſſa, *comprobaſſet* tamen atque *confirmâſſet*; jam utique conſtaret *nullum* eſſe, ne quidem *veniale*, *delictum*; Nec eſſet cur ſe *neſcire* diceret S. Pater, *an piè quiſpiam dixerit eſſe repetendum.* Nondum itaque *comprobati* ſunt ex profeſſo

Laicorum Miniſtrantium *Baptiſmi*, ne quidem ætate *Auguſtini*. Ita *Hieronymum* interpretabimur non de *Factis* frequenter *editis*, ſed frequenter, pro juvenis *Hieronymi* ſententiâ, *licitis*, ſiquis ea *Laicus* edidiſſet. Quòd ſi alia fuerit conſuetudo Eccleſiæ *Hiſpanicæ*, recentiorem tamen fuiſſe veriſimile eſt temporibus *Tertulliani*. Nobis ſatis eſt ſi non fuerit recepta, in Eccleſiâ ſaltem *Africanâ*. Nec enim ad ullius alterius Eccleſiæ *Facta* reſpexiſſe veriſimile eſt *Tertullianum*, ipſum nempe *Afrum*, & illius Eccleſiæ hominem. Contrarium potiùs ex hoc ipſo S. *Auguſtini* Teſtimonio colligimus, ne quidem fieri potuiſſe ut ad *Facta*, quæ ſuâ adhuc, nulla eſſent, ætate reſpexerit.

§. 35. Quid quod receptus ab *Eccleſiâ* Laicorum *Baptiſmus* probatuſque, nihil tamen faciet ad ſententiam *Tertulliani*, ni etiam *Euchariſtiam* probare poſſent *Laicis* Miniſtris conſecratam ab eâdem

Eccle-

Ecclesiâ ſimiliter receptam eſſe atque comprobatam. Atqui illam, quacunque tandem illâ *neceſſitate* cogente, à *Laicis* conſecratam adeo non probavit Eccleſia *Africana*, ut ne quidem *Laicos* reperiamus qui illam conſecrare auderent, ne quidem urgentiſſimâ *Neceſſitate*. Erat certè cauſa *Cypriani* admodum illuſtris, quæque ſola ſatis eſſet ad fidem omnem Illuſtriſſimi Diſſertatoris argutationibus abrogandam. Infinitus erat *Lapſorum* numerus qui & Communionem Eccleſiæ tantâ aviditate ambiebant ut ægrè fuerit à vi temperatum, quin Eccleſiæ fores, cum nullis blanditiis, nullis pollicitationibus, poſſent patefacere, apertâ violentiâ perfregerint. Accedebat eximius in ſpeciem prætextus, *Pax* illis nimirum à *Luciano Martyre* ſuo aliorumque *Martyrum* nomine conceſſa. Ea tanti habebatur, pro illorum Temporum receptâ opinione, ut *ratam* ſibi *in cœlo Pacem*, quantumvis reluctantibus Epiſcopo & Clericis, *Lapſi*

Ep. 6.

Ep. 29. *Ep. Cleri Rom.* 16. 30.

Lapſi jactitarent. Quid ergo? Externa *Elementa* negligenda, cum Diſſertatore, cenſuerunt, cum *rem ipſam* eſſent conſecuti, *ratam* ſcilicet in *Cælo Pacem*? An Sacra illa obibant *Laici*, ipſi ſibi *Lapſiſque ſociis* tribuebant; cum & Sacerdotum *Eccleſiaſticorum* injuriâ ſeſe quererentur excluſos, & *Martyrum Pacem* conſecuti, *ratam* conſecuti, *Eccleſiæ* ſibi *nomen* & *Jura* vendicarent? Alterutrum fecerint oportet, ſiqua fides Ratiociniis Diſſertatoris, ſiqua ſui etiam *Tertulliani* illis, in Eccleſiâ etiam *Africanâ*. Aderat enim jam illa *Neceſſitas* quâ *Jure* ſuo, ſiquod fuiſſet, reverâ eſſet utendum. Nuſpiam tamen id auſos legimus etiam *rebelles* illos atque *Seditioſos*. Adhuc *Epiſcopum*. Adhuc jam conſtitutos in Eccleſiâ *Presbyteros*, quà obtrectationibus, quà conviciis, quà etiam minis, ſeu terrere conabantur, ſeu etiam fatigare. Quorſum illa ſi parata habuiſſent, penes ſe, quæ volunt Adverſarii, illa remedia?

Cypr, Ep. 27.

media? In apertum *Schisma* erupit tandem iste furor, constituto æmulo etiam *Episcopo*. Adeo sine *Episcopi Presbyterorumque* saltem *nomine*, Communionem *ratam* fore desperabant illius Ævi etiam *SCHISMATICI*.

§. 36. Ita nullum erit *Tertulliani*, de *Facto* Laicorum *Sacerdotali*; ne quidem verbulum. Quod profert è *Basilio Petavius*, de *Patriciæ Cæsariæ* Quæstione, num liceret propriâ manu *Laicis* Eucharistiam accipere? an verò necesse est ut à *Sacerdote*, in ipsâ *perceptione*, porrigeretur? Nihil illa omnino ad *Tertullianum*. De communi *Sacerdotum* omni *Jure* agebat eo in loco *Basilius*, de proprio *Præsidentium* jure *Tertullianus*. Et quidem eò spectabat *Cæsariæ* illa Quæstio, ut si necessariam docuisset *Sacerdotis* manum, jam sequeretur nullam posse *privatim* percipi Eucharistiam, nec domum illam deferri oportere. Sic enim disputat è contrà *Basilius*, ex eorum nimirum

Petav. *de Pot. Conf. c.* 11. Basil. *Ep.* 289.

nimirum Monachorum exemplo qui illam in *Eremo* perciperent, ubi nulla *Sacerdotum* fuiſſet copia, atque *Alexandrinorum* reliquorumque *Ægyptiorum*, qui domi ſuæ ſpecies Euchariſticas habere & percipere ſolerent. Ergone credet *Petavius* qui non de *aliorum manu* quàm *Præſidentium* ſolerent Euchariſtiam percipere, ætate *Tertulliani*, nec *clam* illos, nec *domi* percepiſſe? Credetne *privatas* illas Communicationes *Antiquiores*, *recentiores publicas* à manu *Præſidentium*, & quidem in *Eccleſiâ* de, quâ loquitur *Tertullianus*, *Africanâ*? Credet denique *Privatas* illas Communicationes à *Domino* fuiſſe *mandatas*, aut ſaltem ita ſenſiſſe *Tertullianum*; *Publicas* ab *Eccleſiâ* recentiore, & non ſcriptâ Traditione, fuiſſe *novatas*? Hæc ſi crediderit, erravit ipſe turpiſſimè qui ſolet alienos errores inclementiſſimè reprehendere. Quod vult *Petavius*, tantùm abeſt ut potuerit velle *Tertullianus*, ut de ſuâ Eccleſiâ *Africanâ*

fricanâ ne quidem verè dixerit. Si enim qui *clam*, & *domi* suæ, communicat, ubi nullus adest *Sacerdos* è cujus *manu* accipiat, is ex *aliorum manu* quàm *Præsidentium* accipere censendus est, jam certè multi erant in Ecclesiâ *Africanâ* qui de aliorum, quàm *Præsidentium*, manu sumerent. Jam enim moris illius species Eucharisticas *reservandi* in Ecclesiâ *Africanâ* testem habemus ipsum *Tertullianum*; *Accepto*(inquit) *Corpore Domini & reservato, utrumque salvum est, & participatio Sacrificii, & executio Officii.* Et Rursus de Uxore fideli Marito tamen infideli nuptâ: *Non sciet maritus quid secretò ante omnem cibum gustes.* Testem Cyprianum: *Et cum quædam arcam suam in quâ Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire; igne inde surgente deterrita est ne auderet attingere.* Testem etiam Autorem de *Spectaculis*, sub nomine tamen *Cypriani*, verbis illis, *dimissus, & adhuc gerens secum, ut assolet*, Eucharistiam. Quin

de Orat. c. 14.

ad Uxor. L. 11. *cap.* 5.

de Lapf.

de Spectac.

& *manibus* ſuis Auguſtiſſimum Sacramentum attrectare ſolebant illius ætatis Chriſtiani, utcunque morem illum abrogârint recentiorum Seculorum Eccleſiæ. Id præterquam quòd ex eo ipſo *reſervandi* more ſatis conſtet; habemus tamen qui hujus quoque conſuetudinis meminerint, diſſertiſſima Autorum Teſtimonia. Coævi imprimis *Tertulliano Clementis Alexandrini*: Καὶ τὴν εὐχαριστίαν τινὲς διανείμαντες, ὡς ἔθος, αὐτὴν δὴ ἕκαστον τοῦ λαοῦ λαβεῖν τὴν μοῖραν ἐπιτρέπουσιν. Cypriani: *Armemus & dexteram gladio ſpiritali, ut Sacrificia funeſta fortiter reſpuat, & Euchariſtiæ memor, quæ Domini Corpus accepit, ipſum complectatur, &c.* Rurſus: *Jacens Stantibus, & integris vulneratus minatur, & quòd non ſtatim Domini Corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini Sanguinem bibat, Sacerdotibus Sacrilegus iraſcitur.* Et ſimilia in eo Libro frequentiſſimè. Iterum: *Nec poſt geſtatam Eu-*

Clem. Al *Strom.* 1. *init.*

Ep. ad Thibar. 56.

Lib. de Lapſis.

Eucharistiam Manus gladio & cruore maculatur. Coævi *Cypriano Cornelii* de *Novatiano*: ποιήσας τὰς προσφορὰς, καὶ διανέμων ἑκάστῳ τῷ μέρος, καὶ ἐπιδιδοὺς, τοῦτο ὀμνύειν ἀντὶ τοῦ εὐλογεῖν τοὺς ταλαιπώρους ἀνθρώπους ἀναγκάζει, κατέχων ἀμφοτέραις ταῖς χερσὶ τὰς τοῦ λαβόντος. Coævi item *Dionysii Alexandrini* de fideli *Laico*: Εὐχαριστίας γὰρ ἐπακούσαντα, καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ Ἀμὴν, καὶ τραπέζῃ παραστάντα, καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα, καὶ ταύτην καταδεξάμενον, &c. Non itaque pugnant apud *Tertullianum* propriis Euchariſtiam accipere *manibus*, nec de *aliorum* tamen *manibus* accipere præterquam *Præſidentium*. Proinde rectè *manus*, non *Laicorum*, ſed *Presbyterorum*, *Præſidentium manibus* oppoſuimus. Recentior erat conſuetudo illa cujus meminit *Baſilius*, in magnis præſertim Civitatibus, quàm ut eò poſſint *Tertulliani* verba referri. Vix habebat locum *Cæſariæ* illa dubitatio,

de Patient.

Cornel *Ep. ad* Fab. Anti-ochen. *ap* Euſeb. *Hiſt.* Eccl. *L.*6 *c.*43.

Dionyſ. *Ep. ad* Xyſt. *ap.* Euſ. *H.E.* 7.9.

tatio, dum multæ fuissent, in magnis Civitatibus, *ædes* sacræ; multi ædibus illis præfecti *Presbyteri*; & per Civitatum Regiones commodè *dispositi*, ut præstò essent frequentissimis illorum Temporum Communicationibus.

CAP III.

Caput III.

Factum *Laicorum* Sacerdotale *si aliquod fuisset, ætate* Tertulliani; *nihil tamen illud ad Causam hodiernorum* Schismaticorum.

A*Rgumentatio ab Ecclesiæ Apostolicæ* Exemplo, *seu* Affirmativa, *seu* Negativa, *non est*, *in* genere, *solida*. §. 1. *Non in* Extraordinariis, *Officia Laicorum* Sacerdotalia, *Temporibus* Apostolicis, *nitebantur* donis *Laicorum* Extraordinariis. §. 2. Concionabantur *in Synagogis* Christus & Apostoli, *non pro* Jure *Synagogarum* Ordinario. §. 3. *Extraordinariam* docendi *in* Synagogis *Potestatem habebant* Prophetæ. §. 4. *etiam mune-*

munerum Sacerdotalium *Potestatem similiter Extraordinariam.* Christum *pro* Prophetâ *habuerunt* Judæi. §. 5. *etiam* Apostolos. Docendi *munus proprium* Prophetarum. §. 6. Aaron Mosis Propheta *ejus* OS *dictus,* & *quare.* §. 7. *Hoc* Prophetarum *nomine Sectæ suæ Officia etiam* Sacerdotalia *obibant* Christiani, *nec tamen violabant* publicam *cum Judæis* concordiam. §. 8. *Ita factum ut* Ecclesiæ *munera* publica *omnia à* Prophetis *administrarentur.* §. 9. *Nulli in Ecclesiâ* Corinthiacâ *Rectores* Ordinarii *quo tempore ad eam scripsit Apostolus.* §. 10. *Prima Revelatio de* Gentibus *ad fidem solicitandis* An. Dom. XLV. §. 11. *Prima* Christianorum *à* Synagogâ *in proprias Synaxes discessio* An. XLVI. *in* Pisidiâ. *Inde prima mentio* Rectorum *Ecclesiæ* Ordinariorum, *nondum tamen in omnibus Ecclesiis.* §. 12. *Singulare erat exemplum Ecclesiæ* Hiero-

Hierosolymitanæ. *Eam* Metropolitanam *aliæ omnes Ecclesiæ agnoscebant. Inde* tributum §. 13. *In eâ solâ* Apostoli, *in aliis, antequam constituerentur* Rectores Ordinarii. *supremi omnium* Prophetæ. §. 14. Episcopi Hierosolymitani *Domini nostri erant* Hæredes, *nec aliunde quàm è Domini* Familiâ *delecti*. §. 15. Apostolorum *discedentium locum in* Oecumenico *Ecclesiæ* Regimine *supplevisse probabile est Domini* Cognatos. §. 16. *Officium* Presbyterorum *in Ecclesiâ* Hierosolymitanâ *ante* discessionem. §. 17. *Quibus tandem* gradibus *facta sit* Ecclesiarum *à* Synagogis *discessio*, Rectorumque *adeò* Ecclesiasticorum *constitutio*. §. 18. *Alia erant, apud* Judæos, *Jura* Synagogarum, *alia* Templi. §. 19. *In* utraque *Jura succedebant* Ecclesiæ. §. 20. *Inde colligitur, etiam* Prophetarum *Jura* Sacerdotalia *Ordinariis Ecclesiæ* Rectoribus *fuisse obnoxia*. §. 21.

Ita

Ita fuisse probatur è Clemente Romano. §. 22. *Explicantur verba* Tertulliani *quibus docet,* Ecclesiam *esse quæ* differentiam *inter* Ordinem Plebemque *constituerit.* §.23. *De* Prophetis *intelligendus, si tamen de aliquo Laicorum* Sacerdotali Facto *intelligendus esset* Tertullianus. *Illorum* exemplum *nihil faciet ad causam hodiernorum* SCHISMATICORUM. §. 24. E Jure *Laicorum* Prophetico *probabile est deducta eße eorundem* suffragia *in* Consiliis Ecclesiasticis, *quæ tamen & ipsa nihil faciant ad Causam hodiernorum* SCHISMATICORUM. §.25.

§. I. HUcusque igitur ostendi malè hactenus *Tertullianum* intellexisse Viros Eruditos, Ecclesiæ tam Adversarios quàm etiam Amicos & Patronos, de *Facto* aliquo Laicorum *Sacerdotali*; malè de Sententiâ *Ecclesiæ coævæ* in talis *Facti* favorem. Ita fiet ut è solis ejus

ejus *ratiociniis* de ejuſdem Teſtimonio judicandum ſit, & à judicio *Tertulliani*. Atqui ea quoqe ipſa quanti ſint, in hâc præſertim cauſâ, facienda, id quoque hactenùs oſtendi. Venio jam ut prætereà oſtendam, ne id quidem ipſum ſi fuiſſet conceſſum, & fuiſſe iſtiuſmodi Laicorum *Sacerdotalia Facta*; & à coævâ *Tertulliano Eccleſia* fuiſſe probata; ne ita quidem ſatis fore ad ſimilia *Laicorum Facta* hodieque præſtanda, nedum ad SCHISMATICORUM noſtrorum hodiernum Patrocinium. Ita nihil erit cur ſe tueantur in poſterum hoc noſtri *Tertulliani* Teſtimonio. Sciendum itaque multa fuiſſe in *Primævæ* atque *Apoſtolicæ Eccleſiæ* moribus quæ tamen nec ab ipſis probarentur *Apoſtolis*; multa etiam fuiſſe ab Apoſtolis *probata* quæ tamen non fuiſſent, niſi poſitis Eccleſiæ *Apoſtolicæ* iiſdem *circumſtantiis*, omnino *probanda*. In utroque genere peccant Novatores dum ab Eccleſiæ *Apoſtolicæ exemplo* ad

res novas in Ecclesiæ hodierno statu moliendas argutantur. Nempe in Ecclesiâ Apostolicâ *Prophetabant unà* omnes quibus Donum fuerat *Prophetiæ* concessum, ne quidem expectatis loquendi vicibus. Prophetabant Prophetissæ *mulieres* in publicis *Virorum* Conventibus, & quidem *discoopertis capitibus*, præter omnem *Sexûs* verecundiam. Prophetabant *Viri* linguis *peregrinis*, in ipsis etiam *Ecclesiæ* Synaxibus, nullo tamen adhibito *Interprete*. Indecora hæc, & τάξει Ecclesiasticæ *adversa*, & gentilibus ipsis *Scandalosa*, ipse etiam agnovit *Apostolus*. Diu tamen ea, & ad annum à Christi Ascensione circiter vigesimum, quæ magna erat pars Historiæ *Apostolicæ* illius quam quidem *Sacris Literis* proditam habemus (nec verò aliunde probationes admittunt adversarii) censuit esse *toleranda*. Eo enim Anno scriptam existimo primam ad *Corinthios* Epistolam. Nempe majoribus intentus Ecclesiæ negotiis, minoris momen-

momenti illis omnino vacare non potuit. Proinde ferenda credidit quoadusque essent utique ferenda. Nec *valebat* tamen tantis Spiritualium Erroribus statim *reformandis* etiam illa Apostolorum *Autoritas*. Non autem rectè trahuntur in exemplum quæ non utique *probabant*, sed *ferebant* duntaxat, Apostoli. Erant etiam & in alio genere nonnulla, ab Apostolis *probata*, rectéque pro illorum Temporum *circumstantiis*, probanda, quæ tamen non sint, abolitis longo Temporis tractatu, illis Circumstantiis in *exemplum* hodieque trahentrahenda. Eò nempe referenda sunt omnia quæ *Donis Extraordinariis* nitebantur illorum *Temporum* propriis. Ecquis est qui non videat quàm alios omnino mores postularet Ecclesiæ status Donis *Extraordinariis* instructissimæ; alias Disciplinæ Regulas, & formam in plerisque admodum diversam Ecclesiæ status Donis illis *Extraordinariis* destitutæ, Donis *Ordinariis* dein-

de regendæ? Malè igitur Argumentantur Illi cum quod nullum habuit in eo ſeculo *Exemplum*, id putant nec à *poſteriorum* Seculorum Eccleſiis eſſe admittendum. Malè viciſſim Illi qui quod *habuit*, id à recentioribus pro *Regulâ* habendum eſſe, peccaturis nempe ni habeant. Ex his tamen adeò vitioſis Ratiociniis quantæ oriuntur Eccleſiæ Tragœdiæ!

§. 2. Id certum eſt in eo Eccleſiam *Apoſtolicam* non eſſe nobis pro *normâ* ſtatuendam quod ipſum pendebat à Donis illis *Extraordinariis* quæ jamdiu in deſuetudinem abiiſſe ipſi etiam concedunt Adverſarii. Non itaque ſequetur, ſiquid *illis* licuerit qui Donis illis *Extraordinariis* eſſent prædìti, qui *Signa* illa Donorum edebant quæ non *ipſis* modò, ſed *Eccleſiæ* etiam univerſæ ſatisfecerint, fidemque fecerint *verè* illos Dona ea cœleſtia habuiſſe, nec fuiſſe malè ſibi conſcios Impoſtores; Non (inquam) ſequetur quod illis licuerit id noſtris etiam fore licitum *Schiſmaticis*, qui nec *Dona* ea præ ſe ferunt, nec ulla exhibent

bent, quibus eorum fidem apud alios confirment, *Argumenta.* Fateor itaque in Ecclesiâ *Apostolicâ* fuisse *Laicos* qui tamen munera *Sacerdotalia* exequerentur. *Baptizabat* Apostolum ipsum *Ananias* quem μαθητὴν appellat S. *Lucas*, nempe nostro *Tertulliano* Interprete, *discentem*, quâ voce solet *Laicos* ille designare. Cujus etiam præcesserat in Lege, *Zipporæ, mulieris* exemplum quæ & ipsa filium *circumciderit*, eodem illo nimirum *Sacramento* cui *Baptismus* sub Novo Testamento responderit. Similiter habemus εὐλογίας ἐν τῷ πνεύματι mentionem apud Apostolum. Illam scilicet εὐλογίαν quæ statim εὐχαριστία dicitur. Pro eodem nimirum exemplo quo voces hæ, in hâc ipsâ Sacramenti causâ, confunduntur in ipsis *Evangelistis.* Sic *Matth.* 26. 26. εὐλογήσας v. 27. εὐχαριστήσας. Sic etiam *Marc.* 14. 22. 23. *Luc.* 22. 19. in *Panis* consecratione dicitur εὐχαριστήσας, quæ tamen aliis εὐλογήσας. Quem etiam

Act. 9. 10.

Exod. 4. 25.

1 *Cor.* 14. 16.

tiam loquendi modum obſervavit Apoſtolus, 1 *Cor.* 11. 24. Obſervârunt deinde Eccleſiæ *Patres* ad unum omnes. Adeo enim apud illos propria *Sacramento* vox illa εὐχαριστία eſt, ut nuſquam Sacramentum εὐλογίαν appellent, nuſquam aliarum *Oblationum* ſpecies Conſecratas εὐχαριστίας, ſemper εὐλογίας nuncupent. Adeo erat harum vocum poſtea diverſa ſignificatio, quæ tamen Seculo *Apoſtolico* permiſcerentur invicem atque mutarentur. Nec aliam illam quam *Sacramentalem* fuiſſe εὐχαριστίαν confirmat & quod *Amen* ſubjunxiſſe dicitur qui locum ſuppleret ἰδιώτου. Sic enim reſpondere ſolitos qui *Euchariſtiam* percepturi erant, conſtat ex antiquiſſimis Eccleſiæ Scriptoribus *Juſtino* Martyre & *Cornelio*. Ergo etiam *Euchariſtiam Laicis* communem fuiſſe probabile eſt. Ita certè de *Baptiſmo* Pſeudo-*Ambroſius* qui ſcripſit *Damaſo* Pontifice: *Ut* (inquit) *creſceret Plebs. & multiplicaretur,* *omnibus*

Juſt. *Apol.* 11. Cornel *Ep. ad* Fab. Ant. *ap.* Euſeb. *H E.* 6. 43. *Pſeud*-Ambroſ. *in* Eph. 4.

omnibus inter initia concessum est & Evangelizare, & Baptizare, & Scripturas in Ecclesiâ explanare. At ubi omnia loca circumplexa est Ecclesia, Conventicula constituta sunt, & Rectores, & cætera Officia in Ecclesiâ sunt ordinata, &c. *cœpit alio Ordine & Providentiâ gubernari Ecclesia, quia si omnes eadem possent, irrationabile esset, & vulgaris res & vilissima videretur. Hinc ergo est unde nunc neque Diaconi in Populo prædicant, neque Clerici vel Laici Baptizant,* &c. *Laici* nimirum Baptismi exemplum protulerat, illum nempe *Cornelii. Neque enim* (ait) *Petrus Diaconos habuit,* &c. *sed Baptizare jussit Fratribus qui cum illo erant ad Cornelium ab Joppe. Adhuc enim præter septem Diaconos nullus fuerat Ordinatus.*

§. 3. Inde nempe ortum habuit *Jus* illud *Sacerdotale Laicis* commune quòd *extraordinario* Spiritûs Sancti afflatu gubernaretur illius Seculi Ecclesia. Ita factum ut Jus *Sacerdotii* à Spiritu *Prophetico*

tico eſſet oriundum. Rectè nimirum illum, prudentiſſiméque, pro illorum Temporum Circumſtantiis. Cum enim in primis Evangelii initiis, juſſiſſet Dominus ut *Judæos* præcipuè curarent ad *Christianiſmum* traducendos, quem etiam ipſi diu ita intellexerunt ut ne *alios* quàm *Judæos* crederent in *Eccleſiam* admittendos; proinde cavebant diligentiſſimè nequod ſcandalum illis objicerent quo fierent ab *Evangelii* receptione alieniores. Nec quidem fieri aliter potuit, dum in unum cum *Judæis* Corpus Politicum *Christiani* coaleſcerent, dum ſe uni *Judæorum Regimini*, iiſdemque *Legibus*, obnoxios profiterentur. Juſſerat Dominus ut *Cathedræ Moſis* obſequerentur; Ut omnia quæcunque illis dixiſſent *Cathedræ* illius *poſſeſſores*, ea ſervarent & facerent. Agnovitque proinde Summi Pontificis Poteſtatem *S. Paulus*, etiam perſequentis, & cùm videretur omnium *Apoſtolorum* à *Judæis* alieniſſimus. Aliter fuiſſet,

S. Matth. 23. 2, 3.

Act. 13. 5.

iſſet, non patuiſſet illis *Synagoga* Evangelium prædicantibus, nec admiſſi fuiſſent ab *Archiſynagogis*, ni ſe tales fuiſſent profeſſi quibus, per *Synagogæ* Leges, permiſſa erat ad Populum ſermocinatio. Atqui manifeſtum nullibi frequentiùs *Chriſtianos*, quàm in *Synagogis*, Populum docuiſſe. Ita, dum ſuperſtes eſſet, ipſe Dominus. Ita, in univerſâ *Apoſtolorum* Hiſtoriâ, ipſi etiam *Apoſtoli*. Nec *permiſſi* modò ſunt *Apoſtoli*, ſed verò ultrò etiam *rogati*, ut Plebem hortarentur, idque ab ipſis etiam Archiſynagogis: *Miſerunt Principes Synagogæ ad eos dicentes, Viri Fratres, ſiquis eſt in vobis ſermo Exhortationis ad Plebem dicite.* Non id facturi proculdubiò ſi fuiſſent officio *docendi*, per *Synagogæ* Leges, interdicendi. Nullam itaque hucuſque *docendi* Autoritatem uſurpabant *Apoſtoli* quæ non examuſſim quadraret cum Regulis ipſius *Synagogæ*. At munus docendi *publicum*, ut & reliqua Officia *Sacerdotalia*, ſi modo *Act.* 13. 15.

Ordinaria ſpectarentur, propria e-
Mal. 11. 7. rant Tribûs *Leviticæ* & Familiæ *Sacerdotalis*. *Labia enim Sacerdotis*
Agg. 11. 12, *cuſtodient ſcientiam, & legem exquirent ex ore ejus*. Et, *Interroga Sacerdotes Legem*. Nec aliis Po-
2 Par. 19. 8. 9, 10. puli in Lege *erudiendi* munus commiſit *Joſaphat* quàm *Levitis* &
Nehem. 8. 2. 7, 8, 9. *Sacerdotibus*. Nec alios *concionantes* legimus in Libro *Nehemiæ*. Hoc verò nomine ne ipſi quidem *Domino* permiſſum fuiſſet publicum illud docendi munus, qui Tribûs erat *Judæ*, nedum S. *Paulo* qui Tribûs *Benjaminiticæ*, nec aliis pleriſque *Apoſtolis*, uno forſitan excepto *Barnabâ*. Alia itaque quærenda eſt ratio quâ, pro Temporum Legumque illorum Diſciplinâ, *Chriſtianis* Publica etiam *Synagogæ* munera indulta fuerint.

§. 4. In promptu erat ea, quam dixi, à *Sancti* nimirum *Spiritûs* afflatu. In eo enim Regimine quod, à primâ ſuâ origine, fuiſſet *Theocraticum*, qui extraordinario *Spiritûs* afflatu impulſus credebatur; ei jam

jam licebant fere omnia. Rectè nimirum illi, & pro *Regiminis* illius Principiis, modò se intra illos limites continuisset *Propheta*, ut & *signa* Prophetiæ veracia edidisset, nec tamen quicquam docuisset aut *Idololatriæ* affine, aut à *Lege* dissentaneum. Hos si limites egressi non fuissent, pro *Dei Ministris* habebantur, & quidem omnium *Sanctissimis*, quippe qui immediatiùs à Deo fuissent missi, ut in illos ita comprobatos nihil fere licuerit *Ministris* Dei *Ordinariis*. Ita scilicet credebant multis edocti Judicii Divini exemplis. Omnes enim omnium Ordinum homines punitos legimus in Veteri Testamento qui *Prophetas* unquam ausi essent violare. Hæc ob oculos exempla habebant illorum Temporum *Judæi*, veteris nimirum Testamenti cultores ad Superstitionem usque rigidi. Quanquam autem *Scripta* Prophetica in *Malachiâ* obsignata sint; quanquam etiam *Spiritum Prophetiæ* sub *secundo Templo* defecisse

tradant recentiores *Rabbini*; non ita tamen eorum credidere *majores* Domino noſtro Apoſtoliſque coævi. Multa *Prophetarum Prophetiarumque* exempla legimus apud *Joſephum*, qui (ſi ei fides) fuit etiam ipſe *Propheta*. Nec verò alio ſe nomine venditabant *Judas Galilæus*, *Theudas* & Impoſtor *Ægyptius*, quos cum adeò facilè, & tam copioſo numero *Judæi* ſequerentur; inde intelligimus quàm proni fuerint, eâ etiam ætate, in cultum *Prophetarum*. Satis id manifeſtè oſtendit vel una illa Secta *Zelotarum* eo Seculo numeroſiſſima. Nec enim aliam illi præ ſe ferebant *Autoritatem* quàm *impulſûs Divini* ad tantas illas Tragœdias excitandas. Et vero quantum illis permiſerint illius ætatis *Judæi*, vel ex uno illo *Domini* noſtri exemplo conſtat. Egit enim eam ille *Perſonam* cum ementes vendenteſque è Templo ejiceret, & Nummulariorum menſas everteret. Nec tamen quenquam legimus è tantâ multitudine qui

qui ei ſuerit auſus obſiſtere. Sic locus *Danieli* factus inter *Seniores* Terræ *Judices* in Apocrypho *Danielis* Libro; *Tibi Deus* (inquiunt) *dedit honorem Senectutis.* Propterea ſcilicet quòd *ſuſcitaverat ejus Spiritum Dominus. Helleniſtarum* enim dogmata inde rectè colligimus quo tempore confinxit hæc Impoſtor ſub nomine *Danielis.* Sic locus *Domino* etiam noſtro *duodecenni* factus inter *Doctores*, cum *ſtuperent ſuper prudentiâ & reſponſis ejus.* Ad eundem planè modum quo & ſe *Joſephus quatuordecim Annorum* memorat à *Sacerdotibus* ſimiliter fuiſſe conſultum. Tantum ſcilicet detulerunt *Spiritûs* impulſui illius, quâ vixit *Dominus*, ætate *Judæi.*

Hiſtor. Suſann. *v.* 50. *v.* 45.

Luc. 11. 46. *in ult.*

§. 5. Nec verò munus *docendi* duntaxat concedebant *Spiritualibus*, ſed & *Officia* etiam *Sacerdotalia.* Ea *Prophetis* licita fuiſſe fatentur hodierni etiam *Rabbini.* Nefas erat immane ſiquis alibi *ſacrificare* auſus eſſet, *præterquàm Hieroſo-*

rosolymis; aut in alio etiam *altari* præterquàm *Hierosolymitano.* Hoc cum ausæ viderentur *Tribus* Trans-*Jordaninæ*, ferè arsit Bellum illarum forte internecione finiendum; Cum ausus esset *Jeroboam*, adagio locum fecit quoties de insigni Peccatore Rege fit sermo. Quod autem non licuit Tribubus Trans-*Jordaninis*, quod ne *omnibus* quidem *Tribubus* Regni *Israelitici*, id passim factum à *Prophetis* sine ullâ reprehensione legimus. Sæpe *sacrificavit* in *excelsis Samuel*, neutiquam *Sacerdos* summus (ut crediderant veteres) sed *Præses Prophetarum. Sacrificavit* similiter in Monte *Carmeli Elias*, & cum Pseudo-*Prophetis Baaliticis*, per *Sacrificia*, quasi muneris *Prophetici* propria, contendit. *Prophetas* certè *Baaliticos* fuisse *Sacerdotes* vel illud arguit quòd illos etiam convo-
2 *Reg.* 10. 19. cârit *Jehu* ad *Sacrificia* profano eorum Numini offerenda. Pro eo igitur exemplo, & *Prophetis Domini* munera etiam *Sacerdotalia* commissa sunt.

ſunt. Nec enim alienum eſt ut *mores* Gentilium, Judæorum in *Sacrificiis moribus*, præiiſſe dicamus, cum & ab illis univerſam illam *Sacrificiorum cruentorum* conſuetudinem ad *Judæos* veteres emanâſſe crediderint. Id certè maximè conſentaneum eſt ut quæ jam *jure* credimus abolita, ea *bonitatem* aliam nullam habuerint præterquam *temporaneam*, oriundam ſcilicet è receptis *Gentium* moribus, & illis quoque ſimiliter *Temporaneis*. Rectè itaque Primævi *Chriſtiani*, ſub *Prophetiæ* nomine, tam publicum ſibi illud *docendi* munus vindicabant quàm & reliqua *Chriſtianiſmi* munera *Sacerdotalia*. Quòd verò ipſum *Dominum* pro *Prophetâ* habuerint *Judæi* quotquot erant in illum æquiores, exinde potuit evenire quòd Magnum aliquem *Prophetam* eo ipſo tempore expectârint quo apparuit inter eos *Chriſtus* noſter. Illum nunc τὸν προφήτην appellant cum Articulo, nunc τὸν ἐρχόμενον, nunc προφήτην τὸν ἐρχόμενον.

ἐρχόμενον. Ex illo, ut videtur, *Mosis* loco in *Deut.* 18. 15, 18. *Prophetam de gente tuâ,* & *de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus tuus.* Ad *Dominum* enim locum illum retulerunt tam S. *Petrus* Apostolus *Act.* 3. 22. quàm S *Stephanus* Protomartyr *Act.* 7. 37. Illud constat, multis ex locis, illam viguisse apud vulgus, de *Domino*

Matth. 16. 14. tanquam de *Prophetâ* famam. Alii *Joannem Baptistam* dixerunt, alii autem *Eliam*, alia verò *Jeremiam*, aut *unum ex Prophetis.* Aliter

Marc. 6. 15. *Marcus* verba illa postrema: *Alii verò dicebant quia Propheta est, quasi unus ex Prophetis.* Rursus Mat-

Matth. 21. 11. 46. thæus? *Populi autem dicebant, hic est Jesus Propheta, à Nazareth Galilææ.* Iterum: *timuerunt turbas,*

Luc. 7. 16. *quoniam sicut Prophetam eum habebant.* Alibi. *Accepit autem omnes timor,* & *magnificabant Deum dicentes, Quia Propheta magnus*

Joan. 4. 19. *surrexit in nobis.* Inde Confessio illa Samaritanæ: *Domine, video*

Joan. 7. 40. *quia Propheta es tu.* Turbæ rursus illa:

illa, *Hic est verè Propheta.* Adhuc alia illa paulò disertior: *Hic est verè Propheta qui Venturus est in mundum. Joan.* 6. 14. Illa restituti cæci: *quia Propheta est.* Inde illa Pharisæi sugillatio: *Hic si esset Propheta, &c. Luc.* 7. 39. Inde & illa *Confessio* Apostolorum *paulò* adhuc *altiùs*, quàm *Judæi*, sapientium: de *Jesu Nazareno*, qui fuit *vir Propheta, potens in opere & sermone.* Nec aliò referendum quòd neglectus à suis illa dixerit ipse Dominus: *Non est Propheta sine honore, nisi in Patriâ suâ, & in domo suâ.* Nec aliò quòd *signum* postulârint ab eo *Judæi* cum tamen adeò multa edidisset in eorum conspectu *Miracula.* Nempe *Signi* nomine non quodvis opus prodigiosum intellexerunt, sed *prædictionem* aliquam è cujus esset eventu de *Prophetæ* veracitate judicandum, *Deut.* 13. 1, 2. 18. 21, 22. Proinde dicitur à *Deo approbatus Virtutibus & Prodigiis & signis quæ fecit Deus per illum.* Act. 2. 22.

Joan. 9. 17.

Luc. 24. 19.

S. Matth. 13. 57. Marc. 6. 4. Luc. 4. 24. Joan. 4. 44.

Atqui *Domino* non permiſſum modò eſt à *Judæis* publicum illud *docendi* munus, ſed publicè etiam *rogatus eſt*, idque in *Patriâ* ſuâ omnium ingratiſſimâ. Traditus eſt illi Liber *Iſaiæ* in *Synagogâ* S. *Luc.* 4. 16, 17. rurſuſque redditus publico *Synagogæ Miniſtro*, *v.* 20. Pro *Prophetâ* igitur illum habuerunt qui illum tantâ aviditate audiebant, idque in ipſâ *Synagogâ.*

§. 6. Nec aliam agebant in *Synagogâ* Perſonam ipſi etiam *Apoſtoli*, quàm *Prophetarum*, in publico *docendi* munere. Cum primum deſcenderet in illos *Spiritus*, & loquerentur *magnalia Dei*, Act. 11. 11. in publico certè aliquo *Judæorum* Auditorio, ubi tot adeſſent ex univerſâ διασπορᾷ, hoc ait S. *Petrus* eſſe quòd à *Joele* fuiſſet antea prædictum: *Et erit in noviſſimis*
Joel II. 28. *diebus* (*dicit Dominus*) *effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & Prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ.* v. 16. 17. Ergo *Prophetæ* erant omnes qui loquerentur, id quod

quod è *Veterì Testamento* confirmat, quò *Judæis* fidem ejus faceret faciliorem. Hoc ipsum antea promiserat ipse Dominus: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas*, &c. Et qui illos *recepturus* esset, promisit etiam *Prophetæ mercedem*. *Qui recipit Prophetam* (inquit) *in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.* Quod ait Dominus de reddendâ *Prophetæ mercede*, etiam illi qui vel *aquæ frigidæ* calicem dedisset in nomine Prophetæ S. *Matth.* 10. 41, 42. eò id fortasse spectat quòd, cum interficeret *Prophetas* Domini *Jezabel*, abscondiderit *Abdias* in speluncis *Prophetas*, & *pane atque aquâ paverit*. 1 *Reg*, 18. 4. 13. Ergo & *Prophetæ*, & eo ipso *Prophetarum nomine*, recipiendi. Et verò publicum illud *docendi* munus proprium fuisse *Prophetarum*, confirmant illa: *Judas autem & Silas (cum essent Prophetæ) verbo plurimo consolati sunt Fratres & confirmaverunt.* Notanda verba (*cum essent Prophetæ*) inde enim se-

S. Mat. 23. 34. Luc. 11. 49.

S. Mat. 10. 41.

Act. 15. 32.

quitur *Prophetici* muneris fuiſſe illam *verbi conſolationem.* Inde ortum habuerunt *Corinthiorum* tantæ illæ Confuſiones. Quia enim *Prophetici* Officii fuit publica illa *Sermocinatio*; proinde omnes dono illo *Prophetiæ* imbuti, quo tempore, quidpiam fuiſſet revelatum, eo cenſuerunt in publicum eſſe proferendum. Sic quia uno eodemque tempore multos inceſſerat *Spiritus Prophetiæ*, proinde uno eodemque tempore, non expectatis loquendi vicibus, *omnes* Prophetabant, quod & hìc factum videmus in primâ Apoſtolorum ſermocinatione. Et quia *Mulieribus* conceſſum eſt idem illud *Prophetiæ donum*, inde nec à ſe alienum illud crediderunt *docendi* munus publicum. Rectè nimirum illæ, quod *ſolis Prophetis* concederetur *Docendi* illud Officium *Extraordinarium*; non item rectè, quod crediderint conceſſum *omnibus.* Nec enim Veteris Teſtamenti *Propheti ſſas Deboram* & *Huldam* in *publico* ſermones feciſſe legimus.

gimus. Cæterùm *Prophetarum* illud Officium fuiſſe ut Dei θεσπίσματα hominibus enunciarent, ita certè vocem illam uſurpâſſe *Judæos*; è loco *Exodi* Colligimus.

§. 7. Nempe excuſavit ſe *Moſes* à miſſione *Ægyptiacâ* quòd linguam haberet minus expeditam, nec facilem omnino ſermonem. Eo nomine ne Officium excuteret, reponit Deus, *Aaronem* Fratrem eloquentem eſſe; illum *Moſi Os* fore, *Moſem* illi in *Deum*: *Et erit* (inquit) *os* Exod. 4. 16.
tuum, tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent. Sic Editio *vulgata.* *Ebræi* aliter: הוא יהיה-לו לפה ואתה תהיה- לו לאלהים Aſſentiuntur *Ebræis* hoc in loco *Samaritæ.* E *Græcâ* Editione expreſſa eſt Editio Vulgata *Latina* utplurimùm, præterquam in locis *Chronologicis*: Sic enim ea: σὺ δὲ αὐτῷ ἔσῃ τὰ πρὸς τὸν θεόν. *Ebræam* Lectionem veriorem crediderim, ſuffragante præſertim Editione *Samaritanâ.* Inde illam elicimus *Prophetæ* notionem. Ut fuerit nimirum Numini vice

vice *Oris*, enunciando ea quæ mandâſſet Numen hominibus enunciânda. Quod enim hoc in loco Aaron *Os* Moſis appellatur, Moſes Aaronis *Deus* id Cap. 7. 1. ita exprimitur: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Et quidem conſentientibus hìc cum utroque *Ebræo* exemplari *Græcâ* etiam *Latinâque* interpretatione. Sic ut *Moſes* Dei *Propheta* nunciando *Dei verba* Aaroni, ſic viciſſim *Aaron* Moſis *Propheta*, Moſis Aaronis,ſeu etiam Pharaonis, *Deus*,quòd *Moſis verba* Aaron locuturus eſſet ad *Pharaonem.* Id enim volunt verba illa cap. 4. 15. *pone verba mea in ore ejus, & Ego ero in ore tuo & in ore Illius.* Solent nempe Sacri Scriptores Summi Numinis Majeſtatem ἀνθρωποπαθῶς repreſentare, pro moribus Principum antiquorum, præſertim Orientalium. Solebant etiam illi Miniſtros ſuos in publicis Officiis conſtitutos illius in *corpore humano* Membri nomine

deſignare

deſignare quod maximè idoneum eſſet Symbolum ad eorum Officium denotandum in *Corpore Politico*. Sic enim repræſentare ſolebant arctiſſimam illam, quæ in *Corpore Politico* vigere oportebat, *unionem*, & mutuam Civium conciliare invicem benevolentiam, talem ſcilicet qualis intelligitur inter unius ejuſdemque *Corporis humani membra*. Eò ſpectabat Fabula *Menenii Agrippæ*. Eò & illa in N. T. admodum frequentia, de Chriſti *Corpore Myſtico*, ejuſque *Membris*. Sic itaque *Babylonios* Reges perſonat in ſuâ *Apollonii* Fabulâ *Philoſtratus*, ut alios eorum Miniſtros ὀφθαλμὺς, alios ὦτα βασιλέως memoret appellatos. Ὀφθαλμῶν etiam in Perſicorum Regum Miniſtris, mentio eſt apud *Ariſtophanem*. Pro eâdem plane formâ, vii. *Angeli* quaſi *Conſiliarii* ὀφθαλμοὶ *Dei* appellantur *Zac*. 4. 10. Erant enim Regibus *Perſarum* vii. Conſiliarii omnium præcipui (ut alibi oſtendimus) quos *Oculos* appellatos

de Un. Sacerdot. *& un.* Altar. *cap.* 12.

latos proinde verisimile est. Nec alia est, ut videtur, loquendi forma, cum & *Prophetas Os Dei* appellatos legimus. Interim illud ex eo ipso Symbolo colligimus, illum apud *Ebræos Prophetam* nuncupari qui χρησμῶν Divinorum fuisset enunciator. Proinde *Dei* ἑρμηνεῖς *Prophetæ* aliquoties apud *Philonem*, ut *Interpres Divûm* apud *Virgilium*. Et *Oraculorum Interpretes* apud *Festum*. Vide *Pollucem*. Nec alio sensu se pro *Prophetâ* venditavit *Alexander Pseudomantis* quàm quòd ipse *Æsculapii* sui redderet *Oracula* quæ non essent αὐτόφωνα. Sic itaque & *Christianorum* πνευματικοὶ, cum *Dei* nomine ea insignirent quæ *Spiritûs*, & *Doni Spiritualis*, prætextu in publicum enunciarent, qui illos audiendos crediderunt, consentaneum erat ut pro *Prophetis* habuerit, quo sensu usurpari vox ea solebat, non modò apud *Judæos*, sed etiam apud *Gentiles*, quorum in *Sacris* usus erat, etiam *Prophetarum*, frequentissimus.

Phil. Ὅτι Ἀπρεπτ. τὸ θεῖον. p. 211. Τίς ὁ τ θ. κληρονομ. p. 351. περ. Μοναρχ. L. 1. p. 561. περ. Ἀθλ. κ. Επιτιμ. p. 630.

§. 8.

§. 8. Cum ergo ſolo illo *Prophetarum* nomine vendicare ſibi poſſent omnem illam Poteſtatem Primævi *Chriſtiani* quæ ad *Evangelii* propagationem erat neceſſaria, tam *docendi* illam, quàm etiam exercendi munera *Sacerdotalia*; omnino conſentaneum eſt ut rem ſe ita habuiſſe credamus. Ita factum ut & publicis Templi *Sacrificiis* fruerentur, & publicis *Synagogæ* Officiis; & tamen privata haberent *Sectæ* ſuæ Sacra, & propria ſibi *Sacramenta*, ſine ullo *Unitatis* aut *Concordiæ* Publicæ diſpendio. Jam enim erant in *Judaiſmo* Sectæ, non minùs invicem, quàm à *Chriſtianiſmo*, diverſiſſimæ, *Phariſæorum*, *Sadducæorum* & *Eſſenorum*, quibus tamen omnibus & *Templum* patebat atque *Synagogæ*. Has cum *Hæreſes* appellarent, ſic & eorundem exemplo *Chriſtianiſmum Hæreſim* nuncupat *Tertullus*, non utique quòd *Chriſtianos* haberet à *Judæorum Communione* alienos, uti nec illas, quas dixi, *Hæreſes*. *Eſ-* *Act.* 24. 5.14.

ſenos proprios habuiſſe Sectæ Suæ *Conventus*, è *Joſepho* conſtat & *Philone*. Etiam *Baptiſmum* ſibi proprium uſurpârat antea S. *Joannes Baptiſta*, quem tamen *Judæi Prophetam* agnoverunt, etiam *Chriſtianis* infenſiſſimi. Simili etiam *Baptiſmo* uſos *Judæos* exiſtimant recentiores *Rabbini*. Una jam reſtabat *Euchariſtia*, quam quia pro *Sacrificio* habebant *Chriſtiani*, proinde alienior videri poſſet à *Chriſtianorum* cum *Judæis* publicâ Concordiâ. At cum illâ ne quidem *Sacrificia* à *Prophetis* oblata pugnâſſe jam oſtendimus.

§. 9. Inde evenit ut *Eccleſiæ* munera publica omnia à *Prophetis* adminiſtrarentur. *Prophetarum* nomine non eos intelligo ſolos qui *unam* illam habebant *Prophetiæ* Gratiam, quique ab *Apoſtolis* diſtinguerentur atque *Evangeliſtis*, ſed eos omnes qui *Divino afflatu* agerentur, ut & *Apoſtolos* etiam ipſos eo nomine complectar atque *Evangeliſtas*. Nec illos duntaxat *Prophetas*

phetas appello qui *Spiritum* haberent *Prophetiæ*, ſed & illos qui *Instinctum* (quem vocant Scholaſtici) *Propheticum*. Sic itaque *Eccleſia* hoc tempore adminiſtrata eſt, ut *Spiritûs Sancti* nutu, potiùs quàm *Hominum*, adminiſtrari crederetur. Proinde ſiquem *Spiritus* iſtiuſmodi *Donis* inſtruxiſſet quibus *idoneus* redderetur ad munus publicum, is eâ ipſâ cauſâ *muneri* illi ab eodem Spiritu *præfectus* credebatur. Ita Apoſtolus: *Ipſe dedit* Eph. 4. 11.
quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores. Non *Gratiam* dedit (inquit) *Apoſtolicam*, ſed *Apoſtolos*; nec *Gratiam Propheticam*, ſed *Prophetas*, &c. cum tamen non de *hominibus*, ſed de *donis*, locutus fuerit Pſaltes in eo loco quo alludit Apoſtolus, *dedit dona hominibus*. Omnino ſupponit hæc Argumentatio, qui *Gratiam* habuiſſent *Apoſtolico* muneri parem, eos ipſo facto conſtitutos *Apoſtolos*; & qui

 Spiri-

Spiritum Propheticum, eos, ſine ullo hominum ſuffragio, ſimiliter fuiſſe *Prophetas*; & ſic de reliquis. Conſtat equidem de *Apoſtolis*, ita eos à *Spiritu* conſtitutos ut ne quidem ullum interceſſerit *hominum* ſuffragium. Sic *Apoſtolatum* ſuum vindicat S. *Paulus* quòd nec *ab hominibus* illum acceperit, nec *per*
Gal. 1. 1. *homines*, ſed per *Jeſum Chriſtum*, & *Deum Patrem qui ſuſcitavit eum à mortuis*. Nec verò unquam legimus conſtitutos aliquos ab *hominibus* in munere *Prophetico*, ſed nec in reliquis hoc loco memoratis Officiis, ſeu *Evangeliſtarum*, ſeu *Paſtorum*, ſeu etiam *Doctorum*. Legimus autem in *Ordinariis* Eccleſiæ Officiis, tam *Presbyteros* ab *Apoſtolis*, quàm etiam conſtitutos fuiſſe *Diaconos*. *Datos* illos à *Chriſto* nuſquam legimus. Et verò idem innuunt ipſæ illæ, quas adhibet *Apoſtolus*, rationes. Datas nimirum illas Spiritûs Sancti *Gratias*, eo *fine* ut *prodeſſent*, Eccleſiæ nimirum; datas illis tanquam *diſpenſatoribus*;

ſatoribus; datas ad *conſummationem Sanctorum in opus Miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti.* Nec enim poterant *Eccleſiæ* per *Gratias* illas prodeſſe, niſi per uſum earum *publicum.* Quæ etiam rationes ſuadent, ut etiam *Inſtinctibus Propheticis* credamus ſuum fuiſſe *uſum*, & quidem illum *publicum*, ne alioqui viderentur eſſe fruſtranei. Ita munera Eccleſiæ *Sacerdotalia* illis omnibus licuerint, qui aut *Prophetiæ Spiritum* haberent, aut *Propheticum* ſaltem *Inſtinctum*, unis exceptis *mulieribus*, propter ſexûs verecundiam. Paſſim enim datus eſt *Spiritus*, ejuſque *Dona* extraordinaria *Baptizatis*, etiam illis qui nullum tamen haberent locum in *publico* Eccleſiæ *Miniſterio.* Et quidem illud, etiam pro exemplo *Judæorum.* Cum enim *Sacerdotium* ſolius fuerit Tribus *Levitici*, omnium tamen *Tribuum* communis erat *Spiritus Prophetiæ.*

§. 10.

§. 10. Ita administratas Ecclesiæ *Synaxes* fuisse probabile est dum unum *Christiani* corpus cum *Judæis* constituerent. Et dum ita se res habebant, nullus potuit esse locus *Regimini Ecclesiastico*, nullus saltem in sacris *Synaxibus*, nullus ei, quæ *ἀτακτοῦντας* coercere possit, *Disciplinæ*. Qui enim se *synagogæ* membra profitebantur, iidem se *Synagogæ* Jurisdictioni obnoxios profiteri necesse erat. Et verò nullum fuisse in Synaxibus *Regimen*, ipsæ illæ ostendunt Synaxeon *ἀταξίαι*. Aliter fuisset, assignatæ fuissent *Prophetis* loquendi *vices*; Ecclesiæ Corinthiacæ *Rectoribus* mandata esset *Ordinis* custodia,non ipsis *Prophetis*. Nec opus esset ut moneretur *Spiritum* Prophetarum *Prophetis* ipsis fuisse subjectum, si etiam fuisset subjectus *Ecclesiæ Rectoribus*. Sed ne *Rectorum* ulla quidem mentio in eâ *Epistolâ*, nulla in *Inscriptione*; nulla in *Pœnâ* Incesto irrogandâ. Jubentur omnes ab ejus se consuetudine *subducere*,

cere, non *parere* id præcipientibus Ecclesiæ *Rectoribus*. Reprehenduntur quòd non *luxerint* ut eorum è medio tolleretur Incestus, ipsi utique nullam habentes eum è medio tollendi Potestatem. *Suas* vices ipsis mandat *Apostolus* tam in Corinthii Incesti *Pænâ*, quàm etiam in ejusdem *absolutione*. *In nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis, & meo Spiritu, cum virtute Domini Jesu, Tradere hujusmodi hominem Satanæ*, &c. Sic enim superius: *Ego quidem absens corpore, præsens autem Spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est*. Sic & in absolutione: *Cui autem aliquid donâstis, & Ego. Nam & Ego quod donavi, siquid donavi, propter vos, in Personâ Christi*. *Ego* (inquit) *Judicavi*; *Ego donavi in Personâ Christi, Congregatis vobis & meo Spiritu*. Ita loquitur *Apostolus* quasi irritæ forent sine suo suffragio *Corinthiorum* censuræ, quasi à se *solo* vis earum omnis penderet, atque *Autoritas*.

1 Cor. 5. 4. 5.

Verse 3.

Non

Non ita utique locuturus de communi *ſibi* ac *Corinthiis* Juriſdictione. Et verò cum communia eſſent *Spiritualibus* cum Eccleſiæ *Rectoribus* Eccleſiæ *Sacramenta*, nulla eſſe potuit *Excommunicatio*, à quâ ſolâ pendet *Ordinaria* Eccleſiæ *Autoritas*, præſertim in *Prophetas*, aut ſe eo *nomine*, utcunque iniquè, apud Populum venditantes. Eſto enim, pepulerint illos à Communione *Rectores* Eccleſiaſtici. Adhuc tamen *ſibi* Sacramenta miniſtrarent, & ſuæ ſaltem *Factionis* hominibus, ipſi nimirum *Sacerdotes Extraordinarii*. Quòd ergo nihilominùs *Diſciplinam* obſervârint, & quidem illam ſeveriſſimam, alias neceſſe eſt fuiſſe rationes quàm *Ordinariam* aliquam Eccleſiæ *Poteſtatem*: Primum ſcilicet, novæ *Religionis*, & novitium *fervorem*, metum *ſcandali*, *Perſecutiones* fere perpetuas quæ *Chriſtianos* reddebant invicem conſentientiſſimos, nondum enatæ *Hereſes* aut etiam *morum* ſcandala Eccleſiæ Diſciplinâ coer-

coercenda, *Apostolorum* ipsa reverentia, qui etiam fuerint Collegiorum Propheticorum *Præsides*, & *Prophetarum* etiam ipsorum *Judices*, ipsi nimirum *Prophetæ* primarii. Tales enim *Prophetarum Præsides* agnoverant in suis Prophetarum Collegiis *Judæi*. Tales nimirum erant *Samuel* & *Elisæus*. Et verò aliud erat *donum*, Prophetiis nimirum ipsis dijudicandis, *discretionis* nempe *Spirituum*, Apostolorum fortasse proprium. Sed verò omnium maximè inserviebat custodiendæ Ecclesiæ Disciplinæ Potestas illa *miraculosa* tradendi *Satanæ*, seu *morbis* cruciandos, seu etiam *occidendos*, quod tamen proprium erat fortasse Apostolorum.

§. 11. Hæc erat, ut dixi, Primævæ *Disciplinæ Christianæ* forma dum *unum* Christiani *Corpus* cum *Judæis* constituerent. *Rari* erant, & in *Paucis* Ecclesiis constituti *Rectores*. In initio nulli præter *Apostolos* ipsos & ἐλλογίμους illos quorum meminit *Clemens* in Ep. ad *Co*-

rinthios, qualis fuit *Apollos* qui ſcilicet primario *Donorum* Spiritualium gradu præditi idonei viderentur ut *Apoſtolorum* Officia præſtarent, & pro *ſecundariis* haberentur *Apoſtolis*. Sic enim dixi, in *Extraordinario* hoc Eccleſiæ Regimine, pro *Gratiarum* menſurâ *locos* etiam aſſignatos & *munera*. Poſtea, creſcente indies *Eccleſiâ*, & gliſcente *Judæorum* odio inteſtiſſimiſque *Perſecutionibus*, tandem viſum eſt neceſſarium, ut ab eorum ſe *conſortio* ſubducerent, excuſſo in illos *calceorum* pulvere pro Domini Præcepto. Id primùm feciſſe legimus Apoſtolum *Paulum* Act. 13. 51.
An. XLV. Anno, ut exiſtimo, XLV. Inde ad *Gentes* converſus eſt v. 46. Inde *diviſa erat multitudo, & quidam quidem erant cum Judæis, quidam cum Apoſtolis*. Cap. 14. 4. Inde conſtituunt per ſingulas *Eccleſias Presbyteros* v. 23. Hæc *prima* eſt ad *Gentes* è profeſſo convertendas Expeditio. Sic enim reverſi retulerunt, quia *aperuiſſet*

Deus

Deus Gentibus oſtium fidei. v. 27 Rurſus per *Phœnicen* & *Samariam* tranſeuntes narrabant *Converſionem Gentium* Cap. 15. 3. Sic & in Synodo *Hieroſolymitanâ.* v. 12. Nec aliò ſpectavit Apoſtolus quàm ad primam hanc Expeditionem, *Gentium* convertendarum conſilio ſuſceptam, in verbis illis Epiſtolæ ad Romanos: *delictum illorum divitiæ ſunt Mundi, & diminutio Eorum divitiæ Gentium.* Nempe *delictum* illud, hic ipſe *Judæorum zelus* Act. 13. 45. *Rom.* 10. 2. hæ *blaſphemiæ Act.* 13. 45. *Perſecutiones* v. 50. Cap. 14. 2, 5, 19. Unde nata occaſio pertinaces illos *Judæos* deſerendi, & prædicandi *Gentibus* Evangelium. Nec aliò retulerim illud quòd S. *Paulus Gentium* vocatus fuerit *Apoſtolus,* quàm quòd ejus primùm *Miniſterio* uſus fuerit Deus in hâc; quam dixi, *Gentium* Converſione. *Novum* certè viſum eſt Chriſtianis omnibus quà patebat Apoſtolo iter ad Synodum *Hieroſolymitanam,*

Rom. 11. 12.

Act. 15. 3. Novum ipsis *Hierosolymitanis*, etiam *Apostolis*. v. 12. Hanc itaque Act. 13. 2. *Revelationem* fuisse intelligo de quâ ait *Apollonius*, ex *Traditione*, Dominum προστεταχέναι Apostolis, ne ante Annum XII. à Christi *Ascensione* discederent ab *Hierosolymis*. Quòd scilicet eo ipso *Anno* contigerit hæc Apostoli nostri Missio ad *Gentes* è quâ deinde illi didicerint *Evangelium* per *orbem* universum esse disseminandum; nec modò pro *impuris* non habendos esse *Gentilium* Proselytas, (quod per Revelationem S. *Petro* factam in *Cornelii* causâ antea didicerant) sed verò ultrò esse adfidem *solicitandos*. Discesserunt autem Anno 47. paulò post Synodum *Hierosolymitanam*, in quâ primùm vulgata est nova hæc de *Gentilium* Conversione *Revelatio*. Discessurus enim dicitur S. *Matthæus* dicitur *Ebræis* suis scripsisse *Evangelium* XIV. Anno à Christi Ascensione, siqua fides illi recentiorum Traditioni. Eo igitur tem-

... Euſ. *Eccl.* H *ſt*. 5. 18.

tempore orbem peragrarunt *Apostoli*, & *Provincias* sortiti sunt quas sibi quisquis susciperet convertendas, ut *sortiri* Provincias solebant Provinciarum Præsides *Romani*. Convenit enim *Auctorum* Historia. Antea sæpe mentio *Collegii* cujusdam *Apostolici* Hierosolymis commorantis. Postea nulla mentio *Apostolorum* in *Hierosolymis*, prætérquam unius *Jacobi* in universâ eorundem *Actorum* Historiâ. Quod certè signum est eo, quo dixi, tempore discessisse *Hierosolymis Apostolos*.

Act. 1. 13. 2. 42. 43. 4. 33. 35, 36, 37. 5. 2. 12, 18, 29, 34, 40. 6. 6. 8. 1. 14. 9. 27. 11. 1. 15. 2, 4, 6, 22, 23.

§. 12. A Christi ergo *Ascensione* ad Annum 45. nulla prorsus occurrit mentio *Ordinariorum* Ecclesiæ *Rectorum*, seu *Episcoporum*, seu etiam *Presbyterorum*. Inde nova consurgit Epocha, cum misso jam pertinacibus *Judæis* Libello divortii, proprium jam sibi *Corpus* constituerent *Christiani*, ut etiam proinde necessarii essent *proprii* etiam Ecclesiarum atque *Ordinarii*] deinde *Rectores*. Sub finem enim hujus expeditionis, in novâ conversarum Ecclesia-

clesiarum confirmatione, quam An.
An. XLVI. 46. contigisse probabile est, ea deinde legimus S. *Lucæ* verba : Et
Act. 14. 23. *quum constituissent illis, per singulas Ecclesias, Presbyteros, &c.* Agit eo in loco S. Historicus de Provinciâ *Pisidiæ* in quâ *Judæos* expertus erat Apostolus omnium infensissimos. In eâ igitur, hoc ipso *Anno* deseruerunt *Judæorum* Synagogas *Christiani.* Conjunctam enim cum eâ *pulveris* adversùs induratos blasphemantesque Judæos discussione fuisse *discessum*, ex alio ejusdem Historiæ loco colligimus quo in *Judæos* similiter delinquentes incidit Apostolus. *Quum autem*
Act. 19. 9. (inquit) *quidam indurarentur, & non crederent, Maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis* (à *Synagoga* viz. v. 8.) *segregavit Discipulos.* Ἀποστὰς ἀπ' αὐτῶν, ἀφώρισε τοὺς μαθητὰς, in alium nempe Synaxeon *locum*, Scholam *Tyranni.* Hæc forte *Discessio* illa à *Moyse*, ἀποστασία ἀπὸ Μωσέως,
Act. 21. 21. cujus Autorem *Judæi* aiebant Apostolum

ſtolum *Judæis* qui *per Gentes* erant, τὺς κατὰ τὰ ἔθνη πάντας Ἰουδαίους, ſeu potiùs ὄντας, ut, cum *vulgato* interprete, legerunt Codices *Cantabrigienſis*, *Alexandrinus*, & *Bodleianus* unus. Intelligit nimirum *Provinciales* τῆς διασπορᾶς *Judæos*, quos tamen non *omnes* diſceſſionem illam docuerat Apoſtolus. Erat enim hæc pœna *Judæorum* duntaxat *pertinacium* atque *blaſphemantium.* Proinde poſt hanc *diſceſſionem* à *Judæis Piſidienſibus* eorumque *Synagogis*, aliarum tamen Provinciarum in *Synagogis* docuit Apoſtolus. In *Proſeuchâ* Judæorum *Philippenſium* (ſic enim intelligo, cum doctiſſimo *Hammondo* verba ἐ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι.) In *Synagogâ* Judæorum *Theſſalonicenſium*, Act, 17. 1. idque *ſecundùm conſuetudinem* v. 2. In *Synagogâ* Judæorum *Berœenſium* v. 10. In *Synagogâ* Judæorum *Athenienſium* v. 17. In *Synagogâ* Judæorum *Corinthiorum* Act. 18. 4. In *Synagogâ* Judæorum *Epheſinorum*, Act. 18. 19. 19. 8. *Act.* 16. 13.

19. 8. *Localis* itaque erat illa *discessio*, non à *Judæis universis*, sed ab illius *loci* Judæis in quo repererat *induratos & blasphemos* atque *Persecutores*. Utque erat *discessio* duntaxat *localis*, sic & *Ordinariorum* Ecclesiæ *Ministrorum* constitutio fuit etiam & ipsa *localis*, in aliis nimirum Ecclesiis citior, in aliis serior, pro *Judæorum* hac malignitate aut æquanimitate. Inde, ni fallor, intelligimus cur Epistolarum *Paulinarum* in unâ illâ duntaxat ad *Philippenses* Rectorum *Ecclesiasticorum* habeamus mentionem. Constitutis jam Ecclesiæ *Rectoribus*, mos ille plerumque obtinuit ut Epistolæ τῷ κοινῷ directæ *Rectoribus* inscriberentur, quamvis scio multa etiam extare in aliam partem exempla. Quòd ergo hæc ad *Philippenses* Epistola *Rectoribus* inscribatur, occasio satis verisimilis esse potuit *Persecutio* illa acerbissima quam passus est Apostolus à *Judæis Macedonibus* Act. 17. 5, 13. ut ne quidem potuerit in illis partibus

tibus diutiùs commorari. Inde factum verisimile est ut proximâ suâ Expeditione, Act. 20. 1, 2. quâ *Macedones* jam conversos, pro Expeditionis *secundæ Pisidiensis* exemplo, confirmavit, id quoque, pro eorundem exemplo fecerit, *Presbyteros* illis, seu potiùs *Episcopos*, per *Ecclesias* ordinârit. Adornata hæc secunda est in illas partes Expeditio *Anno* (pro nostris rationibus) 53. Scripta ad eosdem Epistola sub finem Primæ Captivitatis *Romanæ* Anno 59. Ita satis commodè potuit commemorare *Rectores* viz. ante sexennium institutos. Quòd verò nullam habeamus in utrâvis Epistolâ ad *Corinthios Rectorum* mentionem, ratio illa probabilis est. Scripsit utrasque Anno 53. alteram *Epheso* Apostolus, alteram è *Macedonia*, cum *Corinthum* nondum secundâ vice *confirmaturus* attigisset, quâ solebat Apostolus *Rectores* instituere. Nec habuit *primâ* vice adeo infensos *Judæos* ut opus esset è *Synagogâ* discedere.

Anno 53.

Anno 59.

Anno 53.

cedere. Nullas hìc legimus eorum *blasphemias.* Quas autem concitârunt adversùs illum, sub Proconsule *Gallione*, turbas, eæ paulò ante primum ejus discessum contigerunt. Nec solebat tamen, suos, propter *Persecutiones*, segregare, ni accessissent etiam *blasphemiæ.* In Ecclesiâ *Hierosolymitanâ* prima mentio *Presbyterorum* occurrit An. 47. in Concilio *Hierosolymitano*, secundo nimirum Anno à discessione *Pisidiensi.*

§.13. Sed verò singulare erat Ecclesiæ *Hierosolymitanæ* exemplum nec temerè pro aliarumEcclesiarum *normâ* statuendum. Dum illam coleret *Ecclesia*, quam dixi, cum *Synagogâ*, concordiam; & a Donis Rectoribusque*Extraordinariis* penderet; quem locum tenuit inter *Judæos Hellenistas* τῆς διασπορᾶς *Synagoga Hierosolymitana*, eundem inter alias Ecclesias *Hierosolymitana* tenuisse videtur *Ecclesia.* Ut itaque Synagogæ *Hierosolymitanæ* pendebant tributum quoddam annuum

nuum, pro Jure quodam *Metropolitano*, aliæ omnes *Judæorum* in diſperſione *Coloniæ*; ſic & Eccleſiæ *Hieroſolymitanæ* aliæ itidem *Eccleſiæ*. Inde adeo frequens apud S. *Paulum* mentio de *Eleemoſynis Hieroſolyma* deferendis. Et verò proprium *Apoſtolorum*, apud *Judæos*, id fuiſſe munus, ait *Epiphanius*. Sic enim ille deſcribit officium *Apoſtoli*, ut fuerit *Patriarchæ Aſſeſſor* à Conſiliis; utque ei de illis referrent quæ ad *Legem* pertinerent; & ut *decimas* Patriarchæ nomine ac *Primitias* à *Provincialibus* exigeret. Sic & in Novo Teſtamento *Epaphroditum Philippenſium* dictum legimus *Apoſtolum* qui eorum *Eleemoſynas* detulerat ad S. *Paulum*, Phil. II. 25. Nec verò eſt quòd putemus *Eleemoſynæ* ſolius loco hæc fuiſſe dona. *Frequentiores* erant & *majorem* tenuerunt, Eccleſiarum reſpectu, *proportionem* quàm ut ita credamus. Nec enim eſt quod magìs *egenam* exiſtimemus Eccleſiam *Hieroſolymitanam*

Epiphan. *Hær.* 30. *Num.* 4.

ib. n. 11.

quàm reliquas, per univerſum qua patebat Orbis *Romanus*, univerſas. *Perſecutionem* paſſæ ſunt & illæ, & acerbiorem quàm *Chriſtiani Hieroſolymitani.* Id exinde conſtat quòd *primæ* illæ à *Synagogis* diſceſſerint, cum *Pacem* adhuc cum *Templo*, ipſiſque *Synagogis* colerent *Hieroſolymitani.* Et tamen raras admodùm legimus *invicem* miſſas *Eleemoſynas* præ illis quas miſſas legimus ad *Hieroſolymitanos.* Nec aliò quàm ad Juris *Metropolitani* honorem retulerim *Pacta* illa inter S. *Paulum* & *Barnabam* Apoſtolos *Gentium* & S. *Jacobum*, *Petrum* & *Johannem* Apoſtolos *Circumciſionis.* *Dextras* dederunt Apoſtolis *Gentium* Apoſtoli *Circumciſionis*, câ tamen, quæ ſequitur, conditione: *Tantum* (inquit) *ut Pauperum memores eſſemus*, nempe *Hieroſolymitanorum.* Cavebant ſcilicet ne quid caperent detrimenti Chriſtiani *Hieroſolymitani* novo illo *Gentium* Apoſtolatu. Proinde exigunt *Circumciſionis* Apoſtoli ut quem antea

Gal. 2. 10.

antea honorem habebant *Tributi* à *Judæis Hellenistis Judæi Hierosolymitani*, eundem exhiberent novi quoque è *Gentibus* Proselytæ. Rectè nimirum paciscuntur cum *Apostolis Apostoli*, quòd ad illos spectaret, pro Officio, *Tributorum* illa collectio. *Honoris* certè illam fuisse potiùs quàm *Eleemosynæ* pensionem, suadet & illa ratio quâ usus hac in causâ est Gentium Apostolus: *Si Spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis.* Propria hæc ratiocinatio est Juris *Metropolitani*, quæque nulli alteri *Ecclesiæ* conveniret, præterquam *Hierosolymitanæ*. *Debitam* supponit illam *Eleemosynam*, & quidem Jure *Gratitudinis*, ut proinde, ni vellent *Ingratitudinis* notam incurrere, ea esset omnino solvenda. Et cum *Gratitudo* hæc pro *bonis Spiritualibus* debeatur, supponit utique *Hierosolymitanæ Ecclesiæ* honorem in Sacris *Metropolitanum*. Urgeri aptiori ratiocinio non potuit Officium *Colonia-*

Rom. 15. 27.

Coloniarum in *Metropoles.* Non aliâ utitur Argumentatione in suâ quoque causâ Apostolus: *Si nos*
1 Cor. 9. 10. *vobis Spiritualia* (inquit) *seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Et tamen *Jure* sibi deberi ea stipendia in eo Capite multis pugnat Apostolus.

§. 14. Eodem spectat quòd in ipsâ *Regiminis* formâ, quæ quidem, obtinebat apud Christianos *Hierosolymitanos*, provisum est ut ab eâ Ecclesiâ aliæ necessariò penderent. Sic enim Officiarios *Extraordinarios* recenset Apostolus, primùm *Apostolos*, secundò *Prophe-*
1 Cor. 12. 28. *tas*, tertiò *Doctores*, &c. Notandi diligenter numeri *Ordinales*. Inde enim constat in eo *Extraordinariorum* Officiariorum Regimine eum ordinem tenuisse illos in *Ecclesiâ* quem in *censu* Apostoli. Sic primi omnium, reliquisque omnibus præpositi, fuerint *Apostoli*; reliqui omnes Apostolis *inferiores* & subditi, eorundemque proinde judicio obnoxii. Nec enim temerè ita numeratos

ratos exinde constat quòd alio loco *Eph.* 4. 11. pro *Doctoribus Evangelistas* tertio loco recitârit, & *Pastores* atque *Doctores*, quòd hos nimirum omnes priori loco fuisset sub communi *Doctorum* nomine complexus. Sic & in alio loco *Eph.* 2. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Sic & *Hermas* in cujus libro habemus Ævi *Apostolici* simplicissima vestigia. Meminit ille eodem etiam Ordine, *Apostolorum, Episcoporum, Doctorum.* Quòd primos *Apostolos*, tertios *Doctores* posuit, in eo ad amussim convenit, ut vidimus, cum *Apostolo*. Medii ergo, ætate *Hermæ*, *Episcopi* eundem tenuerunt locum quem in *Extraordinario* Regimine *Prophetæ*. Atqui *Præsides* erant, dum ea scriberet *Hermas*, Ecclesiarum *Episcopi*. *Præsidum* nomine, ut ostendimus, alios nullos intelligere potuit quàm *primæ* Cathedræ insessores, præsertim cum etiam ejus ætate certissimum sit, cujus ille disertis verbis

L. 1. Vision 3.

L. 3. Simil. 9.

L.2. Mand.12. verbis meminit, fuisse προφητικῆς θεραπείαν. Proinde ut *supremi* erant in Ecclesiis coævi *Hermæ Episcopi*, *primarum* scilicet Cathedrarum possessores Ecclesiarumque *Præsides*, *supremi* etiam erant, in *Extraordinario* Regimine, *Prophetæ*. Quod etiam accuratissimè convenit cum illis quæ habemus hodieque Historiæ *Apostolicæ* ruderibus. In Ecclesiâ *Antiochenâ* paulò ante illam quam dixi Epocham constitutorum in Ecclesiis Officiariorum Ordinariorum, Anno nimirum eodem illo quo mortuus est *Herodes Agrippa*, Christi 44. duos duntaxat legimus Officiariorum Ordines, *Prophetarum* & *Doctorum*, secundum nimirum tertiumque eorum quos diximus. Et tamen illos λειτουργοῦντας legimus *Act.* 13. 1, 2. E quo etiam colligimus, verum esse quod diximus, Ecclesiasticarum *Synaxeon* Officia à *Prophetis* administrata. Sic & in Epistolâ ad *Romanos* ubi illos hortatur ne deessent *donis* quibus fuissent à Deo inspirati, *superi-*

Anno 44.

us

us tamen *Prophetiâ* donum nullum recenſet. *Habentes* (inquit) *donationes, ſecundùm Gratiam quæ data eſt nobis differentes, ſive Prophetiam,* &c. Nulli itaque erant in Eccleſiis illis, ſeu *Antiochenâ*, ſeu etiam *Romanâ*, Officiarii Eccleſiaſtici *Prophetis* ſuperiores. Soli nimirum Eccleſiæ *Hieroſolymitanæ* proprium erat *Apoſtolorum* illud, quod dixi, Collegium. Inde ſequebatur Eccleſias reliquas *univerſas* Eccleſiæ *Hieroſolymitanæ* fuiſſe ſubjectas. Ut enim *Apoſtolis* ſubjecti erant *Prophetæ*; ſic & *Eccleſiæ* illi, quæ ſola habuit *Apoſtolos*, reliquas omnes ſubjectas fuiſſe oportet quæ *Prophetas* duntaxat habuerint. Id quod verum eſſe ex ipſâ Synodi *Hieroſolymitanæ* Hiſtoriâ multa evincunt. Imprimis quòd Pacis illi turbatores *Apoſtolorum* nomine abuſi ſint. Id ipſi innuunt Apoſtoli: *Quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas veſtras, quibus* (inquiunt) *non mandavimus.* Apoſtolos Au-

Rom. 12. 16.]

Act. 15. 24.

tores in aliis Ecclesiis non venditâssent, nec secutæ essent venditantes tantæ turbæ, ni magna fuisset, etiam in *aliis* Ecclesiis, *Apostolorum*, quacunque impellebat Autoritas. Et verò *Imperium* spirant verba illa, *non mandavimus*. Tum idem arguit ipsa *Antiochenorum* ad *Hierosolymitanos* Appellatio. Cur enim illi qui proprios habebant *Prophetas* ad alios *Appellarent*, ni id nôssent, subjectos esse *Apostolis* ipsos etiam *Prophetas*, ut proinde nullâ fide digni haberentur siquid contrarium docuissent *Apostoli*? Potuit *consilium* habere locum in consiliis *humanis*. In *Divinis* nullum potuit, sed duntaxat Ordo à *Deo* ipso institutus. Idem porro *Appellationis* acceptatio, & *Decretum* editum, planè pro Imperio: *Placuit nobis* v. 25. *Visum est Spiritui Sancto & Nobis, nihil ultro imponere vobis oneris*. v. 28. Ἔδοξεν utrobique, vox illa nimirum quâ *Græcarum* Rerumpub. *Decreta*, quæ inde δογμάτων nomen traxerunt,

concipi

concipi ſolebant. Proinde hæc ipſa *Decreta* eâ ipſâ voce deſignantur, τὰ ΔΟ´ΓΜΑΤΑ τὰ κεκϱιμμένα ἀπὸ τῶν Ἀποςόλων &c. Cap. 16. 4. *Præcepta Apoſtolorum* Cap. 15. 41. in Editione *Vulgatâ*; ἐντολαὶ in codice *Cantabrigienſi Bezæ*, deſunt enim in reliquis Codicibus *Græcis*. Et cùm, poſt mentionem *Spiritûs Sancti*, ſubjungunt *ET NOBIS*, ſatis manifeſtè oſtendunt quantum illis licuerit pro ipſa *loci* ratione in quo fuiſſent à *Spiritu Sancto* conſtituti.

§. 15. Eodem ſpectat, ni fallor, quòd, quandiu ſupereſſent è *Familiâ Domini* noſtri qui ſedem illam ſupplerent, non *alii* deligerentur Epiſcopi *Hieroſolymitâni*. Cum enim locum illum facerent, ut alibi oſtendi, pro more *Sacerdotii Judaici*, Hæreditarium; conſentaneum erat, ut quam Juriſdictionem ipſi *Domino* in ſede *Hieroſolymitanâ*, tribuiſſent in *omnes*, quà patebat Orbis, Eccleſias, eandem illius *ex aſſe* hæredibus concederent. Nec ſane eſt quòd mire-

mur Sacerdotium Domini Hæreditarium, cum præter Judæos, fuerint illius, etiam apud Gentes, Exempla frequentissimâ. Sacerdotium *Scopeliano* Rhetori in *Asia* hæreditarium fuisse testis est Philostratus, quo etiam exemplo fortasse Polycrates in eâdem Asiâ octavus ejusdem familiæ gessit apud Christianos Episcopatum. De id genus Hæreditariis Sacerdotibus interpretatur Servius verba Virgilii, *Olimque Sacerdos*. Sic & inter Ægyptios (quorum ad exempla compositæ sunt plurimæ Judæorum consuetudines.) Inferioris Sacerdotii Hæreditarii exemplum habemus in Thyamide, Supremi, in Isiacis, teste Herodoto. Sic & Patriarchatum Judæorum hæreditarium fuisse docet Epiphanius. Et sane dignitatis plusquam *Ordinariæ* fuit quòd Episcopus *Hierosolymitanus Præses* fuerit *Collegii* illius, quod dixi, *Apostolici*, cum tamen *Oecumenicam* Jurisdictionem ipsis *Apostolis* attributam jam ostenderimus.

Heliodor. Æthiop.
Herod. L. 2.

Ita

Ita certè rem se habuisse necesse est, si de Synodo *Hierosolymitanâ*, pro illius Ætatis moribus judicemus, in quâ omnium *ultimi* sententiam ferebant qui constituti essent in sedibus *primariis*. Ibi enim habemus primo loco aliorum *magnam conquisitionem*, tum S. *Petri* primi *Apostoli*, tandem S. *Jacobi* Collegii universi *Præsidis*, qui sententiam suam exponit *majore* quàm, alii, Autoritate. Ἐγὼ κρίνω, inquit. Sic finis universæ Disceptationi impositus. Neque temerè factum ostendit, quòd eodem etiam *ordine* recenseantur in Ep. ad *Gal.* 2. 9. *Et quum cognovissent gratiam quæ data est mihi, Jacobus & Cephas & Johannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ Societatis*, &c. *Jacobum* hic non alium intelligi quàm *Apostolum* constat è Cap. 1. 19. Nec alium *Cepham* quàm S. *Petrum* testis est *Clemens* in Epist. ad *Corinthios*. Neque verò erat è re Apostoli *Pauli* ut alios adduceret *Apostolatûs*

Act. 15. 7.
v. 13.

ſtolatûs ſui *teſtes* quàm *primarios* Domini, cum in terris ageret, *Apoſtolos*. Ergo inter XII. *columnæ* erant hi, id eſt, *eminebant* eo, quo hic recenſentur, ordine. *Primus* hic S. *Jacobus* Domini noſtri *hæres*, qui in ſententiâ dicendâ ultimus. *Proximus* S. *Petrus*. Quem enim tenuit, Domino ſuperſtite, locum *primarii Apoſtoli*, eundem tenuit ſub *hærede* ejus atque *Succeſſore*. *Tertius* S. *Johannes*, *dilectus* nimirum *Diſcipulus*, quique locum habuerat in *accubitu* primarium, ut ſolus in ejuſdem *ſinum* incumberet. Rectè autem hi *columnæ* dicuntur inter Apoſtolos quòd *propriâ* quâdam dignitate honorârit illos Dominus, præ aliis *Apoſtolis*. Non alios adhibuit *Transfigurationis* teſtes, S.*Matth*. 17. 1,2. *Marc*. 9. 2. S. *Luc*. 9. 28, 29. quâ certè gratiâ ipſi ſolebant ſuum commendare *Apoſtolatum*, 2 *Pet*. 1. 16, 17, 18. *Joan*. 1. 14. 1 *Joan*. 1. 1,2, 3. Ut enim proprio ſuo quodam jure Αὐτόπται λόγου audiebant *Apoſtoli*,

postoli, S. *Luc.* 1. 2. Et proinde *Apostolatum* suum S. *Paulus* exinde probat quòd *Dominm vidisset*, 1 *Cor.* 9. 1. sic, præ aliorum Apostolorum αὐτοψίᾳ, eximium quippiam habebat *hæc* quæ horum erat propria, quod reliqui *hominem* duntaxat, hi ipsum etiam λόγον vidissent quâ quidem *humanis* patebat *aspectibus*. Ut itaque aliorum Apostolorum communis erat αὐτοψία, hanc propriâ voce ἐποψίαν appellat prædicto loco S. *Petrus* v. 16. voce nimirum à *Mysteriis* desumptâ, quæque *summum* designabat eorum sanctissimumque gradum. Nec aliis in *conclave* Dominus introire permisit cum Archisynagogi filiam à mortuis excitaret, *Marc.* 5. 37. *Luc.* 8. 51. Nec alios adhibuit testes Orationis in *horto*, & *sudoris sanguinei*, & *confortantis Angeli*, S. *Matth.* 26. 37. *Marc.* 14. 33. Fateor equidem de *Jacobo Zebedæi* filio S. *Joannis* fratre horum nonnulla, esse intelligenda. Sed cum hoc etiam

in

Hegesip. ap. Eus. *Hist. Eccl.* L. 2. c. 1.

in loco videamus *tres* præcipuos præ aliis *Apostolos*, post cædem filii *Zebedæi*; cum & Scriptor vetustissimus *Hegesippus*, eosdem memoret, quos ait etiam ὑπὸ τοῦ κυρίου προτετιμημένους, & fuisse dono γνώσεως præ aliis instructos: constat proinde utr, ejecto *Judâ*, suppletus fuit numerus *duodenarius*; sic, occiso *Jacobo Zebedæi*, suffectum in ejus locum *Jacobum minorem* filium *Alphæi*, atque ita suppletum esse *ternarium*; utque *gratiæ* Domini *singularis* in hoc *ternario* rationem præcipuè habuerunt, proinde consentaneum est ut & hic *Jacobus* singulari Domini *gratiâ* floruerit, Ut proinde & ex illis, quas dixi, gratiis probabile sit *Alphæi* filio nonnullas esse tribuendas. Ita *numeros* Collegii servârunt integros dum *Apostoli* hærerent *Hierosolymis*. Ita S. *Jacobus* Collegii Apostolici Præses *Patriarcham Judaicum* repræsentabat qualem suprà descripsimus ex *Epiphanio*. Erat enim & illud etiam Officium, apud

Judæos

Judæos, hæreditarium. Sed *Collegium* illud *Apostolorum* primariorum ita dissolvit eorum illa *dispersio* quæ Evangelii inter *Gentes* propagandi causâ facta est, ut nunquam rursùs in unum convenerint. Non tamen ideo defecit Ecclesiæ *Hierosolymitanæ* dignitas. *Successio* illa à Domino *hæreditaria* ad *Trajanum* usque duravit, quo Imperante passum *Simeonem Cleopæ*, extinctamque unà cum eo familiam *Davidicam* Ann. Dom. 116. ali- *Dissert.* Cyprian. 11. *num.*
bi ostendimus.

§. 16. Utque in locum *Domini* primarium *Successio* erat, pro *cognationis* Jure, *Hæreditaria*; ita probabile est in locum *Apostolorum* discedentium alios successisse Domini *cognatos*. *Judæ* enim illi ἀπόγονοι (quorum meminit *Hegesippus*) ad hæc eadem permanserunt *Trajani* tempora illius, jussu, ut videtur, interfecti, propter Familiam *Davidicam*. Illos autem ἡγήσασθαι τῶν Ἐκκλησιῶν, ὡς ἂν δὴ μάρτυρας ὁμοῦ, καὶ ἀπὸ γένους ὄντας Κυ-

Euſeb. *Hiſt. Eccl.* 3. 20. L. 3. c. 32.

ϕἶυ, eodem *Hegeſippo* Autore tradit *Euſebius*. Eadem *Hegeſippi* verba retulit alio in loco *Euſebius* niſi, quòd pro τῶν Ἐκκλησιῶν ibi πάσης dicat Ἐκκλησίας. Ergo Eccleſiæ *univerſæ* præfuerunt illi δεσπόσυνοι, quorum meminit, ſub eo nomine, etiam *Africanus*. At Eccleſiæ *Univerſæ* præeſſe non poterant ipſi utique non *Apoſtoli*, ni eo, quo dixi, modo, ſucceſſiſſent in locum *Apoſtolorum*. Dederat nimirum Dominus exemplum qui tot *cognatos* ſuos in eum *Apoſtolorum* Ordinem allegerat: *Jacobum* ipſum proximum ejus Succeſſorem,(rectè enim, ut exiſtimo, *Alphæum Jacobi Patrem* eundem putat vir Doctiſſimus cum *Cleopâ*, ſeu *Clopâ*, nullo alio notabili diſcrimine quàm quòd Linguæ *Syriacæ* Aſpirationem ſuſtulerint *Græci*, aliaſque ſubſtituerint Vocales, quæ duo fieri ſolent ab illis ſæpiſſimè) *Simeonem* hunc noſtrum *Cleopæ*,quem eundem puto cum *Cannite Syriacè* (ſic enim legendum) aut Ζηλω-

Thorndicius.

τῆ

τῇ Græcè: Et *Judam* horum ἀπο-γόνων avum. Sic enim appellatur, *Act.* 1. 13. quem Evangelistæ nunc *Lebbæum* appellant, nunc *Thaddæum* (erant enim ea Cognominum multitudo apud *Syros* longe frequentissima) *Jacobi* fratrem, *Cleopæ* proinde filium, & *Mariæ* illius, quæ ut ab aliis *Mariis* distinguatur, *Cleopæ* dicitur, quòd fuerit *Cleopæ* nimirum uxor. Permansit itaque, postquam *Pellam* concessissent *Christiani*, *Oecumenicum* illud Ecclesiæ *Regimen*, cum tamen tributa *Templo* pendenda jamdiu antea sustulisset *Vespasianus*, *fisco* deinde solvenda. Postea deficiente Familiâ *Domini* & *Davidicâ*, & novâ *Christianorum Gentilium* Coloniâ ab *Adriano* in *Æliam* suam introductâ, quæ nec *Circumcisione* usa est, nec *Judæam* præ se ferret originem; jam nihil habebat Ecclesia *Hierosolymitana*, præ aliis Ecclesiis eximium, sed pari omnes honore invicem colebant.

§. 17. Quòd ergo legimus in Ecclesiâ *Hierosolymitanâ Presbyteros* post illam equidem, quam dixi Epocham *Pisidiensem*, ante tamen quam discesserat Ecclesia *Hierosolymitana* à *Synagogâ* (improbabant enim *Christiani Hierosolymitani* illam quam docuerat Apostolus *Paulus* discessionem) factum id oportet *Curæ* pòtius ac *Officii* causâ quàm *Regiminis Ecclesiastici.* Ad *Presbyteros* attinebat cura *Pauperum* uti discimus è 1 *Pet.* 5. 2. 3. de re enim *nummariâ* ibi esse sermonem alibi probavimus. Ut igitur eâ causâ constat institutos ab Apostolis fuisse *Diaconos,* Act. 6. 3. sic crescente indies eâ curâ, & cum tanta essent Provincialium *tributa* inter illos distribuenda; probabile est alios postea muneri illi *nummario* fuisse Præfectos. Nec enim videbatur augendus numerus *Diaconorum* propter Mysticam *Septenarii* & sacram rationem. Et ut *distributio* fortè pertinuerit ad *Diaconos*; At potestas constituendi quæ summa

Diss. Cypr. 1.

ma eſſet quos in *uſus* aſſignanda, majoris erat fidei quàm ut temerè poſſit credi *Diaconis*, verè nimirum *Apoſtolica*. Illam igitur *Apoſtolici* muneris partem communicandam conſuerunt cum *Presbyteris*. Inde συμπρεσβυτέρους ſalutavit *Presbyteros* S. *Petrus*. Inde πρεσβύτερον ſe agnoſcit S. *Joannes*, ſi tamen idem S. *Joannes Apoſtolus* cum *Presbytero* cenſendus ſit. Sic enim *Collegas* in ipſo munere *Apoſtolico Presbyteros* agnoſcunt *Apoſtoli*. Inde fortaſſe duplicato numero *Apoſtolis* reſponderunt. Ut enim formam *Eccleſiaſticorum Conſeſſuum* repræſentat in ſuis Viſionibus *Apocalyptes*; ſic & numerum xxiv. *Presbyterorum* ſimilem in *Presbyteriis Eccleſiaſticis* numerum expreſſiſſe eſt ſanè veriſimillimum. Aliud diſcimus è S. *Jacobo* officium *Presbyterorum*, ut nempe *orarent* cum *ægrotantibus* S. *Jacob*. 5. 14. Hoc etiam nomine non ſoli ſufficiebant *Apoſtoli* ad curam *Plebis Chriſtianæ* numeroſiſſimæ, atque indies aucti-

auctioris. Nullum tamen legimus eorum in Ecclesiæ *Regimine* Officium, aut etiam in *Synaxibus* ante illam, quam dixi, *Ecclesiæ* à *Synagogâ* discessionem. Non est tamen, ut dixi ab Ecclesiæ *Hierosolymitanæ* omnium primariæ exemplo de aliis quibuscunque temerè statuendum.

§. 18. Ex illo nihilominùs, quem produxi, *Hermæ* loco constat, pulsos jam ætate *Hermæ* (paulò ante persecutionem *Domitiani* An. Dom. XCV.) è *secundo* ab *Apostolis* loco *Prophetas*, in eorundem locum successisse Ordinarios Ecclesiæ *Episcopos*, proximos Episcopis *Doctores*, Doctoribus *Ministros*, nempe *Diaconos*; ita *Prophetas* Ordini *Sacerdotali* universo fuisse subjectos. Adhuc enim in Ecclesiâ fuisse *Prophetas*, alibi fecimus, ni fallor, abunde manifestum. Indagandum itaque hoc quibus tandem gradibus, quoque *Jure* sit factum. Dixi ergo non uno eodemque tempore factam, sed gradatim, prout occasionem dabat

Dissert. Cyprian. 4.

Judæorum,

Judæorum, in quocunque loco, malignitas, *Ecclesiæ* à *Synagogis* disceſſionem. Poſt diſceſſionem *Pisidienſem*, aliorum locorum *Synagogis* uſus eſt *Apoſtolus*, dum veniret *Epheſum*. Hìc etiam tribus primis menſibus diſputavit in *Synagogâ* Act. 19. 8. Tandem *blaſphemantibus* Judæis *Epheſinis*, diſceſſit, ſegregavitque Diſcipulos in Scholam *Tyranni*, v. 9. Contigit hæc ſecunda diſceſſio, Anno Ær. vulg. pro noſtris rationibus, 51. *An.* 51.
Hìc tribus, in univerſum, Annis verſatus eſt, quo tempore omnes qui habitabant in *Aſiâ audiebant verbum Dei, Judæi atque Gentiles*, quos omnes à *Synagogâ* ſimiliter *diſceſſiſſe* probabile eſt. Inde factum ut huc reverſus An. 54. *Presbyteros Epheſinos Miletum* accerſiverit, *Act.* 20. 17. ſeu *Epiſcopos*, v. 28. à ſe viz. in morâ *trienni* conſtitutos. *Epheſo* movet ſecundâ vice in *Macedoniam* poſt *Pentecoſten* Anni 53. in quâ *diſceſſionem* *An.* 53.
factam probabile eſt, quòd perverſiſſimos

ſiſſimos ibi expertus eſſet antea *Judæos*, tum quod in Epiſtolâ datâ è primâ Captivitate *Romanâ* Anno circiter 59. ſalutet *Philippenſis* Eccleſiæ *Epiſcopos* & *Diaconos*. Primâ enim acceſſione, propter *Perſecutionem* accerbiſſimam brevior, erat mora quam ut conſtitutos tunc credamus Eccleſiæ Officiarios. Quid quod nulla ſit *Rectorum* mentio in utrâvis Epiſtolâ ad *Theſſalonicenſes* quæ ambæ ſcriptæ ſunt poſt *primam* ejus in *Macedoniam* acceſſi-
An. 49. onem, ante *ſecundam*, Anno 49. Nec verò unquam eò reverſus eſt antequam ſcriberet illam, quam dixi, ad *Philippenſes* Epiſtolam. Sub ejuſdem Anni finem, aut ſequentis fortaſſe potiùs 54. initium, *Corinthum* venit, *Helladis* Metropolim Act. 20. 2. Inde dedit Epiſtolam ad *Romanos*, ſuperſt te adhuc *Narciſſo*, qui ſub hujus Anni finem perierit. In eâ ita loquitur de *Judæis* quaſi maximâ jam ex parte à Deo rejectis, propter ſuam illam, ut videtur, diſceſſionem,

nem, & *pulveris* in illos ſolennem excuſſionem, quam Chirſtus rece-perat ratam ſe in cœlis habiturum. Quò etiam ſpectat Accuſatio illa Apoſtoli, à *Judæo Chriſtianis Hieroſolymitanis* (quo venerat Apolos hoc ipſo, ut videtur, *Anno* 54.) *An.* 54. Audierant enim de eo quia *diſceſſionem docuerat à Moyſe eorum qui per gentes ſunt Judæorum.* *Act.* 21. 21. Ita fateor in Editione *Vulgatâ*, & in Codice *Græco Alexandrino*, τοὺς κατὰ τὰ ἔθνη ὄντας, & in aliis bonæ fidei Codicibus. *Græca* autem vulgata habent πάντας. Hanc ſi Lectionem ſequamur, jam diſceſſionem in *pleriſque* locis fecerit Apoſtolus. Sed fateor aliam hìc *diſceſſionem* intelligi poſſe. Non à *Synagogis maledicentium blaſphemantiumque*, (nec enim *fidelibus Judæis* ea erat diſplicitura *diſceſſio*) ſed à *Moyſe*, à *Lege* nimirum ipſâ, ut indicant ſequentia. Proinde à *Synagogis* fideles etiam *Hieroſolymis Judæos* diſceſſiſſe veriſimile eſt. Legimus equidem *Apoſtolum* in

Templum introiisse, non item in *Synagogas*. Erat autem *Templi* & *Synagogarum* disciplina diversissima. Potiùs itaque ex eo quòd discessionem illam à *blasphemantium* persequentiumque *Judæorum* Synagogis non exprobrant Apostolo *Judæi Hierosolymitani*, colligi videtur non fuisse utique ab illis improbatam. Proinde jam *ubique* factam verisimile est. Sic itaque in illâ quoque perambulatione *Galatiæ* & *Phrygiæ*, confirmandi gratiâ factâ, *discessionem* fuisse probabile est, & constitutos fuisse in Ec-
An. 50, clesiâ *Rectores*. Contigit ea *Anno* 50. Porro jubetur *Titus* constituere per *Civitates Presbyteros*. Sed prima erat ea *Cretensium*, ut existimo, conversio. Nimirum scripsit ea *Nicopoli* hyematurus, sequentis Anni mari *libero* transmissurus in *Italiam*, & Martyrii palmam accep-
Ad. 63. turus. Congruunt hæc Anno 63. post primam Captivitatem. Nec enim in *Actorum* Historiâ S. Apostolum in *Cretam* appulisse legimus.

mus. Ergo eo, quo dixi, Anno *Cretenſes* converterit Apoſtolus; ſed diſcedere antea coactus eſt quàm poſſet eos ita converſos in *Christianæ* fidei profeſſione *conſummare*. Proinde *Titum Cretæ* reliquit, *ut ea* (inquit) *quæ deſunt, corrigas*, τὰ λείποντα. Ea λείποντα non alia memorat quàm *Rectorum* in *Eccleſiis* conſtitutionem. Ergo jam adeò *neceſſarios* credidit in Eccleſiis illos *Rectores*, ut nullas expectaret *Judæorum maledictiones* atque *blaſphemias*, quin imperfectas eas cenſeret Eccleſias quibus non fuiſſent *Rectores*, nec illi modò in *Metropoli* (ut in Converſione *Aſiæ* Proconſularis *Presbyteros Epheſi* conſtituit) ſed in *ſingulis* etiam Metropoli ſubjectis *Civitatibus*. Inde intelligimus quid intelligendum veniat per ἐπιστηριγμὸν illum, quo ſolebat Apoſtolus locos antea converſos denuò viſitare. Nempe ut τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ, *Presbyteros* nimirum *per Eccleſias* conſtitueret. Relictis jam penitus *Judeorum*

rum Synagogis, alia jam *Corpora* politica constituebant *Christiani*, ut deinceps aliud necessarium esset *Regimen*, aliique *Rectores Ordinarii*.

§. 19. Ergo cum in *Synagogarum* locum successissent hæc Ecclesiæ *Corpora Politica* (per *discessionem* nimirum à *Synagogis*) non est proinde quod dubitemus quin in Synagogarum *Jura Potestatemque* successerint Ecclesiarum *Rectores*. Atqui *Judæorum* omnis in Sacris *Jurisdictio* à *Synagogis* fere potius, quàm à *Templo*, pendebat. *Templi* nulla erat, atque *Sacerdotum Hierosolymitanorum*, præterquam in causis gravissimis atque *piacularibus*. Sic in *Græco Amphictyonum* Concilio nusquam legimus sententias Decretas præterquam in *Communitates* aut *publicas* alioqui *Personas*, & quidem illas cum *diris* & *nominum execratione* atque *Anathematismis*. Quæ *Personarum* essent *singularum*, eæ ad propria cujusque *Civitatis* fora spectabant atque

atque Ttibunalia, *Athenis* ad *Areopagum*, in aliis *Civitatibus* ad sua cujusque *Sacrorum Concilia*. Sic itaque res habebat apud *Judæos*. *Civitatum*, seu *Palæstinarum*, seu etiam διασπορᾶς, in Sacris *Jurisdictio*, propria erat *Synagogæ*. In *Synagogis* erant *Consessus* & *sedes* in Consessu *primariæ Archisynagogis* destinatæ. In *Synagogis docebant*, ut in *Ecclesiis* etiam primævi docebant *Christiani*. In *Synagogis flagellabant*, nimirum in *Sacra* delinquentes. Tandem illos de quorum fruge meliori desperabant, ἀποσυναγώγους faciebant, id est, *Synagogis* excludebant. Inde factum ut in quibusdam *Synagogis* cæsi, in aliis reciperentur, *Apostoli*; inde quòd à quibusdam *discedentes* cum aliis *unitatem* colerent atque *concordiam*. Quòd nimirum ad alteram *Civitatem* aut *Synagogam* non spectaret alterius *Civitatis* aut *Synagogæ* Jurisdictio. *Templo* nullos legimus exclusos, atque *Sacrificiis Publicis*, nisi cum *diris*, & non

Matth. 10. 17. 23. 34. Marc. 13. 9. Act. 22. 19. 26. 11.

non alios utique quàm *Communitates.* Sic *Samaritanos* Excommunicabant *Eſdras* atque alii deinde *Judæi* univerſi. Sic & *Chriſtianos*
Juſtin. *Dialog. cum* Tryphon. *diirs* devotos per ἐκλεκτοὺς in omnes διασπορᾶς Provincias miſſos, teſte *Juſtino* Martyre. Autorem illius crediderim fuiſſe *Barchochebam*
Juſtin. *Ap.* *Chriſtiani* nominis hoſtem longe infenſiſſimum.

§.20. Habebant itaque *Eccleſiæ*, pro jure *Synagogæ*, tam *docendi*, quàm etiam *Judicandi*, cauſâ, *Conſeſſus*, nec diſſimiles *Sedium* ab invicem, pro *loci* dignitate, diſtinctiones. Habebant etiam eandem poteſtatem *Rectores* quam habuerant antea *Synagogarum Conſeſſus*, non quidem *Secularem* flagellandi, aut pœnis iſtiuſmodi *Secularibus* multandi (hoc enim illis indulſerant Reſcripta *Imperatorum*) ſed *moralem* illam omnino, ab eorum Officio inſeparabilem, excludendi ab *Eccleſiis*, arcendique ab Eccleſiarum *Officiis publicis*, eorumque *beneficiis*. Habebant & illam *moderandi*

randi publicos Ecclesiarum Conventus, nequis possit, eorum injussu, publicum aliquod exercere in *Synaxibus* Officium. In eo tamen, habebant *Ecclesiæ* Potestatem, quàm *Synagogæ*, majorem,quòd in Officiis *Ecclesiasticarum* Synaxeon quædam essent *Sacerdotalia*, cujusmodi nulla propriè sic dicta vendicabant sibi *Synagogæ*. Propria enim illa crediderunt, & credunt etiamnum hodieque *Judæi*, Civitatis *Hierosolymitanæ*, & scelus esse atque *piaculum* siquis alibi sacrificaret præterquam *Hierosolymis*. At suprema omnium Officia *Sacerdotalia*, etiam *Sacrificia*, in singularum *Civitatum* Synaxibus *Ecclesiasticis* peraguntur. Ea nimirum *Sacrificia* intelligo quæ locum habent inter *Christianos*, nempe *Eucharistica*. Nec verò *locum* aliquem aut *Civitatem* agnoverunt Primævi *Christiani*, qualis fuit apud *Judæos* Urbs *Hierosolymitana*, cujus propria aliqua agnoscant in Jure *Sacrificandi* Privilegia. Quin illud

poti-

de un. Sacerd. & *un.* Altor.

potiùs alibi oſtendi, è verbis Domini ad mulierem *Samaritanam*, polliceri Dominum, forè utique ſub *Evangelio*, ut ſingularum *Vrbium Eccleſiarumque* Jura tanta ſint quanta erant pro *Samaritanorum* opinione, Templi *Gerizitani*; pro *Judæorum* verò, *Hieroſolymitani.* Ita ſequetur non *Synagogæ* ſolius Jura, ſed etiam *Templi Hieroſolymitani*, in *Eccleſiam* tranſiiſſe. Sequitur, ut minùs neceſſarium fuerit *Sacerdotes* eſſe qui *Synagogis* præeſſent, in quibus nullum erat Officium *Sacerdotale*; neceſſarium tamen fuiſſe ut non alii admitterentur ad *Eccleſiæ* Regimen quàm *Sacerdotes*, quibus deinde commiſſa erat cura *Officiorum* propriè *Sacerdotalium*. Sequetur ut *Synagogarum* Cenſuræ non eſſent neceſſariò ab *aliis* Synagogis confirmandæ, Eccleſiarum tamen qualeſcunque in ſuos *ſubditos* Cenſuras apud *alias* omnes Eccleſias ratas eſſe oportere. Agunt enim *Eccleſiæ*, pro Jure *Templi*, ut dixi, *Hieroſolymitani* quod, Jus habebat

omnium

omnium, uti dixi, *Synagogarum.* Agunt *Sacerdotes*, pro Jure *Sacrificiorum* quibus Universi *Christianorum* corporis *Unitas* non *repræsentabatur* duntaxat, sed *coalescebat* etiam, & Divinæ Institutionis virtute *facta* est, ut proinde *Uni* esse non possent cum *Deo* atque *Christo* cum quibus *unus* esset, qui fuisset à *Deo* atque *Christo* ejus legitimè *separatus.* Agunt *Sacerdotes* ipsius *Christi* Personam, cujus *nomine* quæ gesta sunt ea, apud omnes *Christianos* rata esse oportere nihil est quod dubitemus. Quid quòd *Ecclesiasticarum* Synaxeon *Beneficia* istiusmodi sint ut nequeant in *unâ* Ecclesiâ rata esse, in *aliis* irrita. Qui *unus* est cum *Christo* & *Patre* & cum *universâ Ecclesiâ* Catholicâ; qui *pactus* est cum iis, & consecutus est Pacti illius *Beneficia*, Jus ad *Promissa* futuræ vitæ Præmia, *remissionemque Peccatorum*; qui *Spiritum Sanctum* consecutus est *Unitatis* Mysticæ *vinculum*; fieri nequit ut in *unâ* habeat Ecclesiâ,

in *aliis* careat. Longe aliter ſe res habet in *Corpore Politico* cujus Privilegia omnia Sacra *Externa* ſunt duntaxat, hujuſque *vitæ*, qualia erant *Synagogæ*. Sequetur denique non *minorem* illam duntaxat ἀποσυναγωγίας Cenſuram *Eccleſiæ* deberi ut ſuccedenti in locum *Synagogæ*; ſed *majorem quoque* illam cum *Anathematiſmo* quæ *Templi* erat, quippe cui *Templi* etiam *Jura* convenire diximus. Nec aliò reſſpexit Apoſtolus, 1 *Cor.* 16. 22. Gal. 1. 8, 9. qui Jure illo etiam *uſus* eſt. *Apoſtolorum* enim Jura *Ordinaria* à *Judæorum* Juribus itidem *Ordinariis* accepta, in *Eccleſiam* tandem eſſe devoluta certiſſimum eſt. Ita videmus ut poſſint hæc *Eccleſiæ* Jura adverſùs viros ſummos *Eraſtum Seldenumque* defendi. Fruſtrà *Seldenus* è *Rabbinis* contraria omnia pronunciat. Ex quo enim periit apud *Judæos Sacerdotalis* Poteſtatis *uſus*, periit apud eoſdem Poteſtatis illius etiam ipſa *cognitio*. Nos hæc tamen óbiter

ter duntaxat impræſentiarùm, ut oſtenderemus Poteſtatem illam *Rectorum Eccleſiaſticorum* jure fuiſſe *Sacerdotalem.*

§. 21. Inde ſequebatur *Prophetarum* etiam munera *Sacerdotalia* quæ ſaltem in Eccleſiaſticis *Synaxibus* præſtarentur, *Ordinariis* Eccleſiarum *Rectoribus* fuiſſe obnoxia. Cum enim Poteſtatem nullam haberent, qualem *Synagogæ*, Secularem; proinde in eo ſita eſt vis ea omnis quam habebant ad homines in obſequium cogendos, quòd ſoli deinde Poteſtatem habuerint *Officiorum Sacerdotalium*, & cum Officiis *Beneficiorum* etiam Officia illa conſequentium. Inde videmus quàm fuerit neceſſarium ut æmuli omnes in Poteſtate *Sacerdotali* illis ſubjicerentur, præſertim *Prophetæ*, non illi quidem tales pro *Officio*, ſed pro re natâ, atque extemporanei. Nec modò aſſerendi Juris *Sacerdotalis* nomine hoc erat neceſſarium, ſed eo etiam quòd maximas jam dediſſent in Synaxibus turbas

iſtiuſmodi *Prophetæ*, magnum ipſis etiam Gentilibus *ſcandalum*, & præcipua fuiſſe videantur occaſio conſtituendorum Eccleſiæ *Rectorum*. Quàm fuerint apud *Corinthios* moleſti anteâ obſervavimus. Adeò ſe indecore gerebant ut pro *inſanis* viderentur habendi, 1 *Cor.* 14. 23. Sic enim Infideles cum plures unà, ſimiliter ut apud Corinthios, nec ullo ordine loquentes audirent, *alii irridentes dicebant*,
Act. 2. 13. *Quia muſto pleni ſunt iſti.* Proinde neceſſe habuit Apoſtolus eos etiam à *contemptu* vindicare apud *Chri-*
1 Theſ. 5. 19. 20, 21. *ſtianos* etiam *Theſſalonicenſes*, ſed *Neophytos* & recenter à Gentilium errore converſos. *Spiritum* (inquit) *nolite extinguere. Prophetias nolite ſpernere. Omnia autem probate, quod bonum eſt tenete.* Adeo in ludibrium venerant propter ſuam ἀταξίαν *Prophetæ*, ut de *Prophetico Spiritu* penitùs *extinguendo* conſilium iniierint *Theſſalonicenſes*, quod ne fieret dehortatur Apoſtolus. Suadet potiùs nequam

quam viderentur, propter *Prophetas*, contumeliam ipsi *Prophetico Spiritui* inferre, nempe ptopter atrocitatem idgenus dilectorum quæ in *Spiritum* commissa viderentur, & propter gravissimum illud *vindictæ* genus quod legerant in Veteri Testamento in *Prophetici Spiritûs* contemptores edi solitum. *Aptissima* enim, pro receptis *Judæorum* opinionibus, hæc erant Argumenta ad id commendandum quod suadebat Apostolus. Id certum reprehensos ab Apostolo ἀτακτήσαντας 2 *Thess*. 3. 6, 7. Certum etiam hoc etiam ipso ἀταξίας nomine sugillari ab eo *Prophetas*, 1 *Cor*. 14. 40. Certum denique pollicitum esse *Corinthiis* Apostolum, quæ præter ordinem fuissent ab illis admissa, ea se, cum ad illos rediisset, διατάξόμενον, 1 *Cor*. 11. 34. Proinde verisimile est, *Prophetas* ἀτακτοῦντας ab eo in Ordinem fuisse redactos, & *Rectoribus*, quos reversus constituerit, *Ecclesiasticis* fuisse subjectos.

§. 22.

§. 22. Ita certè fuiſſe, in hâc ipſâ Eccleſiâ *Corinthiacâ*, Teſtem habemus coævum *Clementem Romanum*. Scripſit ad *Corinthios* S. *Paulus* circiter Annum 53. Scripſit ad eoſdem S. *Clemens* ſub finem An. ut exiſtimo, 64, aut 65. initium, ubi quieviſſet Perſecutio *Neronis* de *Urbis* incendio, in quâ paſſi videntur Apoſtoli. Jam autem conſtat, quando ſcripſit *Clemens*, non *Corinthi* modò, ſed ubique κατὰ χώρας καὶ πόλεις conſtitutos fuiſſe ab Apoſtolis *Rectores Eccleſiaſticos*. Nec id *nuper*, ſed
Clem. Rom. Ep. ad Corinth. num. 42. aliquot *antea* Annis. Jam enim *deceſſerant* aliqui eorum qui fuiſſent ab *Apoſtolo* conſtituti, *ſuffectis* in eorum locum aliis, ita tamen ut ſupereſſent etiam multi. Jam
N. 44. πολλοῖς χρόνοις ſui in officio dediſſent experimentum, & Teſtimonium ab omnibus præclarum reportâſſent. Jam ἀρχαία erat *Corinthiorum* Eccleſia, ab illâ nimirum *Evangelii* ἀρχῇ cujus meminit *Clemens*, meminit etiam *Apoſtolus*, quâ

quâ scripserit nimirum Apostolus primam suam ad *Corinthios* Epistolam. Sic ἀρχαῖος μαθητὴς *Mnason* Act. 21. 16. Nec enim necesse est ut propterea Temporibus admodum ab initio illo remotis scriptam hanc Epistolam existimemus. Occasio autem hujus Epistolæ erat Seditio *Spiritualium* in *Presbyteros*, quæ etiam ἐπίμονος erat, usque adeo ut in *Schisma* proruperint manifestam rebelles *Spirituales*, & *Presbyteros* loco suo dejecerint, & sibi *Laici* illi *Prophetæ Sacerdotalia* munera non utique *Sacerdotii*, sed *Prophetiæ*, Titulo vendicârint. Quòd *Donorum Spiritualium* prætextu has turbas excitârint ostendunt *Donorum* diserta mentio §. 23. Σοφίας mentio §. 38. Πίστεως, Γνώσεως, Διακρίσεως λόγων §. 48. Ostendunt longæ illæ adversùs Ζῆλον Disputationes, eundem nimirum illum Ζῆλον cujus meminit Apostolus 1 *Cor*, 3. 3. quem & Ζῆλον τῶν πνευματικῶν appellat Cap. 14. 1. Dejectos constat ab

illis

illis fuiſſe *Presbyteros*. §. 44. *Laicos* fuiſſe, & tamen munera *Sacerdotalia* adminiſtrâſſe oſtendunt illa ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασιν δέδεται. §. 40. Egreſſos ordinem *Laicorum* illa proximè ſequentia: Ἕκαστος ὑμῶν, Ἀδελφοὶ, ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι εὐχαριστείτω Θεῷ. E voce illâ εὐχαριστείτω probabile eſt *Euchariſtiam* ab illis fuiſſe conſecratam, ut ſuprà εὐχαριστίας ἐν τῷ πνεύματι inter *Dona Spiritualia* meminiſſe vidimus Apoſtolum. Certè cum *Preſbyteris* ſuis δῶρων προσφορὰν tribuit, & λειτουργίαν, iiſdem utitur omnino verbis in deſignando *Evangelii Sacerdotio* quibus fuerat uſus in *Levitico*. N. 40, 41. Innuit igitur erepta hæc fuiſſe à ſuis, ſeu *Presbyteris*, ſeu etiam *Epiſcopis*, munera; & viciſſim ab illis uſurpata qui locum *Laicorum* egreſſi in *Sacerdotii* officia ſeſe ingeſſiſſent. Vindicat tamen adverſus hos Sacrilegos *Spirituales* Sacerdotii *ſanctimoniam*, & quidem ita vindicat ut

Deum

Deum faciat illius *Sanctimoniæ* Autorem, N. 40, 43. ut *Apostolos*, N. 42, 44. ipso etiam *Deo* illis Autore, N. 42. Et ut intelligamus de *Sacerdotii* muneribus fuisse hunc Schismaticorum *Zelum*, proponit in exemplum similem *Judæorum* de *Sacerdotio* Zelum. Ζήλου (inquit) ἐμπεσόντος περὶ τῆς Ἱερωσύνης N. 43. quam tamen *Judæorum* contentionem Deus *virgæ Aaronicæ* germinatione diremerit. Frustrà enim id nimirum ille, ni eadem valuisset in *Schismaticorum* causâ, etiam sub *Evangelio*, Argumentatio, ni ita etiam credidissent coævi *Clementi* Christiani. Frustrà ille, ni *Evangelii Ministros* similiter pro *Sacerdotibus* habuisset; ni parem ille credidisset *Sacerdotii* Evangelici præ *Plebe* etiam Evangelicâ *Sanctimoniam*, ac *Sacerdotii* Israelitici præ *Plebe* etiam similiter *Israeliticâ*. Et verò, N. 44. respondet ἀπόδοσις manifestissima. Ἔρις ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς Ἐπισκοπῆς N. 44. respondet ζήλῳ περὶ

τῆς ἱερωσύνης, N. 43. Πρόγνωσις *Apostolorum* de futurâ illâ contentione N. 44. & eorum παραγγελίαι N. 42. respondet διατάξει per *Mosem* N. 43. ut *Deum* similiter Autorem habuerint in constituendâ *Sacerdotii* Evangelici *Sanctimoniâ*, ac habuerit *Moses* in Sacerdotio *Levitico*. Respondet *sanctificatio* illa per *Successionem* ab *Apostolis* ad viros ἐλλογίμους, ab illis ad *Successores* in officio *Presbyteratûs* atque *Episcopatûs* N. 44. Sanctificationi Tribûs *Levitici* à Deo per *Mosem* per germinantis *virgæ Aaronicæ* miraculum N. 43. Respondet θανατὸς τὸ πρόστιμον violati *Sacerdotii Mosaici* N. 41. Pœnæ utique *mortis spiritualis*, siquis Sacerdotium *Evangelicum* similiter violaverit. Sic itaque si *Clementem* audiamus, & *Sacerdotalem* Potestatem crediderunt Ecclesiæ *Rectoribus Ordinariis* Apostoli, & *solis* illam crediderunt Ecclesiæ *Rectoribus*; *Prophetas* ita Potestate *Sacerdotali* omni exuerunt, ut penitus

nitus

nitus illos ſubjecerint Eccleſiæ *Rectoribus Ordinariis*, ut ne ea quidem Officia illis permiſerint in Eccleſiâ quæ *Chriſtianis* omnibus ſub *Prophetarum* nomine patuerant in *Synagogâ*; adeo omni *Sacerdotum* etiam *Jure*, ut ne alio quidem in loco habendi eſſent quàm quo reliquæ familiæ *Iſraeliticæ* reſpectu Familiæ *Aaronicæ Sacerdotalis*, ut planè *Laicis* accenſeat. Non eſt autem ut potuerit falli *Clemens* in materiâ *Facti*, in cauſâ adeo omnibus notoriâ, in memoriâ adeo recenti, in tantâ ejus cum Apoſtolis familiaritate, cum eo ipſo Apoſtolo qui *Corinthios* converterat atqe diſpoſuerat, in tam præclaro quem tenuit ille, & in *Eccleſiâ* etiam tam præclarâ, *loco*.

§. 23. Sic intelligimus *Tertullianum*, *Eccleſiam* eſſe quæ *differentiam* inter *Ordinem* & *Plebem conſtituerit*, & *honorem* ejus per *Ordinis Conſeſſum ſanctificatum*, non de *Decreto* aliquo *Eccleſiaſtico*, ſed de *rei* illius *exigentiâ* quam *Eccleſiam*

appellamus. *Ecclesiæ* enim nomine non quamlibet intelligimus Fidelium multitudinem, sed talem illam quæ *Corpus* quoddam *Politicum* constituat sub propriis *Rectoribus*, & quidem illis *Ordinariis*; talem nimirum illam qualis ante 12. à *Christi Ascensione*, ut jam ostendi, annum nulla unquam extitit. Hanc itaque *Ecclesiam* ostendi necessariò postulare, pro ipsâ ejus *Constitutione*, non modò ut *Rectores* ejus ipsi essent *Sacerdotes*, sed ut munerum *Sacerdotalium* omnium in *Synaxibus* præstandorum (& verò nulla sunt quæ non propriè ad *Synaxes* spectent, *Baptismus* etiam *Privatus* Jus tamen confert ut qui ita *Baptizati* fuerint, agnoscantur postea in *Synaxibus* pro *membris Ecclesiæ*) soli habeant Potestatem. Inde factum ut cum antea omnes, pro Jure *Prophetarum*, munera *Sacerdotalia* exercere possent, nec ulla esset proinde *Ordinis Plebisque* distinctio, cum & in *Plebe* satis esset frequens *Spiritus*

ritus Prophetiæ; jam constitutis istiusmodi *Ecclesiis*, constitutis nimirum Ecclesiarum *Rectoribus Ordinariis*, nihil deinde liceret *Prophetis* aliis qui non fuissent in *Ordinem* allecti sine *Ordinis* permissu. Id enim curabant scilicet, *invidiæ* declinandæ causâ Apostoli, ut cùm subjiciendi essent illis *Prophetæ* & *Spirituales*, ne alii proinde in *Ordinem* allegerentur quàm qui ipsi *Prophetæ* fuissent & *Spiritûs* donis *Extraordinariis* imbuti. Inde δοκιμασία illa *Spiritûs* apud *Clementem Romanum*, σήμανσις apud *Clementem Alexandrinum* quâ usos scribunt in hominum *Ordinationibus* Apostolos. Nempe dono *discretionis Spirituum* judicabant illi de *donis Ordinandorum*. Inde *Prophetiæ* illæ *Ordinationibus* præcedaneæ quibus Testimonium reddebatur de donis *Ordinandorum*, 1 *Tim.* 1. 18. Nec enim suis duntaxat, sed *alienis* etiam *Revelationibus*, quarum ipsi tamen erant *Judices*, utpote *Prophetarum* ipsorum

rum *Judices*, de *donis* Ordinandorum ſtatuebant Apoſtoli. Quin & nova etiam χαρίσματα Ordinatis *data* eſſe, per illas *Prophetias* indicat Apoſtolus, 1 *Tim.* 4. 14. Quippe quòd in *Ordinatione* & per χειροθεσίαν Spiritus *dandus* erat, nec ullam ferè legamus in eo Seculo ſine *Donis extraordinariis* Spiritûs Sancti deſcenſionem. Ita factum ut *Prophetis* non præponerentur alii qui *non* fuiſſent *Prophetæ*, ſed *Prophetis extra* Ordinem *Prophetæ* alii *in* Ordinem allecti. Sic habebat locum hæc *Tertulliani* Argumentatio, ut cætera pares fuiſſent utrique illi *Prophetæ*, ipſam tamen *loci* dignitatem magnam inter illos conſtituiſſe *differentiam*, Honorandos itaque à *Prophetis ſtantibus Prophetas* alios in *Conſeſſum* admiſſos. En illum, cujus meminit, *Eccleſiæ honorem.* Nec enim aliunde poterant *Prophetæ alii* à *Collegiis Prophetis* honorem vendicare quàm ex eo quem obtinebant *loco* in hujuſmodi, quam dixi,

dixi, *Ecclesiæ constitutione.* At *honorem* illum ait per *Ordinis Consessum* fuisse *sanctificatum.* Hoc nimirum eò ut ne possit *honor* ille ab aliis etiam *Prophetis, Prophetiæ* nomine, vendicari. *Sanctificari* enim id dicitur quòd certis *terminis* ita concluditur ut ne ampliùs pateat in usum *vulgi*, cum etiam res ipsæ *Sacræ* supponuntur. *Pone terminos* (inquit Deus) *circa montem, & sanctifica illum.* Cum itaque *Sessio* illa *Sacra* in *Ecclesia* eo ipso consilio fuisset instituta, non *honoris* captandi gratiâ, sed significandi *locorum* discrimen, & vendicandi illius qui loco debebatur, honoris; proinde sequitur & *sanctum* fuisse Sedentium locum, & ab *aliorum* usu vendicandum. Inde sequebatur *Prophetas Sedentes* sanctos fuisse, quales oportuit fuisse *Sacerdotes*; *Stantes* eorum respectu minimè fuisse *Sanctos* (jam enim alibi ostendi Sanctitatis varios fuisse gradus) & ab eorum proinde muneribus arcendos. *Subjectos*

Exod. 19. 23.

Dissert. Cypr. I

ctos Ordinariis Ecclesiæ Rectoribus *Prophetas* ea ostendunt *Apocalypse-os* verba ad Angelum Thyatiræ:
Apoc. 2. 20. *Habeo* (inquit) *adversus te, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit Prophetin, docere,* &c. Constat enim ex Ep. S. *Pauli* ad *Corinthios* docuisse antea in Synaxibus *Prophetidas* etiam *mulieres.*

§. 24. De his itaque *Prophetis Laicis* rectè procedit *Tertulliani* Argumentatio, non de aliis Laicis *non Prophetis.* Erat enim etiam ante Ordinationem *Prophetarum Clericorum* à *Laicis non Prophetis* differentia satis magna quam utiq; non potuit Ordinationi acceptam referre *Terullianus.* De illis autem agit Laicis *Tertullianus,* quibus ante *Consessuum Ecclesiasticorum* constitutionem concessa fuerant, per mores *Judæorum* jam receptos (cum nimirum *Ecclesia* non aliud agnosceret *Regimen Ordinarium*, præterquam *Judæorum*) Officia *Sacerdotalia*, quibus per novam illam *Constitutionem* fuerant abro-

gata.

gata. At aliis *Laicis*, præterquam *Prophetis*, nunquam hæc permisere *Judæi, ne quidem Regibus, Sauli* & *Uzziæ*; nunquam itaque, eorum *exemplo*, & sub *eorum* adhuc moderamine constituta, poterat *Ecclesia*. Id quod res etiam ipsa satis manifestè demonstrat. Cum enim mixtam agant Personam Sacerdotes, *Populi* in Sacrificiis Precibusque offerendis, *Dei* in Pacto Dei nomine cumPopulo contrahendo,in Pacti Beneficiis atque Promissionibus, (quæ quidem nequeunt ab alio quoquam præstari præterquam à Deo) à Deo impetrandis; ut *Populi* Personam constituere posset ipse *Populus*, at *Dei* Personam nemo potest præterquam ipse *Deus*. Aliter si fiat, ita *Deum* non obligabunt *Pacta* Dei nomine inita, *Promissiones* factæ ejusdem etiam nomine; ut planè *irrita* habeantur omnia, ut *pœnam* etiam mereantur à Deo gravissimam. At *Potestatem* sibi à *Deo* commissam jactare poterant *Prophetæ*, quibus factæ

erant à Deo *Revelationes*; non poterant, præterquam *Prophetæ*, alii *Laici*. Et quidem fuiſſe, *Tertulliani* ætate, *Prophetas*; nec modò apud *Montaniſtas*, ſed etiam in *Diſſ. Cypr.* 4. *Eccleſiâ*, alibi oſtendimus. Hos cum ſoleret Deus è *Plebe* etiam allegere; & verò nemo eſſet è *Laicis* quin poſſit *Extraordinario* Spiritûs afflatu, in caſu *Neceſſitatis*, inſpirari: Rectè proinde, & pro ſuorum Principiorum tenore conſe-*Exhort. Caſt.* quenter, intulit *Tertullianus*, *Omnes nos Deus ita voluit diſpoſitos eſſe, ut ubique Sacramentis ejus obeundis apti ſimus*. Nec aliorum *Factum* fuiſſe crediderim quàm *Prophetarum*, ſiquid tamen fuiſſet in *Tertulliani* verbis unde *Factum*, & quidem ab *Eccleſiâ* probatum, poſſemus elicere. Perperam interim utuntur illius Patrocinio Novatores *Schiſmatici*, nec *Prophetæ*, nec *Prophetarum* nomen præ ſe etiam ipſi *ferentes*. Qui ſi etiam fuiſſent *Prophetæ*, ne ita quidem, pro opinione *Tertulliani*, & coævæ Tertulliano

tulliano *Ecclesiæ*, ab Ecclesiastico-rum *Consessuum* essent *Ordinariâ Jurisdictione*, ut ostendi, eximendi.

§.25. Non aliò retulerim Jus illud *Laicorum* in *Conciliis Ecclesiasticis*, quàm ad communem illam Laicis Clericisque *Prophetiam*. Scio equidem fuisse *Laicis* in Conciliis *Sacerdotalibus* tam *Ethnicorum* quàm etiam *Judæorum*, sua suffragia. Ita tamen constabant illis suffragia in *Conciliis*, ut nunquam *sacrificare* permissum sit, aut alia aliqua exercere *Sacerdotii* munera. Nempe Sacra *publica* intelligo. Quod enim ad *privata* Sacra attinebat, illorum Jus habebat *Familiæ* cujusque *Primogenitus*, proinde etiam Familiæ *Sacerdos*. Sic in Sacris *Gentilitiis Romani*. Sic etiam *Judæi*, ut cum jam Tribum *Leviticam* selegisset Dominus è Tribubus *Israeliticis* ad Officia *Sacerdotii*, rari tamen esset & singularis exempli quod pro *Familiæ* suæ Sacris haberet *Michas Levitici*

Judic: 17, 13. generis Sacerdotem. At Sacrificia *Paſchalia* erant, pro Origine ſuâ, omnino *privata*, nec aliorum quàm *Familiæ Sacerdotum.* Ad peſtem nimirum privatarum *Familiarum*, in morte *Primogenitorum*, averruncandam inſtituta, quæ etiam *Familiarum* erat *Sacerdotalium*, ut proinde non poſſent alienis *Familiis*, præſertim in *Ægypto* vacare. Non ergo ſequebatur, è Jure Sacrificiorum *Paſchalium* conceſſo *Laicis*, Jus etiam illos aliquod habere ad *Sacrificia Publica.* At noſtra *Chriſtianorum* Sacra omnia ſunt *Publica.* Sed quòd etiam in Conſiliis *Sacerdotalibus* ſua fuerint *Laicis* apud *Ethnicos Judæoſque* ſuffragia è *Conciliorum* potiùs *mixtâ* Juriſdictione, quam è Jure aliquo Laicorum *Sacerdotali* erat colligendum. Quà enim Jura *Secularia* in *Conciliis* illis tractabantur, eatenùs rectè adhibendi erant in conſilium, & pro ſuo quodam Jure, *Laici.* At *Secularium* Jus nullum vendicabat Forum *Eccleſiaſticum.*

cum. Et si quando judicandæ erant *Christianorum* lites βιωτικαὶ 1 *Cor.* 6. 3. per *Christianos* nempe *Judices*, ne ad *Secularia* Tribunalia emanarent; pro *litigantium* tamen arbitrio deligebantur istiusmodi *Judices*, & quidem apud ἐξουθενημένους in *Ecclesiâ* v. 4. qui quidem κριτήριον constituebant ἐλάχιστον, v. 2. Tantum aberat ut in *summo* Ecclesiæ *Tribunali* lites illæ audirentur. Cavet certè Dominus ut in istiusmodi dissidiis, prima præcederet *privata* expostulatio; ea ubi non proficeret, tùm unum adhiberent alterumve *arbitrum*; ita deinde siquis fuisset pertinax, rem totam voluit ad *Ecclesiam* deferri, non ut controversiæ *Judicem*, sed ut *Testem* contumaciæ. Inde contumax pro *Ethnico* habendus & *Publicano*, ut nempe potuerit ad *Secularia* Tribunalia deferri, ut solebant deferri à Christianis *Ethnici* atque *Publicani*. Sic enim rectè, ut existimo, hunc locum explicat Cl. *Erastus*. Nondum certè constituta

ſtituta ſunt in *Eccleſiâ* Tribunalia ad quæ poſſit provocari. Et verò de re notoriâ agit Dominus, quæque poſſet etiamnum uſurpari. Sed nec univerſum illud *Laicorum* Jus *Indulgentiæ* erat Epiſcoporum acceptum referendum. Multum fateor acceptum. Sed fuiſſe aliquam rationem *præcedaneam* cur hæc Jura illis concederet Epiſcopus, vel illud ſuadet, quòd è Veteri Teſtamento ea conetur elicere *Cyprianus*. Eſt autem in promptu ratio illa quam dixi, nempe *Laicos* propterea publicis interfuiſſe conſiliis, quòd ſcilicet communem haberent cum *Clericis* Spiritum *Propheticum*. Solebat enim Primæva illa tam *Apoſtolorum*, quàm ea etiam quæ, ætate *Cypriani*, erat Eccleſiæ nihil gerere quod quidem ad *Publicum* attineret, cujus non haberent Autorem conſultoremque ipſum Deum. Conveniebant itaque in unum omnes, & *Divinum* expectabant *afflatum*. Nec enim, antequam conventum eſſet, ſciri potu-
it

it cui Deus mentem ſuam eſſet revelaturus. Nec enim rem, de quâ agebatur, ſemper Deus ipſis revelavit *Apoſtolis*, ſed per alios ſæpe illos docuit. Sic didicit futuras Perſecutiones S. *Paulus* per *Agabum*, perque alios, quà tranſiit, *Eccleſiarum Prophetas*. Sic etiam apud *Cyprianum*, *implebatur* Ep. 10.
Spiritu Sancto puerorum innocens ætas quæ in ecſtaſi videbat oculis, & audiebat, & loquebatur ea quibus Nos (inquit) *Dominus monere & inſtruere dignatur.* Cum igitur has Revelationes *Epiſcopis*, etiam *Apoſtolis*, daret Deus per *alios*, etiam per *pueros*; multo certè magis per *adultos Laicos* illum dediſſe conſentaneum erat. Ita intelligimus quis uſus fuerit *Laicorum* in Concilio *Hieroſolymitano*, cui ipſi præſidebant Apoſtoli. *Diſputationem* illam univerſam geſſiſſe legimus ſolos cum *Presbyteris Apoſtolos*, & tamen *Decretum* communi omnium nomine, non *Apoſtolorum* modò atque *Presbyterorum*,

ſed

ſed *Eccleſiæ univerſæ*, *Act.* 15. 22: ſeu *Fratrum*, nomine conceptum eſt, v. 23. Dum ſcilicet *humano* conſilio res eſſet agitanda, ſoli agebant quibus agendi incumbebat *Officium*. Non rogabantur *Laici* ſententiam, ſed ne *loquebantur* quidem, pro ſenſu ſuo *humano*, quod faciebant Eccleſiæ *Rectores*. Tunc autem duntaxat loquebantur, cum non *ipſi* loquerentur, ſed per illos loqueretur *Dominus*. Ita factum ut cum nihil dixiſſent in *contrarium*, Decretum eorum etiam nomine conſignaretur, id eſt, cum nulla illis facta fuiſſet Revelatio in contrarium. Quod certè Jus non illis Jure *Laico* conveniebat, nedum *Sacerdotali*, ſed duntaxat *Prophetico*. Eo enim duntaxat Jure poterant *Apoſtolos* docere. Eodem Jure uſi ſunt etiam conſtitutis Eccleſiis, & conſtitutis in Eccleſiâ *Rectoribus Ordinariis*, pulſi etiam ab Eccleſiæ *Regimine*. Adhuc enim in rebus Eccleſiæ *momentoſis* Deum expectabant conſultorem, ut oſtendimus

dimus è *Cypriano*. Sic in *Ordinationibus*. Sic etiam in causis gravioribus Ecclesiasticæ *Disciplinæ*. Eo nomine necessarium erat ut interessent Consiliis Ecclesiasticis *Prophetæ Laici*. Atqui jam diu est ex quo desiit Juris Laicorum illa *ratio*. Defecerunt *Dona* illa *Laicorum* Extraordinaria. Sola locum habent in *Ordinario* Ecclesiarum Regimine *Humana* Consilia, in quibus nulla unquam apparent *Laicorum* Jura. Ut igitur constabant hæc in Consultationibus *Ecclesiasticis*, antiqui Juris Laicorum *Prophetici* vestigia quædam in recentioribus etiam Ecclesiæ *Primævæ* Temporibus evanida; sic etiam poterant in Officiis *Sacerdotalibus*, necessitate cogente, præstandis, si tamen ea præstarentur sine ullâ *Rectorum* Ecclesiasticorum *Ordinariorum* Injuriâ,

Dissert. Cypr. 4. n. 20.

SERIES CHRONOLOGICA REGIMINIS Ecclesiastici *Ordinarii.*

Anno *Æræ Vulgaris* XXXIII.

A*Scensio* Christi *pro nostris rationibus* (*è* Phlegonte Tralliano) *Anno* 4. Olymp. *CCII.* Tiberii *XIX.*

XLIV.

Supremi in Ecclesiâ Antiochenâ Prophetæ, *nondum constitutis* Presbyteris. *Act.* XIII. ℣. 14.

XLV.

Missus cum S. Barnabâ *S.* Paulus *ad* Gentes *convertendas An. à* Christi *Ascensione XII. In eâ Expeditione prima Apostoli à*

Syna-

Synagogâ *Antiochiæ* Pisidiensis *discessio.* *Act.* 13. 51. *tum* Iconii *Act.* 14. 4. *Vid.* §. 11. 12.

XLVI.

Facta discessione, *cum proprias sibi* Synaxes *haberent* Christiani, *jam necessarii erant proprii* Christianis *Rectores* Ordinarii. *Inde Prima* Presbyterorum *mentio* κατ' ἐκκλησίαν, *in Provinciâ tamen duntaxat* Pisidiensi. *Act.* 14. 23, 24. §. 12.

XLVII.

Concilium Hierosolymitanum *Act.* 15. XIV. *Conversionis* Paulinæ *Anno, Gal.* 2. 1. *quam nos à* Christi Ascensione *deducimus.* *Memorantur in hoc Concilio Ecclesiæ Hierosolymitanæ* Presbyteri *jam antea recepti.* *Act.* 15. 2, 4, 6, 22, 23. §. 13. 14, &c. *Discessio* Apostolorum *ab* Hierosolymis, Gentium *causâ ad fidem solicitandarum.* §. 11.

XLIX.

XLIX.

Nondum Presbyteri *in Ecclesiis* Macedonicis, *cum scriberet S.* Paulus *ad* Thessalonicenses. §. 18.

L.

In Galatiâ & Phrygiâ στηριγμὸς *Act.* 18. 23. *Ut proinde* discessionem *unà factam verisimile sit, & constitutos ibi fuisse* Presbyteros. §. 18.

LI.

Discessio *à Synagogâ* Ephesinâ *Act.* 19. 9. & *primi ibidem constituti fortè* Presbyteri. §. 18.

LIII.

Διῆλθε *S.* Paulus τὰ μέρη Macedoniæ *Act.* 20. 2. *secundâ vice, post infensissimas* Judæorum *priori vice* Persecutiones. *Proinde*

hoc

hoc anno constitutos crediderim primos Ecclesiæ Macedonicæ Presbyteros. §. 12. 18. *Scripsit hoc Anno utramque ad* Corinthios *Epistolam, quo tempore nondum constituti in Ecclesiis* Achaicis *Rectores* Ordinarii. §. 10. 12, 13. *Durârunt hucusque Ecclesiæ* Corinthiacæ ἀταξίαι. §. 1.

LIV.

Secundus Apostoli ad Ecclesiam Corinthiacam *appulsus Act.* 20. 2. *ubi* Judæos *rursus infensos expertus v.* 3. discessionem *eâ occasione factam,* Presbyterorum, *ut puto, in Ecclesiis* Achaicis *constitutione confirmavit. Pollicitus id fuerat, ut videtur, Apostolus Epistolâ superiori Anno scriptâ.* 1 Cor. 11. 34. *Cum scriberet ad* Romanos *S.* Paulus *jam* discessio *à* Synagogis *plerisque facta, constitutique passim, eâ occasione,* Presbyteri. §. 18.

LIX.

Scripsit ad Philippenses *Apostolus, factâ* Episcoporum *in ipsâ Epistolæ inscriptione mentione, quos ibidem nimirum ipse ante* sexennium *constituerat*, §. 12.

LXIII.

Constituti hoc Anno in Ecclesiis Cretensibus *nuper conversis* Presbyteri *Tit.* 1. 5. *Jamque inter* λείποντα *numerari cæpti ut ne quidem* consummatæ *crederentur Ecclesiæ* Presbyteris destitutæ. §. 18.

LXV.

Insurgunt in Presbyteros *Ecclesiæ* Corinthiacæ *ante Annos* 11. *præfectos* Prophetæ. *Clem.* Rom. *Ep. ad* Corinth. §. 22.

XCV.

Hoc circiter Anno scripsit Hermas *redactis jam in ordinem* Prophetis; *subjectisque Regimini Ecclesiæ* Ordinario. §. 18.

CXVI.

Hucusque duravit Jus Ecclesiæ Hierosolymitanæ *in Familiâ Domini* Hæreditarium. §. 15.

CAP. IV.

Caput IV.

Nullum Sacerdotale *munus exercuerunt conversi a* Frumentio Indi *sine* Sacerdotibus.

PRoponitur *Objectio.* §. 1. Rufinus *primarius hujus Historiæ Autor nullius meminit Officii* Sacerdotalis, *sed duntaxat* Orationis. §. 2. *De* Oratione *duntaxat* Rufinum *intellexerunt* Socrates & Sozomenus. §. 3. *Solus* Λειτουργίας *voce* Rufinum *reddidit* Theodoretus *putidus* Metaphorarum *affectator.* §. 4. Clerici *omnium Ordinum* Λειτουργοὶ. §. 5. *Clericorum* Officia *omnia* Λειτουργίαι, *præcipuè* Hymni. §. 6. *Sacra Veterum* Officia *omnia* Metrica. §. 7. *Sic etiam* Christi-

Christianorum *Officia sub* Prophetis. §. 8. *Sub* Rectoribus *etiam* Ordinariis. §. 9. *Antiquissimæ formæ* Liturgicæ *omnes* Cantatitiæ, *&* *è* Psalmis Hymnisque *desumptæ*. §. 10. Psalmi *Cantari solebant, etiam à* Laicis, *in ipsâ etiam* Ecclesiâ. §. 11. Psalmodia Λειτυργία Theodoreto, *Etiam* λειτυργία Ἐυχῆς *in Concilio* Laodiceno. §. 12. Lectio *Scripturarum, & Catechumenorum* Institutio *rectè poterant pro* λειτυργίαις *haberi, non item pro Officiis* Sacerdotalibus. §. 13. *Pro* more Romanorum *locum nullum in cœtibus* Frumentii *habere poterant Officia* Sacerdotalia. §. 14. 1. *pro* more Roamnorum, *solis diebus* Festis, *aut* Dominicis, *aut* Sabbati, *solebant haberi Sacra* Eucharistica. §. 15. 2. *pro eorundem* more *haberi non poterant ubi adessent* Catechumeni. §. 16. 3. *nec nisi in* Ecclesiâ *propriè dictâ*. §. 17. 4 *nec ab alio quàm à*

legitimo *Ecclesiæ* Sacerdote. §. 18. *Officium aliquòd* Sacerdotale *à* Frumentio Indisque *usurpatum, nec innuunt,* Historici; *nec est, pro aliarum* Gentium, *eâ* Ætate *conversarum, exemplo, omnino verisimile.* §. 19.

§. 1. PRobavimus hucusque nullum fuisse, Ætate *Tertulliani, factum* Laicorum *Sacerdotalia* munera exercentium, ab *Ecclesiâ* probatum; aut saltem tale fuisse, ut non potuerit ab hodiernis *SCHISMATICIS* trahi in Exemplum. Putat se tamen Cl. Dissertator, etiam in Quarto Seculo, quo jam penitus consolidatum erat Ecclesiæ Regimen, quo jam vigebat Ecclesiæ Disciplina, quò difficiliùs erat ut aliena ab ejusdem moribus Exempla impunè ederentur, Exemplum reperisse administrati à *Laicis* Officii *Sacerdotalis.* Converterunt *Indos Frumentius* & *Ædesius, Æthiopas* nimirum ut rectè Doctissimus Dissertator.

tator. Nec enim alii erant *Indi* *Romano* Imperio contermini; & *Frumentium Auxumitarum* Episcopum sub *Constantio* memorat *Athanasius*, quem non alium à nostro *Frumentio* fuisse crediderim. De hoc itaque *Frumentio* ita *Grotius*: Autor fuit his quos ad *Christum* converterat, , & paucis qui cum ipso erant, ut *Theodoreti* utar verbis, κατὰ τὸ Ρωμαίων ἔθος συναγείρεσθαί τε, καὶ τὰς ἱερὰς ἐπιτελεῖν λειτουργίας. *At nemo* (inquit) *ibi tunc Episcopus erat, nemo Presbyter; Imo primus cum Episcopi dignitate, qui postea Presbyteros Ordinavit, eò missus est, post reditum suum Alexandriam, & rem renunciatam, ipse ille Frumentius ab Athanasio.* Urget eadem cum *Grotio* Amicus noster Anonymus.

Vid. Valesf. *Not. ad* Socrat. *Hist. Eccl.L.*19.

Athanas. *Apol ad* Const.*p.*696

Contin. Def. D. Stillingfleet *c.*5. *p.* 357.

§. 2. Primarius hujus Historiæ Autor est *Ruffinus* qui ipse eam accepit ab *Ædesio*. *Ruffinum* secuti reliqui, *Socrates*, *Sozomenus*, *Theodoretus*, ad illum proinde, siquid peccaverint, exigendi. Sic autem

ille. Præfectus Regno *Frumentius*, minorenni Regis ætate, & Christianiſmi ibidem propagandi cupidus, *requirere ſolicitiùs cæpit ſiqui inter Negotiatores Romanos Chriſtiani eſſent, & ipſis Poteſtatem maximam dare, ac monere ut Conventicula per loca ſingula facerent* (quas poſtea *Eccleſias* appellat) *ad quæ Romano ritu Orationis cauſâ confluerent. Sed & ipſe multò magis eadem facere* (*Eccleſias* nimirum condere, eaſdemque *Orationis* cauſâ frequentare) *& ita cæteros cohortari, favore & beneficiis invitare, præſtare quicquid opportunum fuiſſet, loca Ædificiis, aliaque neceſſaria præbere, & omnimodò geſtire, ut Chriſtianorum inibi ſemen exurgeret.* Eventum *ait, congregatos plurimos Chriſtianos, & Eccleſias conſtructas in Barbarico ſolo.* Hæc *Athanaſio* renunciavit ipſe Frumentius, *qui nuper* (inquit *Rufinus*) *Sacerdotium ſuſceperat*, & quidem in *Concilio Sacerdotum.* Concilium hoc non aliud fuiſſe crediderim

Rufin. *Hiſt. Eccl. L.* 10. *c.* 9

diderim quàm illud cujus meminit ipse *Athanasius*, post reditum ejus ab Exilio *Trevirensi*. An. 337. sub filiis *Constantini* Magni. Nec enim de primâ ejus in Episcopatum Successione intelligi posse probavit, ubi suprà *Valesius*. Inde contigit ut factus jam iniquior *Athanasio Constantius Frumentium* etiam solicitârit ad deficiendum à fide *Athanasii*. Inde fortasse quòd Successor ejus *Theophilus Arianus* fuerit, & *Constantio* acceptissimus. Hunc itaque *Frumentium* ipsum Episcopum in prædicto Concilio Ordinavit *Athanasius*. Ex eo *factas* tradit in Indiâ *Ecclesias*, & *Sacerdotium* cœpisse, *Rufinus*. Ut proinde facilè colligamus, neminem fuisse, ante *Frumentium*, in *Indiâ*, Sacerdotem, non equidem *vulgarem*, sed *Episcopum*. Habemus itaque *Conventicula*, *Ædificia*, *Ecclesias*. Habemus in iisdem *Orationis* Officium. Habemus Orationum illarum causâ, etiam *confluentem Populum*. Nulla hìc Officii *Sacerdotalis* omni- Philostarg.

omnino mentio. Nulla *Ministrorum* qui illud etiam *Orandi* munus publicum obiverint. Ne illud quidem, fuerint necne (quod negat tamen *Grotius*) in locis illis, saltem inter Negotiatores, secundi Ordinis *Sacerdotes*. Nec enim supervacuum fecissent illi iter illud *Frumentii* ad *Athanasium*, tam propter novas *Ordinationes*, quàm propter *Successionem*; non certè pro illorum Temporum receptis opinionibus.

§. 3. Nihil itaque *Rufinus*, ex quo illud sequitur quod volunt Adversarii. Ut demus nullos inter Negotiatores fuisse *Sacerdotes*, nullum tamen legimus hìc Officium *Sacerdotale*. Nec enim *Orationis* Officium proprium erat *Sacerdotum* Ecclesiasticorum. De alio certè quàm *Orationis* Officio *Rufinum* non intellexit *Socrates*, qui *Græcâ* usus est *Rufini* Versione, & quidem eâ ad verbum ferè redditâ. Dixerat *Rufinus*, *Romano* ritu ad Conventicula Populum, *Orationis* causâ, confluxisse., *Socrates* ἐπὶ

Socrat. *Hist. Eccl.* L. 1. c. 19.

τῆς

τῶν χριστιανικὰς ἐκτελεῖν εὐχάς. Quod *Rufinus Conventiculum* appellârat, id *Socrates* εὐκτήριον, quasi *Orationis* duntaxat causâ, pro more *Proseucharum Judaicarum*, fuisset constructum. Quas postea *Ecclesias Rufinus*, ea rursus *Socrates* εὐκτήρια. Addit deinde *Socrates*, καὶ τινας τῶν Ἰνδῶν κατηχοῦντες, συνεύχεσθαι αὐτοῖς παρεσκεύασεν. De *Missâ* itaque *Catechumenorum* intellexit *Rufinum Socrates*, in quâ nullum esse potuit Officium *Sacerdotale*. Nefas enim erat, pro illorum temporum Disciplinâ, Officiis *Sacerdotalibus* interesse *Catechumenos*. Nec aliter *Sozomenus*: Εὐχῆς (inquit) ἕνεκεν συνιέναι ἐποίει, appellatque εὐκτηρίους οἴκους quas Rufinus Ecclesias. Sozom. *Hist. Eccl. L.* 2.*c*.24.

§.4. Sed *Theodoretum* potiùs *Rufini* Interpretem audiendum putant Adversarii quàm paulò *Theodoreto* priores *Socratem* atque *Sozomenum*. Sic autem ille: κατὰ τὸ Ῥωμαίων ἔθος, συναγείρεσθαί τε καὶ τὰς θείας ἐπιτελεῖν ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑΣ Theod. *Eccl. Hist. L.* 1.*c*.23

περὶ-

προείρηται. Siquem equidem habuisset alium quàm *Rufinum* hujus Historiæ Autorem *Theodoretus*, rectè illum potuit ex alio interpretari. Nunc cum alium non habuerit, potiùs è *Rufino* exponendus erit *Theodoretus* quàm è *Theodoreto* *Rufinus*. Proinde cum quam λειτουργίαν *Theodoretus* eam nuncupet *Rufinus Orationem*; colligendum potiùs non aliud utique quàm *Orationem* λειτουργίας nomine intelligere *Theodoretum*. Sed vocem ΛΕΙΤΟΥΡΓΙ'ΑΝ non aliam putant significationem ferre quàm *Officiorum Sacerdotalium*. Esto hoc interim demus. Non tamen animadvertunt *Metaphorarum* inepto usu reprehensum esse à *Photio*, & quidem in hoc ipso Opere, *Theodoretum*. Μεταφοραῖς παραβόλως ἢ ὥσπερ (inquit) ἀπειροκάλως ἐχρήσατο. Id vitium illi peperit Elegantiæ nimia affectatio, ut res usitatas nolit vocabulis usitatis designare. Cum itaque sensu laxiori *Preces* omnes pro *Sacrificiis* haben-

Phot. *Bibl.* *Cod.* 31.

dæ

dæ ſunt; non eſſet utique quod miremur, ſi & voce *Sacrificiorum* propriâ illas deſignaret *Elegantiæ* ἀπειρόκαλος affectator, ut durior fuiſſet illa & minùs propria vocis ſignificatio.

§. 5. Fateor equidem vocem illam plerumque eſſe ἱερατικὴν. *Heſychius*: Λειτουργικάς, ἱερατικάς. *Suidas:* Λειτουργία, κυρίως μὲν ἱερατική. Proinde Ordinarii Eccleſiæ *Miniſtri* omnes λειτουργοὶ appellati. Sic enim ſolebant *Epiſcopi*, ætate *Theodoreti*, Epiſtolas Collegis *Epiſcopis* miſſas συλλειτουργοῖς inſcribere. De *ſecundi* Ordinis Clericis vocem eandem uſurpant Epiſcopi *Ægyptii*. Sic enim λειτουργοὺς appellant *Presbyteros*, ut eâ ipſâ voce illos ab *aliis* Clericis apertiſſimè diſtinguant. Sic ſcribunt illi de *Athanaſii* in ſedem *Alexandrinam* inſtitutione. Λειτουργοὶ δὲ καὶ κληρικοὶ πάντες οὕτως αὐτὸν ἑωράκασιν, ὡς εὐφρανθῆναι τὰς ψυχάς. &c. Rurſus in cauſâ *Iſchyræ* cum *Presbyteros* antea excluſos dixiſſent, poſtea

Epiſt. Synod. Alexandrinæ ap. Athanaſ. Apolog. 2. de ug. p. 728. A.

ibid. p. 733. D. hoc idem dicunt de λειτεργοῖς Καὶ τοὺς μὲν λειτεργοὺς ἐκώλυον παρεῖναι. De iisdem *Julius* Episcopus *Romanus*, Πρεσβύτεροι μὲν οὐκ ἐπιτρέπονται παρεῖναι οἱ καὶ τῶν μυστηρίων λειτεργοὶ τυγχάνοντες. De *Ischyrâ* Presbyteri & Diaconi *Mareotici*: Ἰσχύρας οὐδέποτε λειτεργὸς τῆς Ἐκκλησίας γέγονεν. Ἀλλ' ἑαυτὸν μὲν περὶ τούτου ἐφήμισε καλεῖσθαι Πρεσβύτερον. Inde fortasse factum ut cum *Presbyteri* propriè λειτεργοὶ haberentur, etiam Officium *Presbyterii* proprium, nimirum *Eucharisticum*, proprio suo quodam jure λειτεργία appellaretur. Sed maximè propria hujus vocis significatio ea est quâ pro *servitio*. Nec enim *Suidæ* assentior contrarium asserenti. *Hesychius*: λειτεργεῖν, μοχθεῖν, δουλεύειν. Et Λειτεργὸς ὑπηρέτης. Sic *Angeli* sunt λειτεργικὰ πνεύματα, non propter *Sacrificia*, sed propter *Ministerium* quo Deo serviunt. Sic θεῖοι λειτεργοὶ *Angeli* apud *Clementem Alexandrinum*. Proinde λειτεργείας & διακονίας

ap. eund. ib. p. 750. A.

ib. p. 792. A.

Ev. l. 14.

χονίας idem habet pro Synonymis. Sic rem Eleemosynariam, quæ propriè erat Ecclesiastica διακονία, διακονίαν τῆς λειτουργίας, 2 *Cor.* 9. 12. Et *Epaphroditum qui Philippensium* Eleemosynas ad se detulerat, λειτουργὸν τῆς χρείας appellat Apostolus, *Phil.* 2. 25 Nec alii proinde propriè λειτουργοὶ apud Pseudo-*Dionysium* quàm *Diaconi*, qui harum vocum in re Sacrâ Technicarum erat peritissimus. Et de *Levitâ* ita *Philo* τὰς λειτουργίας ἁπάσας ἀναδέχεται, ὅσαι πρὸς ἱερωσύνην ἀναφέρονται πλείων. Et de *Aetio* Hæretico *Diaconatûs* gradu à *Leontio* multato *Theodoretus*: τῆς λειτουργίας ἔπαυσε τὸν Ἀέτιον. Respondetque accuratissimè hujus vocis usus primariæ ejus origini. Quæ enim *Romani* Jurisconsulti *servitia* appellant ea λειτουργίας Græci, & *immunitatem ab iis* ἀλειτουργησίαν.

Strom. 6. p. 294 31.

Strom. 3. p. 197.

Philo περὶ ὧν ἱερουργοῦσι Κάϊν καὶ Ἄβελ.

Theodor. *Hist. Eccl.* L. 2. c. 24.

§. 6. Sic usurpant hanc vocem Veteres de *singulis* Ordinis Sacri

 Offi-

Officiis, & tamen rursus promiscuè de *omnibus*. De *Constantini* M. in *Clerum* munificentiâ ita *Theodoretus*: καθ' ἑκάστην πόλιν χορηγεῖσθαι παρεγγυῶν ταῖς ἀεὶ παρθένοις καὶ χήραις, καὶ τοῖς ἀφιερωμένοις τῇ θείᾳ λειτουργίᾳ. Et ut *omnes* Ecclesiæ Officiarii λειτουργοὶ, sic etiam *universa* ejusdem Ecclesiæ publica Officia λειτουργίαι nominatæ, non unicum duntaxat illud *Sacrificandi*, ut existimant Adversarii. Vocis illius usus antiquissimus fuisse videtur in *Hymnis* illis quibus numen Sacrificaturi celebrabant. Ita certè *Pollux*, & quidem Autore *Demosthene*: ἐπὶ τῶν μυστικῶν ἴδιον, ὅ φησι Δημοσθένης, τὸ λειτουργεῖν τῷ θεῷ. *Clemens Alexandrinus*: μελῶν γάρ τοι κατεαγότων, καὶ ῥυθμῶν θρεπτῶν τῆς μούσης τῆς Καρικῆς, αἱ ποικίλαι φαρμακεῖαι, διαφθείρουσι τοὺς τρόπους, ἀκολάστῳ καὶ κακοτέχνῳ μουσικῇ εἰς πάθος ὑποσύρουσαι τοῦ κώμου τούτου· τὴν λειτουργίαν δὲ τὴν θεϊκὴν διαχωρίζον, ψάλλει τὸ πνεῦμα, Αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν ἤχῳ σάλ-

Theodoret. *Hist. Eccl.* L. 1. c. 11.

Pollux *Onomast.* L. 3. c. 30

Clem. Al. *Strom.* 2. p. 71.

σάλπιγγι, &c. Cum *Musicæ* lasciuæ hanc opponit θρεϊκὴν λειτουργίαν, proinde & illam *Musicam* fuisse oportet, & quidem omnium cujuscunque generis *Instrumentorum* quibus usi sunt in illâ, quam dixi, *Hymnorum* decantatione. Enumerat ibi *Clemens* Instrumenta ea quorum meminit Psalmographus, *Tubam*, *Psalterium*, *Citharam*, *Tympanum*, *Organum*, *Cymbala*, tanquam hujus λειτουργίας Instrumenta. Sic & LXXII. Interpretes: 2 Par. XXXI. 2
καὶ ἔταξεν Ἐζεκίας τὰς ἐφημερίας τῶν Ἱερέων καὶ τῶν Λευιτῶν, καὶ τὰς ἐφημερίας ἑκάστου κατὰ τὴν ἑαυτοῦ λειτουργίαν, τοῖς Ἱερεῦσι καὶ τοῖς Λευίταις, εἰς τὴν ὁλοκαύτωσιν, καὶ εἰς τὴν θυσίαν τοῦ σωτηρίου, καὶ αἰνεῖν, καὶ ἐξομολογεῖσθαι, καὶ ΛΕΙΤΟΥΡΓΕΙΝ ἐν ταῖς πύλαις ἐν ταῖς αὐλαῖς οἴκου κυρίου. Quò minùs hanc λειτουργίαν de *Sacrificiis* ipsis interpretemur, impediunt voces Synonymæ hìc adjunctæ, Ἀινεῖν, Ἐξομολογεῖσθαι· impedit vox ipsa *Ebræa* הלל quam hìc per ipsam illam vocem

cem λειτουργεῖν reddunt Seniores, quæ certè nisi de illis quos, dixi, *Hymnis* intelligi non potest. Quid quòd eandem illam vocem *Ebræam* alibi per voces, Αἰνεῖν, Ἐπαινεῖν, Ἐγκωμιάζειν, Ψάλλειν. Ὑμνεῖν, καθυμνεῖν, Δοξάζειν, Ἐνδοξάζειν, Εὐλογεῖν, iidem reddunt Interpretes. Sic & vocem משרתים quam sæpissimè reddunt per λειτουργούς: *Esr.* 8. 17. vertunt per ᾄδοντας, quasi verò *Cantores* illi pro λειτουργοῖς essent præcipuis habendi.

§. 7. Nec est quòd miremur vocem λειτουργεῖν de *Hymnis*, proprio suo quodam jure, esse usurpandam. Erant enim illi Officiorum Publicorum formæ antiquissimæ. Præsertim si eos latissimè intelligamus pro omni genere *Carminum* Sacrorum, ut *Psalmos* pariter *Odasque* complectuntur, ac *Hymnos* propriè sic dictos. Sic certè vocem accipiunt *Philo* & *Josephus* cum *Psalmos* in universum alterutro nomine designant. Ut enim Numinum *Oracula*, non pedestri

destri Oratione, sed *metro* concepta sunt, sic vicissim & *Preces* hominum cujuscunque generis quæ quidem publicè offerrentur, nunquam *pedestri* sermone, sed *versibus* conceptas legimus. Nec alias habemus hodiéque formas Officiorum publicorum vetustissimas. Tales erant apud *Romanos* versus *Saliares*. Tale Seculare illud Carmen *Horatii* in Ludis *Secularibus* canendum. Nec dubito tales fuisse omnes quos habemus hodieque *Græcorum* Hymnos, *Orphei*, *Homeri*, *Callimachi*, *Dionysii*, & siqui fortè alii. Semper enim inter Sacrificandum *Hymnum* subjungebant, seu peracto potiùs Sacrificio. Tales denique & *Psalmi*. Fuisse enim illos Publicorum Officiorum formas ipsi eorundem *Tituli* ostendunt apud *Judæos* antiquissimi. *Ebræos* enim *Titulos* intelligo, non *Græcorum* recentiores. Nempe sic *Panegyres* celebrabant vetustissimi, non modò *Ethnici*, verumetiam *Judæi*. *Choreas* instituebant singu-

lorum

lorum Ordinum ſingulas, *Viri*,ſcilicet, *Fæminæ*, *Pueri*, & *Puellæ*, ſeorſim. Præibat in *Choreis* ſui Ordinis primarius, quem propriè *Coryphæum* appellabant. Illi præcinenti *Chorus* deinde reſpondebat univerſus, ſimiliter & ipſe concinens. Sonabant interim & canentibus accinebant *Inſtrumenta*, quæ dixi, *Muſica*. Cantui etiam addita *Saltatio*. Hoc certè modò vetuſtiſſimas quaſque *Panegyres* celebratas legimus, tam Sacrarum Literarum, quàm etiam Prophanarum. Erant etiam & leſſæ, & Carmina *lugubria*, cum ſuis Inſtrumentis *Muſicis*, ſed ſine illis, quas dixi, *Choreis* ſaltantium. Hi cum *Romani Imperii* univerſi mores fuerint, proinde conſentaneum eſt in mores tranſiiſſe *Chriſtianorum*.

§. 8. Nec ſane unquam legimus in *Precibus* Chriſtianorum *Publicis*, ullas fuiſſe *Proſaicas*. Duo erant apud illos in Synaxibus Sermonum genera, aliud *docendi* cauſa, aliud *Orandi*. *Docendi* cauſa erant *Prophetiæ*,

tiæ, tam *lectæ* illæ quàm etiam *sermone* editæ. *Orandi* formæ quæ in N. T. memorantur, vix aliæ sunt, ut puto quàm *Metricæ*. *Hymnum* dixiſſe cum Diſcipulis Dominum legimus S. *Matth*. 16. 30. S. *Marc*. 14. 26. *Pſalmi* 22. ſaltem aliquam partem in cruce, *Matth*. 27. 46. *Marc*. 15. 34. *Paulus* & *Silas* etiam in carcere προσευχόμενοι ὕμνουν. Act. 16. 25. *Hymnus* itaque illa fuit Oratio, vix equidem in *carcere* ita oraturis, ni, pro more Seculi ita fieri ſoleret quoties *plures* in unam *Orationem* conſentirent. Sic etiam 1 *Cor*. 14. 15. *Orabo Spiritu, Orabo & mente: Pſallam Spiritu, Pſallam & mente*. Et hìc quoque *Pſalmus Oratio* eſt. Nec aliud legimus inter ea Synaxeon Officia *Spiritualium* ibi recenſita quin poſſit eò referri. Rurſus *Eph*. 5. 19. *loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, Hymnis & Canticis Spiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino*. Hìc recenſentur tres *Pſalmorum* tituli, *Pſalmorum*,

propriè ſic dictorum, *Odarum*, *Hymnorum*, nulla certè cultûs Oratio *Proſaica.* Quòd ſi etiam in *Oratione mentali* ἑαυτοῖς *Metricè* loqui oportebat, & *pſallere in cordibus*; nihil eſt certè quòd dubitemus quin in *Oratione publicâ* etiam voce *cecinerint*. Convenit ad amuſſim locus, *Col.* 3.16. *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, in omni ſapientiâ docentes & commonentes voſmetipſos in Pſalmis, Hymnis & Canticis Spiritualibus, in gratiâ cantantes in cordibus veſtris Deo.* Eccleſiæ mores repræſentant Viſiones *Apocalypticæ*. Proinde & in *cœlis* canitur *Canticum novum*, *Apoc.* 5. 9. 14. 3. (cujus meminit ſæpiſſimè Pſaltes) *Canticum Moyſis ſervi Dei* & *Canticum Agni*, cap. 15.3. Similiter & S. *Jacobus* 5. 13. *Triſtatur autem aliquis veſtrûm? Oret æquo animo? & Pſallat.* Gratiarum Actio hìc *metrica* eſt. Proinde & *Orationes* tales fuiſſe conſentaneum eſt. Προσευχῶν certè Titulum retinent hodieque

dieque *Psalmi* 17. 86. 90, 102. nec illi modò à *Græcorum* recentioribus Interpolationibus, sed pro mente Codicis *Ebræi*.

§. 9. Nec putò hoc Viros Doctos ægrè concessuros, pro illâ saltem Temporis periodo quâ Synaxeon Officia à *Prophetis* administrata ostendimus. Id enim erat vel præ- Hammond. *in* Luc. 1. 67.
cipuum *Prophetæ* Officium, ut *Metrica* illa *Cantica* dictaret atque cantaret. Id verò dubitabant num posteà sit factum cum eadem illa Officia subjecta essent *Rectoribus* Ecclesiæ *Ordinariis*. Ego etiam deinceps factum existimo. Primos enim Rectores *donis* Extraordinariis præditos fuisse ostendimus, ut proinde quo Spiritûs afflatu *Hymnos* poterant componere *Prophetæ* non *Clerici*, eodem possent & illi qui in *Ordinem* fuissent allecti. Et quidem in Ordinariis Ecclesiæ Rectoribus hæc *dona* tamdiu durâsse verisimile est, quamdiu erant *Ordinaria*. Cum paulatim deficerent, tum *Hymnos* edebant, non

ut antea Divino afflatu & pro re natâ, sed datâ operâ & ingenio humano; vel etiam *Hymnos* adhibebant *Prophetarum* decessorum, seu *Davidicos*, seu alios illos è veteri & Novo Testamento desumptos, quos locum constat habuisse in antiquissimis Ecclesiæ Officiis, aut etiam eorum qui eâ vixissent ætate quâ nondum ea dona defecerant. *Essenorum* (quorum mores quamplurimi in *Christianos* descenderunt) *Preces* alias nullas legimus quàm *Metricas*, & quidem omni *Metri* genere accuratissimè conceptas. Proximum ab ætate *Apostolorum*, de cultu *Christianorum* Testem habemus *Plinium* juniorem, qui cum de summâ *Christiani*, quem appellat, *erroris* indagavisset, alias tamen *preces Christianorum* nullas reperit præterquam *Carmen Christo quasi Deo* nuncupatum. Haud aliter Autor *Philopatridis* quem ego *Trajano* longe recentiorem existimo, & ipso fortasse *Luciano*. Is etiam decantatos memorat à *Christianis*

Phil. *de vit. Cont. p.*

Lib. 10. *Ep.* 97

Philopatrid.

stianis Hymnos, & quidem *totâ nocte*, nequas alias illis preces, saltem *nocturnas* fuisse suspicemur. Sequitur *Justinus* Martyr Ille quas εὐχὰς antea & εὐχαριστίας appellaverat, postea πομπὰς (respicit nimirum *Sacrificiorum* Ethnicorum coronatorum solennem deductionem) & *Hymnos* appellat, ut & ea etiam Officia *Metricè* concepta intelligamus. Jam vidimus ut *Psalmos* memoret *Clemens Alexandrinus*, eosque λειτουργίας ipso nomine insigniat. Multa ille etiam de *Canticis Christianorum* in initio *Protreptici*. Sic autem *Strom.* 7. Ἅπας ὁ βίος (veri *Gnostici*) πανήγυρις ἁγία. Αὐτίκα θυσίαι μὲν αὐτῷ, εὐχαί τε καὶ αἶνοι, καὶ αἱ πρὸ τῆς ἑστιάσεως ἐντεύξεις τῶν γραφῶν, Ψαλμοὶ δὲ καὶ Ὕμνοι παρὰ τὴν ἑστίασιν, πρὸ τῆς κοίτης· ἀλλὰ καὶ νύκτωρ εὐχαὶ πάλιν. Porro *Psalmorum* & *Odarum* in *Christum* ἀπαρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφείσων meminit Anonymus Scriptor vetustissimus sub *Zephyrino*; inter illos *Psalmos* nonnullos

Ap. Euseb. *Eccl. Hist.* 5. c. 28.

los edidisse *Nepotem* primæ ab Apostolis διαδοχῆς Virum Autorem habemus magnum *Dionysium Alexandrinum*. Et habemus hodieque duos à *Clemente*, alterum antea editum ad finem *Clementis*, alterum nuper à studiosissimo Reip. Literariæ Patre *Oxoniensi*. Quid plura? Meminit earundem Cantionum *Tertullianus*, *Cyprianus*, Synodus *Antiochena* adversus *Samosatenum*, Autor Anonymus sub nomine S. *Justini* Martyris Quarti ut existimo Seculi initio. In *Quæstionibus ad Orthodoxos*, *Athanasius*, Synodus *Laodicena*, *Basilius* Magnus, *Hieronymus*, *Ambrosius*, *Epiphanius*, *Augustinus*, *Socrates* Historicus. Sic eorum usum deduximus ad tempora *Theodoreti*, qui tamen justo Seculo junior erat *Frumentio*.

§. 10. Ita certè vices *Orandi* omnes occupabat *Cantio*, in primis præsertim Ecclesiæ Originibus, ut vix aliæ locum habere possent *Preces*, præterquam cantatitiæ. *Cantabant* in *Nocturnis Pervigiliis*. *Canta-*

Dionys. *Al. ap.* Euseb. *Eccl. Hist.* 7. 24.

Tertul. *Apol. c.* 39. *ad Uxor. L.* II. *c.* 6. 9. *Exhort. Cast. c.* 10.

Cypr. *Ep.* 11.

Synod. Antioch. *ap.* Euseb. *Hist. Eccl.* 7. 30

Quæst. ad Orth. CVII.

Athanas. *Ap.* I. *p.* 717. *A.*

Syn. Laod. *can. penult.*

Basil. *Reg. fus. Disp. interrog.* 37. *Ep.* 63. *Hom. in Psalm.* 50.

Hieronym. *Ep.* 4. 7. 17. 48. *in Ep ad Ephes.* 5.

Ambros. *Ep.* 14. *in Luc. c.* 16.

Epiphan. *Expos. fid. ad fin. Panarii n.* 23.

Augustin. *Confess.* 9. 6. 10. 33. *Ep.* 119. *c.* 18.

Socrat. *Eccl. Hist.* 6. 8.

Cantabant Matutinas &*Vespertinas*. Habemus hodieque formas *Hymnorum* vetustissimas *Matutinas* & *Vespertinas* in *MS. Alexandrino*. Nec alias sane habemus Ecclesiæ formas antiquissimas. Habemus *Cathemerina Prudentii, Odas Nazianzeni, Psalmos Apollinarii, Hymnos Synesii*, quorum tamen quatuor priores ab eo nondum *Christiano* Scriptos existimo. Habemus etiam de usu *Psalmorum Athanasii* Epistolam ad *Marcellinum* cum Bibliis compingi solitam. Erant enim in omnium usu *Psalmi Davidici*, & quæ illis in MSS. Bibliorum Codicibus adjungi solebant, *Cantica Moysis, Annæ, Habbaccuci, Zachariæ, Beatæ Virginis*, & similia; & aliorum quoque ubi visum esset, *privatorum* etiam hominum. *Cantabant* enim in *Ecclesiis*; *Cantabant* in domesticis *conviviis*; *Cantabant* in familiis *Maritus* & *Uxor*, & reliqui communis *mensæ* participes; *Cantabant* in suis Spiritualibus Exercitiis *Monachi*, & in suo quisquis opere

opere *Operarii.* Inde factum puto quòd nullas habeamus Ecclesiæ Primævæ *Liturgicas* formas admodum antiquas. Recentiores enim erant *Prosaicæ* Preces & gradatim in Ecclesiam introductæ. Non quòd *formas* omnes respuebant Primævi illi *Christiani* (nec enim illas respuebant *Judæi* in Officiis Publicis, etiam cum *Prophetas* haberent, nec sane aliter constare poterant *Respondentium Concinentiumque* vices si pro re natâ omnes fuissent editæ) sed quòd receptis uterentur *Judæorum Hymnis*, aliisque à *Prophetis* seu aliis deinde *primarii* nominis *viris*, conditis, quos quidem nos pro publicorum Officiorum *formis* hactenùs non habuerimus. Nec modò in *Officiis* Ecclesiæ *Ordinariis*, verum etiam in *Sacerdotalibus* horum *Hymnorum* usum obtinuisse crediderim. Certè post administratam *Eucharistiam*, quemadmodum mos erat post *Sacrificia*, *Hymnum* à Domino cum suis decantatum narrant Evangelistæ. Erant enim apud Judæos, è Libro suo Sacrifico *Psalmorum*

morum

morum nonnulli *Sacrificiis* aptati, nonnulli etiam illis *Sacrificiis* idonei quæ offerrentur in *Festis* primariis, præsertim *Paschatis* Festorum omnium celeberrimi. Quidni hisce usos credamus *Christianos* in suis quoque *Sacrificiis* Veterum *Sacrificiorum* loco suffectis? Ita fiet ut cum Psalmis *Davidicis* in *Sacrificii Paschalis* solennitate usurpari solitis uterentur, ea fuerit *Eucharistia Ordinaria*; cum novis uterentur *suis* à Divini Spiritûs afflatu, ea fuerit εὐχαριστία ἐν τῷ πνεύματι cujus meminerit Apostolus. Paulatim tamen, ne tædium obreperet, nunc *cantare Psalmos*, nunc solebant *recitare*; cum *cantarentur* propriè *Psalmi* audiebant, *Preces* verò cum recitarentur. Et sane breves illæ, quæ in Antiquissimis apparent *Liturgiis*, & passim interpolatæ loquentium vices, & mistæ *Antiphonæ*, (quæ certè vox *Musicam* prodit originem) & cum Lectionibus *Hymni*, pro *canentium* potiùs Regulis aptatæ sunt, quàm

recitantium. Gradum fecit primum fortaſſe *Athanaſius* qui ita *legi* Pſalmos juſſit, ut ad *recitationem* propiùs quam ad *Cantilenam* accederent. Inde Officia *Proſaica* admixta, ut in hanc devenerint tandem quam videmus formam.

S. Aug. Conf.

§. 11. Antiquiſſima tamen omnium quæ habemus *Officia*, Officiorum ſunt duntaxat *Sacerdotalium*, præcipuè *Sacramentorum*. Quotidianorum Officiorum formas, in *Pervigiliis*, in *Matttinis*, in *Horis*, in *Veſpertinis*, in *Lucernariis*, habemus adhuc longè recentiores. In promptu ratio eſt. Hæc enim *Officia* quia erant *Laicorum*, eorum proinde *arbitrio* permiſſa ſunt, ut quos vellent *Pſalmos* à ſe etiam in *loco ſancto* cantandos, ipſi, nullâ præſcriptâ *formâ*, pro re natâ deligerent, ni aliud interveniſſet *publicum* Eccleſiæ Officium. Nec enim Ordinaria illa *Officia* per publicos *Eccleſiæ* Miniſtros, ut nunc mos eſt, peragi ſolebant. Conveniebant autem, ut

tulit

tulit impetus, in Ecclesiam, *Laici* quicunque, etiam *Catechumeni*, & quem visum esset, *Hymnum* illum canebant. Id certè discimus ex Augustino: *Quando autem* (inquit) *non est tempus, cum in Ecclesiâ Fratres congregantur, sancta Cantandi, nisi cum legitur aut disputatur, aut Antistes clarâ voce deprecatur, aut communis Oratio voce Diaconi indicitur?* Ergo & in *Ecclesiam* conveniebant, nec aliud ullum cultûs *Officium* exercebant præterquam *Cantandi*; nec enim *Lectio* ad *cultum* referenda, aut *Disputatio*; nec verò *deprecatio* ad *Canentes* referenda, sed indicenda ad *Diaconum*, *peragenda* ad *Antistitem*. Inde intelligimus usum vocis *Oremus* in *Liturgiis* attributæ *Diacono*. Monebatur scilicet *Populus* à *Diacono* qui ἱεροκήρυκος vicem repræsentabat, ut à privatis *Psalmodiis* absisterent, & *communi* illi, quam appellat, omnium *Orationi* attenderent. Aliter, etiam *præsente* Episcopo, & *precibus* etiam

Aug. Ep. 119. ad Jan. c. 18.

am *privatis* incumbente, pergebant nihilominus illi, ni aut *indictam* à *Diacono Orationem*, aut *clarâ voce deprecantem* ipsi audiissent. *Canebant* autem aut in medias partes divisi invicem *succinentes*, aut alio præeunte, pro *Chori* hodierni more, *respondentes*. Ita certè fecisse *Ægyptios*, *Libyam* utramque (tam *Pentapolitanam* scilicet, quàm *Libyam* propriè sic dictam) *Thebæos*, *Palæstinos*, *Arabes*, *Phœnices*, *Syros*, & qui ad *Euphratem* habitant, immo omnes, apud quos *vigiliæ*, ac *preces*, communesque *Psalmodiæ* in pretio fuerint, testis est *Basilius*. Quarum certè Regionum mores *Frumentium* non poterant, cjusque *Mercatores*, earum proculdubiò Regionum Mercatores *Romanos*, latere.

§. 12. Utque non latuerint, nihil impediebat quò minùs imitarentur. Nec enim *Psalmodia* illa erat Officium *Sacerdotale*. Tantum aberat ut pro tali officio haberetur ut ne quidem in *Ecclesiâ*

munus

munus illud obierint *Sacerdotes*. Jam vidimus *Laicos* in *Ecclesiâ* cecinisse *privatas* nempe Preces. Et quoties *communis* illa, de quâ loquitur *Augustinus*, Oratio offerretur quæ ab *omnibus* omniumque *Ordinum* Personis erat offerenda, missis nimirum *Precibus* privatis, *Psalmodiam* in eâ similiter *communem* non obibant iidem qui antea *Laici*, sed in *publico* Ministerio constituti, similiter tamen & ipsi *Laici*. Nec enim *Sacerdotibus* accensebantur Ecclesiæ *Lectores* atque *Cantores*. Tantum inquam hoc aberat, ut *cecinerint* publicè *Mulieres*, in cœtibus nempe *Mulierum*, vel in proprio saltem *Choro*. Ita coram *Juliano*, in Translatione *Babylæ*, concinebant Psalmum *Viri* pariter ac *Mulieres*, *Juvenes* atque *Virgines*. Quid vetat igitur quominus *Indorum Æxumitarum* hanc λειτουργίαν non de aliquo Officio *Sacerdotali*, sed de hâc *Psalmodiâ*, intelligamus, præsertim cum & illud etiam probaverimus rectè

Socrat. 3. 18. *Sozomen.* 5. 19. Theodoret. 3. 19.

λειτουργίας

λειτουργίας nomine insigniri posse? Sed ubinam (inquies) eo illam nomine insignit ipse *Theodoretus*? En tibi locum, & quidem manifestissimum. Fovebat *Leontius* Episcopus *Antiochenus* Semi-Arianus *Aetium* hæreticum. Propterea discedunt ab ejus Communione *Flavianus* & *Diodorus*, ἱερατικῆς μὲν λειτουργίας μηδέπω τετυχηκότες, τῷ δὲ λαῷ συντεταγμένοι, inquit *Theodoretus*, ut proinde illos *Laicos* fuisse certissimum sit. Hi primi *Psallentium* choros *duas* in partes diviserunt, & *Davidicos Hymnos* alternis canere docuerunt. Quid hic *Leontius*? Eo novo artificio plurimos pietate insignes viros pelliciebant à partibus *Leontii*, ex *Ecclesiâ* nimirum in *Basilicas Martyrum*, in quibus illi pernoctare solebant, Deum *Hymnis* celebrantes. Quid hic *Leontius*? Prohibere ausus non est, sed blandis in speciem sermonibus hortatus est ne id Ministerium alibi quàm in *Ecclesiis* obirent, ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις ταύτην γενέσθαι παρ' αὐτῶν τὴν

Theodoret. *L. 2. Hist. Eccl. cap. 24.*

τὴν λειτουργίαν ἠξίου. Sic *Theodoretus.* Ergo *Theodoreto Psalmodia* est λειτουργία, talis tamen λειτουργία quæ convenire possit hominibus ἱερατικῆς λειτουργίας μήπω τετυχηκόσιν, quæque ab iisdem posset in *Ecclesiis* obiri. Notavit certè ante nos *Valesius,* laxiorem esse apud *Theodoretum* hujus vocis significationem. Valef. *Not. ad L.* 11. *c.* 27. Et ne *Psalmi* illi qui etiam *Preces* erant *Liturgiæ* nomine putemus excludi, memorat etiam Concilium *Laodicænum* λειτουργίαν εὐχῆς, & quidem verbis disertissimis: Περὶ τοῦ τὴν αὐτὴν ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑΝ τῶν ΕΥΧΩΝ πάντοτε, καὶ ἐν ταῖς ἐννάταις καὶ ἐν ταῖς ἑσπέραις ὀφείλειν γίνεσθαι. *Concil.* Laodicen. *Can.* 18. Has *Preces quotidianas* probabile est in *Ecclesiis* suis cum *Indis Mercatoribusque* dixisse *Frumentium,* in quibus, pro *Romano* etiam ritu, nulla erat opera *Sacerdotalis.* De hâc itaque *Liturgiâ* si illum interpretemur, jam cum *Rufino, Socrate, Sozomeno* accuratissimè conveniet ipse quoque *Theodoretus.*

§. 13.

§. 13. Dixi prætera vulgarium Ecclesiæ cœtuum aliud fuisse Officium, *docendi* nimirum causâ illud, idque ipsum rursus duplex, *legendi* Scripturas & *concionandi*. Rectè poterant etiam hæc λειτυργίας nomine generali designari. Scripturæ vocem *Ebræam* תורה nunc νόμον, νόμιμον, ἐντολὴν, πρόσταγμα, θεσμὸν reddunt Seniores, nunc ἐξαγγελίαν, λόγον ut nimirum tam *Legem* scriptam, quàm etiam *ore* traditam explicatamque denotet. Iidem illam etiam per λειτυργίαν. Sic enim 2 *Par.* 31. 4. de Ezechiâ: *Præcepit Populo habitantium Hierusalem ut darent partes Sacerdotibus & Levitis, ut possent vacare legi Domini* למען יחזקו בתורת יהוה ὅπως κατισχύσωσιν ἐν τῇ λειτυργίᾳ οἴκȣ κυρίȣ, *Græci* inquiunt Interpretes. Tantundem ergo valent apud illos *Lex Domini* & λειτȣργία οἴκȣ κυρίȣ. *Lectorum* autem munus non fuisse *Sacerdotale* constat, ne quidem in *solennibus* Ecclesiæ Officiis. Nec fuit etiam illud *Sa-*

cerdo-

cerdotale Doctorum. Permissum certè hoc erat *Origeni* ut *publice* in Ecclesiâ dissereret, *Scripturasque* interpretaretur, præsente etiam *Episcopo.* Cumque hoc ipsum *Theoctisto* Episcopo *Cæsariensi* & *Alexandro Hierosolymitano* exprobraret *Demetrius* Episcopus *Alexandrinus*, nunquam antea auditum, necdum factum, ut *Præsentibus Episcopis Laici* concionarentur, refellit *Demetrium Alexander* prolatis in medium aliquot exemplis, *Euelpidis* in *Larandis*, in *Iconio Paulini*, in *Synnadis Theodori. Idque etiam alibi* (inquit) *fieri credibile est, quamvis nos ignoremus.* Disputatur utrinque de *consuetudine* duntaxat, non de *Jure* aliquo *Sacerdotali* Officii quod impediret quo minus hoc *Laicis* liceret, *permittente* nimirum *Episcopo.* Quod verò attinet ad munus *docendi Catechumenos*, ubi *non* interfuisset *Episcopus*, illud eidem *Origeni* concesserat ipse *Demetrius*, ut proinde de eo ne quidem fuerit disputa-

Euseb. *Hist. Eccl.* L. 6. c. 19.

 tum,

tum, quin rectè possit in *Laicum* convenire. Atqui hoc ipsum satis erat *Frumentio* nostro *Romanisque Mercatoribus*. Non *Fidelium Doctoratum* obibant (quod fuisset fortasse gravius) sed duntaxat *Catechumenorum*, credentium nimirum *Axumitarum*. Non ergo impedit vox illa λειτουργία quo minùs & *Orare* possent, & *Catechumenos Æthiopas* in fide Christianâ *erudire*, nec tamen obierint munus aliquod *Sacerdotale* verè propriéque sic dictum.

Cont. Vind. D. Stillingfl. c. 5. p. 357, 358

§. 14. Id verò aliunde colligit Amicus noster *Anonymus*, è verbis illis, quod dicantur more *Romano* illas λειτουργίας celebrâsse; *Romanis* enim λειτουργίαν cum *Eucharistiæ* administratione fuisse conjunctam. Ego ex eisdem verbis contrarium elicio. Quas enim dixi λειτουργίας concedebant *Laicis*, ut jam visum est, mores etiam *Romani*, præsertim in *necessitate* constitutis; non item Potestatem concedebant obeundi Sacra *Eucharistica*, aut cujuscun-

cunque generis Officium *Sacerdotale.* Ut proinde si *Romano* more λειτουργίαν celebrârint *Laici*, id fecisse illos duntaxat necessarium fuerit quod *Laicis* fuerit, pro *Romanorum* more, permissum; ab eo abstinuisse quod fuisset illis, pro eorundem *more*, interdictum. *Romano more*, id est, *Christianorum* Imperii *Romani*, ut opponuntur *Barbaris*, non autem *Ecclesiæ Romanæ* propriè sic dictæ, ut aliis *Romani* Imperii opponitur *Ecclesiis*. Sic enim vertit *Socrates*. Quas appellaverat *Rufinus Romano* ritu Orationes, easdem *Socrates* χριστιανικὰς εὐχάς, quod scilicet rarus esset extra *Romanum* Imperium *Christianismus*. Nec aliud certè voluit *Rufinus* cum *Romanos* illos *Mercatores* nuncupat, quàm quòd *Imperii* essent *Romani*. Longiùs enim aberat ab illis Imperii *Romani* terminis ipsa *Roma* quàm ut cum eâ illos quippiam commune habuisse verisimile sit. Quid verò permiserint, in id genus Cau

ſis mores *Romani*, ex aliâ conſtat Controverſiâ quæ eâ ipſâ ætate, illiſque ipſis Imperii partibus oborta eſt quibus vixit geſſitque hæc *Frumentius*. In ipſâ *Tyro Frumentii* patriâ coactum eſt Concilium adverſùs *Athanaſium* ejuſdem ſymmyſtam atque Patronum, à *Semi-Arrianis*. Hìc cuſa eſt inter alias mendaciſſimas calumnias & illa quoque in *Athanaſium*, celebratam fuiſſe in *Mareote*, ab *Iſchyrâ* quodam *Meletiano*, quem volebant illi, *Presbytero Euchariſtiam* celebranti ſuperveniſſe ſeu *Macarium* Preſbyterum *Athanaſianum*, ſeu ipſum etiam *Athanaſium*, & ab eorum altero fractum eſſe ſacrum *calicem* in quo celebrârit *Iſchyras*. Hæc cum falſa eſſe conſtaret aliis idoneis ipſius loci Teſtimoniis, ita prætèrea refellunt *Athanaſiani* ut oſtendant ne quidem fuiſſe *veriſimilia*. Nec enim *Presbyterum* fuiſſe *Iſchyram*; nec *Eccleſiæ* curam habuiſſe; & interfuiſſe, ipſis *Arianis* fatentibus, eodem illo tempore quo hæc geſta ferebantur

ferebantur, *Catechumenos*: nec gesta etiam eo tempore quo solerent haberi, pro illius *Ecclesiæ* more, *Synaxes*. Ita fuisse testabantur Presbyteri & Diaconi *Mareotici*, Epistolis duabus, alterâ ad Synodum Tyri, congregatam, alteram ad *Philagrium Ægypti* Præfectum. Inde ita argumentatur ipse *Athanasius*: οὐκοῦν οὐκ ἦν προσφορὰ εἰ Κατηχούμενοι ἔνδον ἦσαν. Ita Synodus *Alexandrina*: Καὶ γὰρ ὁ τόπος οὐκεῖνος ἐν ᾧ κεκλάσθαι τὸ ποτήριόν φησιν, οὐκ ἦν ἐκκλησία, πρεσβύτερος οὐκ ἦν ὁ τὸν τόπον παροικῶν, ἡμέρα καθ' ἣν Μακάριον τοῦτο πεποιηκέναι φασὶν, οὐκ ἦν κυριακή. Μήτε τοίνυν Ἐκκλησίας οὔσης ἐκεῖ, μήτε τοῦ ἱερουργοῦντος, μήτε τῆς ἡμέρας ἀπαιτούσης, ποῖον ἢ πότε, ἢ ποῦ τὸ ποτήριον κέκλασται μυστικόν; Rursus: Μηδὲν ἦν ὅλως ἐκεῖ. πῶς γάρ; ὅπου μήτε τόπος κυριακῆς. μήτε τις ἐκεῖ τῆς Ἐκκλησίας, ἀλλὰ μήτε ὁ καιρὸς Μυστηρίων ἦν. Tantùm enim aberat ut facro calice *uti* possent *Laici* ut ne quidem *habere* solerent. Sic enim

Ep. ad Synod. ap Athanas. *Ap.* 11. *p.* 792.

Ad Philagr. *ap. eund. p.* 794. Athanas. *p.* 800

Synod. Al. *ap. eund. p.* 731.

Ibid. p. 732.

enim illi: πῶς οὖν ἰδιώτης ἄνθρωπος, καὶ οἰκίσκον οἰκῶν ἰδιωτικὸν, ποτήριον ἔχειν μυστικὸν προσθεῖν; Ita *Julius* Episcopus *Romanus*: Πῶς οἰόντε ἦν προσφορὰν προσκεῖσθαι ἔνδον ὄντων τῶν κατηχουμένων; Ita Synodus *Sardicensis*, ὡς ἀπὸ τούτου φαίνεσθαι, μηδόλως γεγενῆσθαι τι τῶν μυστηρίων, διὰ τὸ τοὺς κατηχουμένους ἔνδον εἶναι. Hinc itaque discimus quinam fuerint, de quibus loquitur *Theodoretus*, mores illi Romani.

Ibid.

Ap. eund. p. 747 *Ibid. p.* 764. & *ap.* Theod. *Hist. Eccl.* 2. 8.

§. 15. Discimus imprimis, non in *omnibus* Ecclesiæ cœtibus locum habuisse *Eucharistiam*, sed duntaxat in *Synaxibus* propriè sic dictis, quæ & ipsæ haberentur duntaxat *hebdomadatim*, diebus nempe *Dominicis*, quod certè convenit cum *Justino* Martyre accuratissimè. Erat autem hoc proprium fere *Alexandrinorum*, *Romanorumque*, ut proinde rectè possit in causâ *Ischyræ* rectè urgeri qui in *Mareote* agebat, in Diœcesi nimirum *Alexandrinâ*. Vicini tamen *Alexandrinis* *Ægyptii* & *Thebaidis* incolæ, in *Sabbatis*

Apol. 2.
Socrat. *Hist. Eccl. L.* 5. *c.* 22.
Sozomen. 7. 19

batis quidem celebrabant *Synaxes*. *Euchariſtiam* tamen non præcipiebant niſi pranſi & ſub *veſperam*. In aliis pleriſque locis, *binas* celebrabant *Synaxes* hebdomadatim, & quidem illas cum *Euchariſtiæ* perceptione conjunctas. Inde Officia προηγιασμένων cum quis vellet eo die communicare quo *conſecrari* Euchariſtia non ſoleret. Porro ſolennes habebant *Alexandrini* Synaxes *quartâ* quâque feriâ & *Paraſceue*, nec tamen *Euchariſtiam*. Ita factum ut in *quotidianis* Precibus nullum prorſus fuerit Officium *Sacerdotale*, nec proinde neceſſarii fuerint *Sacerdotes* præterquam in diebus *Feſtis* & Solennitatibus *Euchariſticis*. Officia enim *quotidiana* cantabant, ut vidimus, etiam in *Eccleſiâ* ipſi *Laici*, ſeu intereſſet, ſeu etiam nullus intereſſet è *Clericis*. Sed & *Publicos* Eccleſiæ *Cantores Lectoreſque Laicos* habebant omnes, ſed *fideles*; id proprium fuit *Alexandrinorum* quod admitterent etiam *Catechumenos*. *Baptiſ-*

Socrat. 5. 22. 6. 8. Soz. 7, 19

Socrat. & Soz. *ibid.*

mum

mum rarò, nisi in præcipuis Anni *Festis*, administrabant. Proinde nulla est Sequela ex eo quod *Romano more* Cœtus Ecclesiasticos habuerint *Mercatores* atque *Frumentius*; habuisse utique Officia *Sacerdotalia*. Id potius sequitur, si more *Romanorum Christianorum* vulgari habuerint, proinde nulla habuisse. Et præsumendum est de *vulgari* more intelligendum esse *Rufinum*, cum qualis fuerit è multis moribus mos ille de quo loquitur, non designârit accuratiùs.

§. 16. Discimus 2. pro *Romanorum* more, recte colligi nullam fuisse Eucharistiam ubi adessent *Catechumeni*. Et tamen *propriam* sibi *Missam* habebant *Catechumeni*. Non est itaque ut ex Officiis *Romano* more celebratis mox concludamus fuisse *Eucharistica*. Poterant enim esse *Catechumenorum* Officia, non *Fidelium*. Id quod hoc in loco est sane verisimillimum. Eo enim consilio instituta hæc Officia sunt, ut *Indi* converterentur. Proinde

inde & *Lectionem* & *Conciones* tales fuisse consentaneum est quales erant apud *Alexandrinos* illæ *Catechumenorum*. Atqui apud illos *Fidelium Doctores* erant plerunque *Presbyteri*, Doctores *Catechumenorum* poterant esse *Laici*, qualis fuerat apud *Alexandrinos Origenes*. Id quoque *Alexandriæ* observatum ut ne quidem in *Ecclesiâ* erudirentur *Catechumeni*. Id enim exprobrat *Demetrius Alexandro* atque *Theoctisto*, quòd in *Ecclesiâ* docuerit *Laicus Origenes*. Proinde Institutio ejus illa *Catechumenorum Alexandrina* non fuit tamen in *Ecclesiâ*. Ita, pro more *Romano*, ne quidem *Ecclesiæ* dignitatem assequebantur Conventicula in quibus instituebantur *Catechumeni*. Sed & *Officiis* illis interfuisse probabile est *Indorum* illos *Catechumenos*, quorum præcipuè causâ instituta sunt. Quod enim ad *Fideles* attinebat, ipsos nempe *Mercatores*, illi jam initiati erant, & extra periculum constituti: & si antea non

molestè tulerint quòd *Sacramentis Sacerdotibusque* caruerint, non erat quòd molestè ferrent, dum conversis *Indorum* Ecclesiis præficeretur *Episcopus*. *Indorum* ergo caussâ ea necessaria existimabant *Officia*, ut proinde exclusos ab iisdem *Indorum Catechumenos* non sit omnino verisimile. Quòd si *interfuerint*, jam sane, pro prædicto *Romanorum* ratiocinio à suis *moribus* deducto, nulla esse potuit *Eucharistia*.

§.17. Discimus 3. pro eorundem *Romanorum* more, Sacra *Eucharistica* alibi haberi non potuisse nisi in *Ecclesiis*. Sic enim argumentantur, quia Pagus quo agebat *Ischyras* ne quidem propriam haberet *Ecclesiam*, sed alterius Pagi Ecclesiæ fuisset; proinde colligunt incredibile videri celebratam eo quo ferebatur loco, ab *Ischyrâ* fuisse *Eucharistiam*. Non negant interim in eo ipso Pago fundi potuisse *Preces*, & *Precibus* fundendis destinata esse potuisse *Oratoria*. *Ecclesiam* itaque

que intelligunt, proprio Legum *Romanarum* ſenſu, pro loco legitimè *conſecrato*. Utque aliis in locis fundi potuiſſent *Preces*, propriam tamen faciunt id genus *Eccleſiarum Euchariſtiam*. Sic enim accuſatus eſt eo nomine *Athanaſius* quòd *Synaxin* celebrâſſet, etiam neceſſitate cogente, in novâ *Conſtantii Eccleſiâ* nondum Conſecratâ. Apolog. ad Conſtat. p.682 Quanquam enim *Synaxin* illam σύναξιν εὐχῆς appellet, ut diſtinguat ab *Encæniis*; certum eſt tamen fuiſſe cum *Euchariſtiâ*. Id enim poſtulabat Solennitas ipſa *Paſchalis*, quâ ſingulis erat communicandum, nec ut antea, in ſuis cuique Eccleſiis *Parochialibus*, ſed ubi ipſe adeſſet *Epiſcopus*. Id poſtulabat quòd in eâ *Synaxi* reſponſum dicat à Populo *Amen*; nec enim omnium erat *Precum* illa Populi Reſponſio apud Veteres, ſed Officii præſertim *Euchariſtici*. Ità autem propria erat *Epiſcoporum* legitima illa *Conſecratio*, ut etiam Synodum *Epiſcoporum* indixerit *Conſtantinus* non alio Euſeb. vit. Conſtant. L. 4. c. 43.
 nomine

nomine quàm ut *Martyrium Hierosolymitanum* in suis *Tricennalibus* magnificentissimè consecrarent. Quòd si ad *Romanorum mores* exigamus *Oratoria* illa *Frumentii*, nullum certè locum in illis habere potuit *Eucharistia*. Deerant enim *Episcopi* qui *Ecclesias Romano* ritu Consecrarent. Nec ritè potuit in illis, nondum consecratis, *Eucharistia*, pro eorundem *Romanorum* more, ipsa consecrari.

§. 18. Discimus 4. ad *Eucharistiæ* Consecrationem, pro ritu *Romano*, necessarium fuisse *Sacerdotem*, & quidem illum, pro Regulis *Ecclesiæ*, legitimum. Sic enim colligunt, non fuisse *Ischyram Sacerdotem*, cum nec *Meletius* illum in suæ Factionis Sacerdotum albo recensuerit, & pauci admodum illum pro *Sacerdote* agnoverint; quòd *Colluthus* illum ordinâsse ferretur ipse ab *Hosio* in Synodo *Alexandrinâ Sacerdotio* multatus, & Potestate omni, si quam antea habuisset, exutus; quòd ipse

etiam

etiam *Iſchyras* ſimilem fuiſſet cenſuram expertus. Inde colligunt, ne quidem credibile eſſe *Sacerdotem* egiſſe illum qui fuerit duntaxat *Laicus*. Eodem ratiocinio refellemus etiam *Frumentii Mercatorumque* Officia *Sacerdotalia*. Si enim nulli fuerint inter illos *Sacerdotes* (id quòd maximè contendunt Adverſarii) ſequetur, pro hujus ratiocinii tenere, nulla fuiſſe, inter eoſdem, Officia *Sacerdotalia*. Quod ſi fuerint inter illos *Sacerdotes*; jam univerſa Adverſariorum Argumentatio concidat neceſſe eſt, de Officiis Laicorum *Sacerdotalibus*, præſertim ſi ad hos, quos dixi, *Romanorum mores* exigantur.

§. 19. Quod ſi putes de ipſis duntaxat *Officiis* intelligendum eſſe *Theodoretum*, eadem nimirum *Officia* in ſuis *Oratoriis Indos* præſtitiſſe *Mercatores*, eandemque obſervaſſe Officiorum *formam* quam ſolerent obſervare *Romani*; non item de *Miniſtris*, nec enim *Sacerdotes*

cerdotes habuisse *Ministros*, quos tamen in Officiis *Sacerdotalibus* Ministros solerent adhibere *Romani*: Hæc si inquam, vera credas, ea credes quæ nuspiam innuunt seu *Rufinus*, seu ipse etiam *Theodoretus*; ea quæ, pro Ævi *moribus*, sunt admodùm incredibilia. Nuspiam innuunt illi, ne *Ministros* quidem defuisse, pro *Romanorum more*, legitimos; nuspiam ab illis gestum esse quicquam quod, pro *Romanorum moribus*, esset *improbandum*. Ni *Frumentius* necessarium credidisset in *Ecclesiâ* illâ novellâ *Episcopatum*, cur adeo longinquum iter suscepisset ad consulendum, eâ de causâ, *Athanasium*? Quòd si necessarium crediderit, cur interim *Laicis* munera *Sacerdotalia* mandaret? Quæ quæso illa tanta festinatio quæ tam ægrè pateretur tantilli temporis moram, dum & numerus converteretur, satis amplus ad constituendam *Ecclesiam*, & Conversis præficeretur *Episcopus*? Conversæ sunt eâdem ætate *Constantini* & aliæ Gentes. Con-

Converſi *Gothi*, converſi *Iberi*, & converſi adeo neceſſarios crediderunt *Epiſcopos*, adeò tamen non *Laici* fuiſſe Juris ut ultrò illos à *Conſtantino* expetierint, nec ulla tamen legimus apud illos interim Officia *Sacerdotalia*. Apud *Iberos* certè nulla eſſe poterant, ne quidem pro Principiis *Tertulliani*. *Mulier* enim captiva eos converterat quæ ſola erat inter illos *Chriſtiana*, legitimè nimirum *baptizata*. Et tamen *Eccleſiam* illi, antequam accepiſſent Epiſcopum, *Orandi* cauſâ condiderant. Similis erat & *Saracenorum* & *Gothorum* aliorum cauſa Imperante *Valente*. Quod igitur Gentes alias converſas minime feciſſe legimus, non eſt quòd facilè credamus feciſſe *Æthiopas Axumitas*. Præſertim cum *Epiſcopos* adeo neceſſarios crediderint omnes, non utique ita credituri, ſiqua *Laicis Sacerdotalia* munera licita credidiſſent.

Caput V.

De S. Petronillæ Sacerdotio *Fabula refellitur.*

Virginum *nulla mentio in Primævis Ecclesiæ* Martyrologiis. §. 1. *Inde* Errores *recentium* Martyrologiorum, *quoties de Seculi Apostolici* Virginibus *loquuntur, frequentissimi.* §. 2. *Fabulam omnem de S.* Petronillâ *parùm verisimilem ostendit ipse* Baronius. §. 3. Consecratam *tamen ab eâ* Eucharistiam, *ne quidem ipsum testatur* Martyrologium. §. 4.

§. 1. Quæ porro *Grotius* de *Petronillâ* subjungit, S. *Petri* filiâ, quæ etiam *Eucharistiam* ipsa *Fœmina* celebrârit, ita sunt levia ut bonorum dignorumque fide Testimoniorum inopiam prodant. *Hoc*

Hoc ipse credidit, & alios credere voluit (inquit *Grotius*) *Scriptor vetus Martyrologii.* Timidè omninò, quasi non crederet ipse *Grotius* quod crediderit imperitus *Martyrologus.* Nec verò admodum laborandum quid crediderit faber iste *Martyrologii.* Nos alibi ostendimus quàm sint *Apostolicorum* Temporum testes infidi. Nondum incepisse morem illum ostendimus *colligendi* Acta Martyrum posterisque transmittendi; nondum *Natales* eorum annuos fuisse celebratos, ut etiam *fine* Scriptis eorum fides possit illibata transmitti. Nedum ut *eorum gesta* Scriptis mandarentur qui ne fuissent quidem *Martyres*, nec publico aliquo in *Ecclesiâ* Officio illustres, qualis illa fingitur fuisse *Petronilla. Virginum* nulla mentio in antiquissimis simplicissimisque *Martyrologiorum* formulis, non illâ *Bucherianâ*, nec in *Africanâ* (quæ *Bucherianæ* simillima est,) quam nuper edidit ingenti Antiquitatis Ecclesiasticæ beneficio

Diss. Cypr. 11.

Analect.Tom.3. doctissimus *Mabillonius*. Ad *Kalendariorum Romanorum* formas proximè accedunt illæ, quibus & Originem debuisse verisimillimum est, illorum nempe *Kalendariorum* quæ in *Divorum* Principum memoriam constructa sunt à *Pontificum* Collegiis ad eorum memoriam cultumque institutis, qualia habemus hodiè *Julii Cæsaris* atque *Constantini Magni*. Nullum autem in id genus *Kalendariis* cultæ *Virginitatis* exemplum. Non equidem nego magni *Christianos* primævos fecisse *Virginitatem*. Id unum dico, nulla earum gesta *Scriptis* fuisse mandata, nec in *publica* Ecclesiæ monumenta fuisse recepta, ut in recentiorum *Martyrologiis*. Id quod satis abunde confirmant *Martyrologiorum* errores. Ut enim *Fabulas* prorsus *commentititias* missas faciamus, quæque nullum habeant, in probatæ fidei monumentis vel vestigium; *mulieres* in *Historiâ* commemoratas vix aliquas in *Virginum* censum referunt, primorum ante

Con-

Conſtantinum Seculorum, recentiora iſta *Martyrologia*, quæ quidem fuerint reverâ *Virgines*. Inde diſcimus recentiorum Temporum eſſe illud exemplum referendi *Virgines* in publicas *Eccleſiæ* Tabulas, quod cum vellent in *primævis* Eccleſiæ *Seculis* imitari, nec ullum haberent probæ fidei, cur ita facerent, monumentum; proinde omnes id genus Hiſtorias, partim commentis, partim Rhapſodorum conjecturis, fuiſſe corruptas.

§. 2. Sic in Seculo Apoſtolico *Theclæ* Virginis hiſtoriam omnem à Presbytero *Achaiæ* penitus fuiſſe confictam, teſtis eſt coævus Fabulæ ipſe *Tertullianus*. E *Philippi* Tertul. *de Bapt.* filiabus duas equidem in *Virginitate* conſenuiſſe ait *Polycrates*, aliam *Epheſi* nuptam innuere exiſtimat *Valeſius*. *Flaviam Domitillam* Valeſ. *in* Euſ. *Hiſt. Eccl.* unicam memorant bonæ fidei Hi L. 3. *c.* ſtorici quæ *Chriſti* cauſâ exulaverit, *Flavii Clementis* Conſulis *uxorem*, quam tamen duplicem facit *Baronius*, ut fidem *Martyroloigorum* tueatur,

atur, quæ *Domitillam* aliquam in *Virginum* censum retulerunt. Unicam (inquam) refert *Dio*, unicam *Bruttius*, qui tamen ita in illius designatione discrepare visi sunt, ut de unâ eademque fœminâ illos intelligi posse non viderint hactenus Eruditi. *Domitiani* sævitiam eo nomine accusat *Dio* quòd uterque *Domitiani* fuerit affinis, tam *Clemens* maritus occisus, quàm pùlsa in exilium uxor *Domitilla*. *Clemens* erat ἀνεψιὸς consobrinus, *Domitilla* etiam συγγενὴς ἑαυτοῦ. Ad *Domitianum* referenda vox illa in *Dione*, ut fuerit nimirum *Domitiani* συγγενὴς, nec enim *gradum* quo *Domitianum* attigerit *Domitilla*, memorat Historicus. At *Bruttii* verba ita intelligunt ut *Clementis* potiùs quàm *Domitiani* συγγενὴς fuerit illius *Domitilla*. Sed rectè, ut existimo, monuit *Scaliger*, apud *Bruttium*, pro ἐξ ἀδελφῆς legi posse ἐξαδέλφην, & ad *Domitianum* posse referri. Ita illum eodem attigerit cognationis gradu quo maritus *Clemens*.

Dio Xiphilin. in Domitian. Bruttius ap. Euseb. Hist. Eccl. 3. 18. & in Chron.

Scalig. ad num. Euseb. 2112.

Clemens. Eundem enim designant gradum ἐξάδελφος ac ἀνέψιος. Fieri etiam potest ut è verbis *Bruttii* elapsa sit, aut per Ellipsin usitatissimam intellecta fuerit vox γυνὴ, quâ nimirum relatio ejus ad *Consulem* fuerit consignata. Quòd *neptem* fuisse addit, id de proprio certè *Valesius.* Inde tamen constat, Ellipsin, quam dixi, illum agnovisse. Quòd autem in *Pandatariam* relegatam scribat *Dio*, in *Pontiam Bruttius*, ne ea quidem discrepantia satis magna est ut propterea de fœminis duabus illos intelligamus. Utraque Insula, tam *Pandataria* quàm *Pontia* propriè sic dicta *exiliis* nobilis est, nec adeo invicem dissita quin ut possint facilè ab Autoribus pro alterâ altera intelligi. *Pontiæ* erant duæ, *Iscia* altera, altera *Pontia* propriè adversus *Formias, Pandataria* in sinu *Pateolano.* Sæpe autem junguntur invicem ab Autoribus *Pontia* & *Pandataria.* Porro simili errore *Perpetuam* & *Felicitatem* pro *Virginibus* habent

Mar-

Martyrologia, quas tamen nuptas etiam *peperisse* testantur earum Acta genuina edita ab *Holstenio*. Sed *Fæminas* illustres quascunque, ni constaret de Matrimonio, pro *Virginibus* habent *Martyrologia*.

§. 3. Ita meritò suspectiora habebuntur quæcunque de primorum Seculorum *Virginibus* tradunt recentiora ista *Martyrologia*. Id quod ni constaret aliunde, vel hoc ipso *Petronillæ* exemplo colligere poteramus. *Filiæ S. Petri* prima mentio apud *Adimantum Manichæum*, ex *Apocryphis* nimirum, ut ait S. *Augustinus*. Et sane verisimile est suppositititiis Apostolorum nomine tabellis (quales multas confinxerant illius Sectæ Impostores) deberi hujus *Virginis* Natales. Necdum tamen *nomen* acceperat ista S. *Petri* filia; necdum *Virgo* fuerit, an Uxor: an expetita fuerit ad nuptias, & quâ illas arte declinârit, nondum erat exploratum. Recentiorum Monachorum debemus ista commentis.

Contr. Adimant. *c.* 17.

Certè

Certè hanc fabellam quod attinet, adeo multa continet à verisimilitudine omni abhorrentia, ut ni cæcâ *Martyrologiorum* fide fuisset constrictus, ne quidem probaturus fuerit ipse *Baronius*. Observavit ipse fieri vix *potuisse* ut vera fuerint de S. *Petri* filiâ quæ de *Petronillâ* suâ tradunt Fabulatores. Observavit perperam atque imperitè à S. *Petri* nomine ipsum *Petronillæ* derivari nomen; à *Petri* nimirum nomine *Petrillam* potiùs appellandam, à *Petronio* autem *Romano* nomine, pro Regulis Grammaticæ, formari *Petronillam*. Observavit prætere, pro Ecclesiæ *Romanæ* Principiis qui negant Apostolum ab Apostolatu cum uxore consuevisse, proinde eo tempore nasci illam oportere, quo nondum *Petrus*, sed *Simon*, dictus fuerit Apostolus. Eo igitur confugit, ut (si vera sint quæ de eâ traduntur) non à *natalibus* illud, sed à *Baptismo*, habuerit nomen *Petronillæ*. Sed cur, quæso, nomen *Romanum* à Parente qui

Baron. *An.* 69. *n.* 32, 33.

qui non fuerit ipse *Romanus?* Erant fateor, ut alibi ostendi, multi etiam è *Judæis* Cives alioqui *Romani*, qui proinde duplici appellarentur nomine, *Ebræo* alio, alio *Romano*. At S. *Petri* nomen *Romanum* nullum legimus. Et verò *Romanum* non fuisse ex ipsâ ejus *crucifixione* constat. *Civium* enim *Romanorum* non erat ea pœna, ne quidem *capite diminutorum*; sed vel *deportatio* ad *Insulam*, vel damnatio ad *metalla*, aut ad *bestias*. Observavit præstereà sub *Domitiano*, quo fertur Imperante defuncta, ne quidem adeo potuisse esse *formosam*, ut eam *Flaccus* ardentissimè adamarit, anum nimirum circiter sexagenariam, & quæ fuerit, antequam à Patre sanaretur, prætereà *Paralytica*. Proinde eò propendet Eruditissimus Cardinalis, propterea illam Apostoli *filiam* appellatam, non quòd fuerit ab eo *genita*, sed *regenita* potiùs, pro eâdem formâ quâ & *Marcum filium* idem salutat Apostolus. Propendet eò

Diss. Cypr. 5. §. 12.

cò ut & *Marcelli* nomine inſcriptam Epiſtolam de fide habeat ſuſpectam, teſtem, ut videtur, proximum *Apocryphis Manichæorum.* Et tamen hiſce omnibus opponit recentiorum Seculorum Traditionem. Sic enim ſequitur: *Sed quicquid ſit, hæc de illâ redduntur certa firmaque majorum Traditione, compluribuſque illuſtrata monumentis.* Quaſi verò quæ fuerant in *fonte* ſordes non etiam debuerint in *rivos* emanare, aut firma poſſet eſſe *Concluſio* quæ ex infirmis fuerat collecta *Præmiſſis*, aut plus eſſet in cauſâ *Facti* tribuendum *recentioribus* Teſtimoniis quàm *antiquioribus*, quæque propiùs ad *Factum* ipſum accederent. Ita ſcilicet Eruditionem ſane præſtantiſſimam, præconceptæ tamen depravare poterant opiniones, & Superſtitioſæ Inſtitutionis præjudicia.

§. 4. Neque verò eſt quòd ſibi gratuletur aut Cauſæ ſuæ Vir Doctiſſimus ſi nihil eſſet in hujus Teſtimo-

ſtimonii fide reprehendendum. Nec enim ait *Martyrologus* conſecratam à ſuâ *Petronillâ* fuiſſe *Euchariſtiam*. Id unum dicit, *celebratis Dominicæ Oblationis Myſteriis, mox ut Chriſti Sacramentum accepiſſet, reclinâſſe ſe in lectulum, Spiritumque emiſiſſe. Acceptum* legimus ab eâ *Chriſti Sacramentum*: non legimus *traditum*, ne quidem *collactaneæ*, quæ adfuiſſe fingitur, *Felicillæ*, nedum *conſecratum*. *Celebrata* legimus *Dominicæ Oblationis Myſteria*; *Celebrantis* nulla prorſùs mentio, an *Petronilla* fuerit, an *Felicilla*, an verò tertius aliquis, qui interfuerit, Eccleſiæ *Sacerdos*. Quæ tamen de *recentioris* Eccleſiæ *Martyrologiis* intelligenda ſunt. Celebrantis enim *Presbyteri* nomen *Nicomedem* legi in *Bedæ* Martyrologio monuit me Amicus eruditus *Paulus Colomeſius*. Ita univerſa concidet Argumentatio. Et tamen quidni celebrari dicamus Euchariſtiam, tam ab accipientibus quàm à Conſecrantibus?

ſecrantibus?

ſecrantibus? Non id certè adeò alienum eſſet in Communione *Præſanctificatorum*, qualem hanc (ſi quidem fuiſſet ulla) fuiſſe veriſimile eſt. *Secretò ante omnem cibum panem* Euchariſticum *guſtare* ſolitas *Uxores* teſtis eſt *Tertullianus*. Nihil video quo minùs illa ſolarum communicatio rectè *Celebratio* poſſit appellari. In hâc tamen ſpecierum jam antea à *Sacerdote* conſecratarum communione nullum prorſus Officium *Sacerdotale*. Fueritne temporibus Apoſtolicis coævus mos ille *reſervandi* ſpecies *Euchariſticas*, non opus eſt ut operoſè indagemus. *Coævum* fateantur oportet qui *panem circa domos fractum*, Act. 11. 46. de pane *Euchariſtico* intelligunt. Et ſane veriſimile eſt *fuiſſe*, cum & *multitudinem* credentium perpendimus, & *Synaxeon* nimis frequentium minùs tutos ſuſpectoſque Conventus. Satis eſt impræſentiarùm ſi coævum *crediderit* imperitus *Martyrologii*

Tertul. *L.* 2. *ad uxor. c.* 5.

 faber.

ſaber. Id quòd equidem proclive erat ſi, pro more imperitorum, è *ſui Seculi* moribus judicârit de moribus *Temporum Apoſtolicorum.* Sed operoſiùs ſortaſſe, quàm merentur id genus ſtraminea monumenta, hanc Fabellam refutavimus.

CAP. VI.

Cap. VI.

Presbyteri *Officium nullum exercuit* S. Philippus Diaconus.

BAptizavit S. Philippus *antequam constituerentur Ecclesiæ* Rectores Ordinarii. §. 1. *Diaconi* Sacerdotes, & Ministerii Sacerdotalis *proprium Officium erat Externus* Aquæ *Baptismus.* §. 2. *Baptismum* Spiritus *intactum* superioris gradûs *Sacerdotibus reliquit* S. Philippus. §. 3.

§. 1. PErgit Cl. Dissertator, & probare conatur, ab initio Christianismi, non solis *Presbyteris* Jus fuisse *Eucharistiam* consecrandi. Videamus itaque quibus id

id conficiat Argumentis. Nempe eo imprimis quòd *Philippum* Baptizâsse legamus *Act.* 8. 12. 38. Est tamen illud exemplum (ut vidimus) antiquius constitutis in Ecclesiâ *Presbyteriis*. Non aliud hucusque agnovit Ecclesia *Regimen* quàm illud *Synagogæ*; nec aliis usa est in *Synaxeon* Officiis *Ministris* quàm *Prophetis*, Ministris nimirum *Extraordinariis*, ut proinde nihil inde possit colligi de *Ordinariorum* Ministrorum Jure, quæ nempe Jura *Presbyteris* postea constitutis reliquerint Apostoli, redactis tandem in ordinem *Prophetis*, & Potestate eâ quam antea exercuerant, exutis. Et ut fuisset eorum Temporum quibus *proprios* sibi Rectores, Regimenque *proprium* habuit *Ecclesia*; ne ita quidem aliquid probet quod sit ab Ecclesiasticis negandum. Quis enim est qui hodieque neget *Diaconis* Potestatem *Baptizandi*? Tantum abest ut inde sequatur (quod voluit Cl. Dissertator) fas esse Laicis *Sacerdo-*

talia

talia munera, capeſſere; ut ne id quidem probet (unde hanc Sequelam volunt, per Ratiocinii, quam putant, paritatem *elicere* Adverſarii) vel inferiori *Sacerdotii gradu* poſitis *Miniſtris* licita eſſe *ſuperioris* Officia.

§. 2. Sed credidit fortaſſe Diſſertator, ut ſpectat ad Officium *Sacerdotale Baptiſmus*, ſic pro *Sacerdotibus* non agnoſcendos eſſe *Diaconos*, ut proinde *Baptiſmus* à *Diacono* ſit Officium *Sacerdotale* à *non Sacerdote* adminiſtratum. Erravit plurimùm ſi ita ſenſerit Vir Eruditiſſimus. *Miniſtros* enim Sacrorum *Sacerdotibus* accenſitos alibi oſtendimus. Sic enim *Sacerdotibus Levitas* adjungit *Philo*; ſic *Epiſcopis Presbyteriſque Diaconos* Primævæ Eccleſiæ Scriptores. Nempe, pro *Helleniſtarum* placitis, duo erant *Sacerdotii* propriè ſic dicti munera, βελτιωτικὸν aliud, aliud ὑπηρετικόν. Βελτιωτικὴν εἰκόνα *Presbyteris* aſſignat *Clemens Alexandrinus*, ὑπηρετικὴν *Diaconis*. Clem. Alex. *Strom.* 7. *init.*

Diaconis. Inde illæ *Sacerdotum*, apud Veteres adeò frequentes διχοτομίαι. Ad ὑπηρετικὴν autem λειτουργίαν spectabat propriè *Baptismus*, præsertim *Aqueus* atque *Externus*. Sic enim quos *Baptizâsse* dicitur ipse *Dominus*, non *ipse* tamen baptizavit, sed *Discipuli*. S. *Joan*. 4. 1, 2. *Jussit* S. *Petrus* baptizari *Cornelium*, Act. 10. 48. ut proinde non obierit ipse *Baptismi* ministerium. Paucos admodum *Corinthiorum* baptizaverat S. *Paulus*, sed præcipuæ dignitatis illos inter *Corinthios*, *Crispum* 1 Cor. 1. 14. *Archisynagogum*, Act. 18. 8. *Gaium*, 1 Cor. 1. 14. *hospitem* nimirum *suum*, & *Universæ* prætereà *Ecclesiæ*, *Rom*. 16. 23. quem etiam ibidem *Erasto Corinthiacæ* Civitatis *Oeconomo* præponit; *Stephanam*, 1 Cor. 1. 16. quem *Corinthiis* omnibus proponit in exemplum, hortaturque ut ei velint esse subditi, cap. 16. 15, 16. Hos nimirum αὐτοχειρεὶ, at per *Ministros* alios quamplurimos *baptizâsse* probabile

probabile eſt, qui ejus *nomine* abuſi eſſent ad colorem *Schiſmati* ſuo quærendum. Nec enim tantos hoſce viros, tantiſque etiam præconiis hâc quoque ipſâ Epiſtolâ ornatos, veriſimile eſt fuiſſe *Schiſmaticos*. Nec alio, ut videtur, nomine ſe negat ad *Baptizandum* eſſe miſſum quàm quòd præ aliis Officii Apoſtolici muneribus vile illud eſſet *Aquei Externique Baptiſmi*. Sic enim ſolent *Ebræi* gradus *Comparandi Negatione* deſignare. *Miſericordiam volo, & non Sacrificium,* Oſ. 6. Matth.
i. e. *Præ Sacrificio* omni volo *Miſericordiam*. 9. 13. & 12. 7.
Certum enim eſt quo tempore ſcripſit hæc verba Propheta, etiam Deo grata fuiſſe *Externa Sacrificia*.

§. 3. Tantum ergo aberat, ut in hec *Aquei* Baptiſmi *Miniſterio* Superioris gradûs Officium uſurparint *Diaconi*, dum tamen illo, pro *ſuperioris Sacerdotii* nutu, fungerentur; ut magis proprium fuerit *Diaconorum*, quàm *ſuperiorum* etiam *Sacerdotum*. *Baptiſmus* in-

terim præcipuus, *Spiritûs* nimirum ille, *Supremi Sacerdotii* erat. proprius, nec unquam illum cum inferioribus communicabant. Baptiſmum *Aqueum* dabant, *Domino* etiam ſuperſtite, *Diſcipuli*; *Spiritûs* Baptiſmum inſufflavit ipſe *Dominus*. Inde factum ut à *Supremo Sacerdote* penderent accuratiſſimè *Miniſtri Sacerdotales*, propterea nimirum quòd ſine hoc *Spiritûs* Baptiſmo Baptiſmus *Aqueus* prorſus eſſet inutilis. Et quidem hunc Baptiſmum *Spiritûs* ne quidem auſus eſt attingere *Philippus* ille *Diaconus*. Accerſendi erant ab *Hieroſolymis* in *Samariam Apoſtoli* qui *Spiritum* darent Baptiſmo *Aqueo* luſtratis atque initiatis. Nec itaque ſpectabat ad Officium *Philippi* ſuperior ille *Spiritûs* Baptiſmus, nec auſus eſt *Philippus* eum dare Baptiſmum qui ſuum in Eccleſiâ ſuperaret Officium. Aliter fuiſſet ut ne fuiſſet quidem neceſſaria Apoſtolorum illa Expeditio. Sic itaque non inſerviet Diſſertatoris

ris conſilio hoc *Philippi* exemplum, ut potiùs è contra obſit. Temperandum enim cenſuit à *Supremi Sacerdotii* Juribus *Sacerdos* ipſe, ſed inferiori gradu, *Philippus*. Multò itaque potiori ratione à *Sacerdotii* Juribus abſtinebunt, pro *Philippi* exemplo, *Laici*, ne quidem omnino *Sacerdotes* Externo illo *Eccleſiæ Sacerdotio*. Adeo nulla eſt ſequela à communi cum *Diaconis* Officio *Baptizandi* ad *Euchariſtiæ* Officium cum iiſdem ſimiliter communicandum; ut ne quidem teneat ab *inferiori* hoc Baptiſmo ad *ſuperiorem* illum, quem dixi, *Baptiſmum*.

Caput VII.

De Calicis Benedictione *à Subdiaconi Canone* Laodicæno.

T*Emporum* recentiorum *Exempla nec* verisimilia *sunt*; *nec*, *si* vera, *pro Dissertatoris Principiis*, *omnino* probanda. §. 1. *In Canone* Laodicæno *Conjecturas parum verisimiles novus probat* Conjecturis *Dissertator itidem parum verisimilibus.* §. 2. De Officiis *Ecclesiæ* Publicis *agit Canon in quibus adessent Ecclesiastici* Subdiaconis *superiores.* §. 3. *Nec* novum *invehunt Exemplum Patres* Laodicæni, *sed* veterem *duntaxat* Disciplinam *instaurant.* §. 4. *Eò spectabant* Novitates *illæ* Subdiaconorum *in Canone memoratæ*

ut

ut Diaconorum *Officium ſibi vendicarent.* §. 5. Benedictio *illa, cujus meminit Canon, non erat* Sacerdotalis. §. 6. *Verba* ποτήριον εὐλογίας *deſumpta ab* Apoſtolo. §. 7. Vinum *præcipuè, præ aliis frugibus,* ſacrum *apud* Veteres. §. 8. *In univerſam* Vindemiam *migrare credebatur* Primitiarum Conſecratio, *quæ etiam facta in* Euchariſtiâ. §. 9. *Inde* Calix Euchariſticus ποτήριον εὐλογίας. *Cur* Panis Euchariſticus *non* ἄρτος εὐλογίας, *ſed* ἄρτος κλώμενος, *appelletur.* §. 10. *Reſp.* 1. *in Canone* Laodicæno *legendum* ποτήριον εὐλογίας, *non* εὐλογεῖν. §. 11. *Reſp.* 2. *ut legatur* εὐλογεῖν, *de* Miniſterio *tamen, quod obierint in* εὐλογίᾳ Diaconi, *intelligendum potiùs eſſe Canonem, quàm de ipſâ* εὐλογίᾳ. §. 12. *Reſp.* 3. *de priori* Conſecratione *in* Protheſi *intelligi poſſe, quæ eâ ætate, propria fuerit* Diaconorum. §. 13. Diaconorum

conorum *Officium à* Subdiaconis, *longe verisimilius est usurpari potuisse, quam* Presbyterorum. §. 14.

§. 1. ADdit deinde Cl. Dissertator de Diaconis, *factam ab illis Eucharistiam tam esse apertum, ut mirum sit reperiri posse Viros* τῆς τῶν χριστιανῶν ἀρχαιότητος οὐκ ἀγνοοῦντας, *qui id negent, nisi forte dicere mussant magis quàm negant.* Magnâ id equidem ille fiduciâ. Longe tamen abest ut, pro modo fiduciæ, respondeant Argumenta. Ex omni enim Antiquitate tres ille duntaxat quatuorve Canones adduxit, qui tamen ipsi *Walonem* fugerint infinitæ Lectionis & memoriæ hominem; & quidem illos *Conciliorum* minùs cognitorum, quorum nullæ prorsùs extant *Historiæ* è quibus Canonum disci possent *occasiones*, unde & illud etiam esset eruendum rectène *Patres* Dissertator intellexerit Canonum conditores. Inde factum ut sit longe facilius

facilius falsum horum Canonum excogitare sensum quàm excogitatum solidis & necessariò concludentibus Argumentis alioqui refellere. Nec tamen illud præterea advertit Vir Cl. quàm malè hæc conveniant cum Doctrinâ sui *Tertulliani*, cum eâ (inquam) Doctrinâ quâ solâ putat cum Ecclesiæ Disciplinâ conciliari posse Principia ista *Tertulliani*, atque adeo videri *verisimilia*, si nihil inde sequatur adversum *Disciplinæ* illi. Ecclesiæ Primævæ & Catholicæ, quæ longe certior erat atque evidentior quàm singularia illa & Nova *Tertulliani* dogmata. Si enim rectè hosce Canones intellexerit Dissertator; jam sequetur, etiam ubi esset *Sacerdotum Consessus*, ubi locum haberet Consessui debitus *honor*, & primariæ Sedis *Autoritas*, ubi essent *Sacerdotes* quorum ea, pro Ecclesiasticæ *Disciplinæ* Regulis, propria essent: Officia, etiam *confirmatâ* Seculorum aliquot decursu Ecclesiæ Disciplinâ, adhuc recte ab ipsis *Ecclesiasticis*,

clesiasticis, in facie *Ecclesiæ*, ipsisque solennibus Ecclesiæ *Conventibus*, violatam illam Ecclesiæ Disciplinam, permista *Sacerdotum* Superiorum inferiorumque fuisse Jura. Hæc, si *Tertulliani* ætate non licuerint, minùs verisimile est licuisse *recentioribus* illis Ecclesiæ temporibus quibus hos debemus Canones, ut proinde ne id quidem verisimile sit, fuisse unquam id genus *facta*, aliamque adeo quærendam horum Canonum Interpretationem. Ea tamen si fuissent, non essent utique, pro Principiis *Tertulliani*, omnino probanda, nedum in *Exemplum Juris*, Argumentumque trahenda. Damnavit enim, ut vidimus, *Tertullianus*, damnavit *Dissertator*, uti essent legitimè *Sacerdotum Consessus*, non Sacerdotum Facta *Sacerdotalia*. Malè itaque & inconsequenter Argumentatur ab id genus *Factis* quæ ne quidem ipse probaverit. Ab *Ecclesiâ* autem improbata ipsi illi testantur *Canones* quorum Testimonium

nium

nium adhibuit, hâc in causâ, Vir Cl. Ea certè à nobis potiùs audienda erit quàm *Tertullianus*, quàm nuperi *Diſſertatores*, utcunque aliàs Eruditi. Sed veſtigium *antiqui moris* in his Factis elucere putant, his ipſis Canonibus tandem extincti. Nihil faciet ad eorum cauſam quòd fuerint *antiqua*, cum & errores multos fateantur antiquos. Sed ne *primæva* exiſtimemus obſtat ipſe *Tertullianus*. Cum enim jam deſiiſſent *Laicorum* Officia, ſub *Sacerdotum conſeſſu*, Sacerdotalia, ætate *Tertulliani*; proinde non eſt ut exiſtimemus, quæ à Quarti Seculi Synodis damnata ſunt, ea moris fuiſſe *primævi*. Quòd ſi omnia ab Eccleſiæ Synodis *damnata* pro *primævis* habeant, jam *Hæreſes* omnes, jam cujuſcunque generis *abuſus* probabunt fuiſſe primævos.

§. 2. Sed videamus ecquid habeat tantâ dignum fiduciâ. Profert imprimis Canonem *Laodicenum* XXV. Ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας ἄρτον

διδόναι, ὐδὲ ποτήριον εὐλογεῖν. Duo inde colligit Differtator: 1. *ad id uſque tempus, ob multitudinem*, ut exiſtimat, *communicantium creſcentem indies, ſæpe & Subdiaconos non tantùm porrexiſſe panem, ſed & pronunciâſſe verba illa quibus calix benedicitur, ſive conſecratur*; 2. *deinde in poſterum id, nondum Diaconis, ſed Subdiaconis tantum, interdictum.* Sic nempe ille *Conjecturas* parum veriſimiles aliis probat *conjecturis* ex æquo minimè veriſimilibus. Quòd *Panem* porrexerint, quòd *Calicem* de *Facto* benedixerint *Subdiaconi*, id rectè potuit è Canone colligere. Quòd *ſæpe* fecerint; quòd *ad id uſque tempus*, quaſi nimirum ab ætate *Apoſtolorum* deſcenderit tunc primùm in Concilio *Laodiceno* damnata conſuetudo; quòd ſit tamen ea tribuenda *creſcenti indies* Communicantium multitudini; quòd *Calicis* illa *benedictio* de ejuſdem Sacerdotali *Conſecratione* intelligenda ſit: non hæc diſcimus è *Canone*, ſed è *Conjecturis*

jecturis Cl. Diſſertatoris, quæ & ipſæ omni Probabilitatis vel ſpecie deſtitutæ ſunt. Multa ſunt è contrà quæ ſuadeant, nec manâſſe ab *origine* Calicis qualemcunque *benedictionem* à *Subdiaconis*, ſed recentiorum fuiſſe Temporum, ſenſimque, ut ſolebant errores, irrepſiſſe; nec tamen *Sacerdotalem* illam Calicis fuiſſe benedictionem.

§. 3. Conſtat imprimis non de *Privatis* ſed de *Publicis* Synaxeon Officiis omnem eſſe in Canonibus illis ſermonem. De *Pſalmis* præcipiunt, non *privatis*, ſed in *Eccleſiâ*, Can. 58. *Pſallere* volunt duntaxat *Eccleſiæ Pſaltas*, quos *Canonicos* appellant, *Can.* 15. non utique de *privatorum* Pſalmodiâ intelligendi, ſed duntaxat *Eccleſiaſticâ*. Ἀγάπας arcent *Cant.* 28. non à Chriſtianorum uſu *privato*, ſed *Eccleſiaſtico*. Proinde non eſt ut de *carceribus* aut *Inſulis deſertis*, ubi nullus poterat haberi *Sacerdotum Conſeſſus*, Patres hoſce Canonéſve *Laodicenos* intelligamus, ut

proinde poſſint *non Sacerdotum* munera *Sacerdotalia*, pro ipſis *Tertulliani* Principiis, legitima cenſeri. Conſtat præterea 2. de illis *Eccleſiæ* agi *Conventibus*, in quibus locum ſupremum ne quidem *Diaconi* habebant, nedum ut potuerint habere *Subdiaconi*. Jam enim obtinuerant diverſorum Eccleſiæ *Ordinum* diverſa etiam *inſignia*. *Locum* habebant *Subdiaconi* ad *Oſtia*, Can. 22. nempe ad Sanctiſſimi *Adyti* Oſtia, ut videtur, omnia, tam πύλην θυσιαστηρίου ὡραίαν, quàm Διακονικοῦ. Oſtiorum enim *exteriorum* cura erat penes inferiores *Oſtiarios*. In Διακονικῷ locus erat *Diaconorum*, Can. 21. In Θυσιαστηρίῳ Ἱερατικοὶ, & quidem μόνοι, Can. 19. Quos autem Ἱερατικῶν nomine complexi ſunt, oſtendit Can. 24. *viz.* ἀπὸ Πρεσβυτέρων ἕως Διακόνων. *Epiſcopus* enim ipſe erat ἱερεὺς, reliqui Ἱερατικοὶ, qui ad *Sacerdotalem Catalogum* referrentur. Quanquam etiam locum potuerit hæc habere diſtributio in *Parochiis*,

Parochiis, etiam *Rusticanis*, ubi nullus tamen adesset *Episcopus*, Reliquos *inferiorum* Ordinum Clericos Ἐκκλησιαστικῆς τάξεως nomine complectuntur Patres *Laodiceni*, in illis etiam *Subdiaconos*. Ergo *Sacerdotalia* Officia, θυσίας, & σπονδὰς, *Vini* nimirum σπονδὴν *Eucharisticam*, alibi præstitisse credemus quàm in Θυσιαστηρίῳ? Alios præstitisse quàm Ordinarios Ecclesiæ *Sacerdotes*? Illos præstitisse quibus in *locum* Sacerdotalium Officiorum ne quidem *aditus* de Jure pateret? Et quidem præsentibus, & in Θυσιαστηρίῳ agentibus, Ecclesiæ *Sacerdotibus*? Quæ propria essent Ordinis cujusque Jura ex ipsâ illâ *Locorum* accuratissimâ distributione satis manifestè colligimus. Inde discimus, siquis *Inferiorum* Superiorum Jura violâsset, non id tamen *Jure* suo fecisse, sed per *abusum*; non *consuetudine* aliquâ ab *Apostolorum* usque temporibus ad ea *Laodicæni* Concilii tempora deductâ, nedum ab *Ecclesiâ* eousque probatâ.

probatâ. Nihil poterant valere distributi adeò accuratè Ecclesiasticorum *Ordines*, nihil sejuncta Ordinum *loca*, si nihilominùs *Jura* omnia permiscere poterat *Inferiorum* Ambitio. Non hæc certè, ubi præsens adesset *Sacerdotum Consessus*, probaturus erat, pro suis Principiis, ipse *Tertullianus*.

§. 4. Hæc adhuc eò fortiùs Adversarios constringet Argumentatio, si animadvertamus, 3. non hujus *Concilii* hanc fuisse distributionem, sed à *Majoribus* acceptam; nec ab eo primùm *institutam*, sed usui pristino *restitutam* atque vindicatam. Supponit enim hoc Concilium jam olim distincta invicem Θυσιαστήριον atque Διακονικόν. Supponit *Personarum* Ministrantium causâ factam hanc *locorum* fuisse distinctionem. Quòd ergo cavet de distinctione illâ munerum in posterùm cautiùs observandâ, non utique novam introduxit, sed veterem duntaxat disciplinam instauravit. Sic etiam cùm de *Subdiaconis* decernit

cernit τὰς θύρας μὴ καταλιμπάνειν, Can. 22. non *novum* illis locum constituit, cavet duntaxat ne à *constituto* discederent. Ergo jam antea locus *Subdiaconorum* erat ad *Ostia* Sanctuarii. Jam antea exclusi erant ex *locis* non modò *Sacerdotum*, sed etiam *Diaconorum.* Et cum *Officiorum* causâ distinguendorum facta fuerit *locorum* illa distinctio: sequitur ut à *locis* Sacerdotum, sic ab *Officiis* quoque *Sacerdotalibus* jam antea summotos fuisse *Diaconos.* Vel ergo non erat *Sacerdotalis* illa *Calicis* à *Subdiaconis* benedictio; vel necessariò concedendum est *Officium* illos egressos fuisse *Subdiaconos.* Utrumvis elegerint Adversarii, non procedet eorundem Argumentatio. Si *Sacerdotalis* illa non fuerit benedictio, nihil itaque pertinebit ad causam Officiorum *Sacerdotalium* à non Sacerdotibus præstandorum. Sin eam præter *Officium* adhibuerint, non erit itaque eorum *Factum* pro *Exemplo* statuendum. Constabit

ſtabit certè adeo nihil, in ejus damnatione, novâſſe Patres *Laodicenos*, ut contrà *Subdiaconis* ipſis *Novitas* illa tribuenda ſit, qui ipſi ab *Antiquiorum* normâ deflexerint.

§.5. Nec verò ab *origine* manâſſe damnatos illos à Concilio *Subdiaconorum* errores, inde prætereà colligimus, 4. quòd eò ſpectent omnes, ut *Diaconorum* Jura *Subdiaconis* vendicarent, omnemque adeo utrorumque diſtinctionem funditùs everterent. *Diaconorum* locum proprium diximus fuiſſe Διακονικὸν. quibus tamen patebat aditus in Θυσιαστήριον, pro eo nimirum quod *Sacerdotibus* propriè ſic dictis præbebant Officio ὑπηρετικῷ. At utroque loco pellendi erant *Subdiaconi*, à Θυσιαστηρίῳ quidem, Can. 19. à Διακονικῷ, Can. 21. *Diaconorum* erat Sacra *vaſa* contingere, quæ propterea reponebantur in Διακονικῷ. At eo Sacrorum *vaſorum* etiam contactu arcendi erant *Subdiaconi*, Can. 21.

Ora-

Orarium etiam proprium erat ita *Diaconorum* ut non aliis conveniret qui quidem essent *Diaconis* inferiores. Nempe ab Officio *Orandi* seu *Prædicandi*, ut vult Synodus *Toletana*, 4. Can. 40. *Prædicatio* illa propria erat *Diaconis*, qui respondebant *Græcorum* ἱεροκήρυξι, & *Christianis* Orationes *indicebant*. Id tamen etiam *Subdiaconos* constat usurpâsse, 2 Can. *Laodicen.* 22. Sic & in hoc ipso de quo agimus Canone 25. *Panis* Eucharistici *distributio*, ab antiquissimis usque temporibus, erat *Diaconorum*, teste omni exceptione majore *Justino* Martyre; sic & *Poculi* distributio, teste *Cypriano*. Adeo certum est nullum fuisse in hoc *Subdiaconorum* facto moris veteris vestigium, sed potiùs ipsos à veterum institutis discessisse. Nec enim *Diaconos* credent Antiquarii cum *Subdiaconis* esse confundendos, Juris nimirum *Apostolici* Officiarios, cum aliis illis qui Juris essent duntaxat *Ecclesiastici*; Juris etiam, sine dubio, *Sacerdotalis* cum illis quos ne ipsa quidem quæ illos

constituerit Ecclesia *Sacerdotibus* nunquam accensuerit; Juris deniq; sine dubio *Primævi* cum illis quos *Ecclesia* Apostolicis Temporibus *recentior* invexerit. Quod si propria sibi jura habuerint, etiam ab origine, *Diaconi*, *Subdiaconorum* illam oportet fuisse novitatem qui Jura aliena jam antea recepta pervaserint, præsertim Jura hæc *Diaconatûs* omnium sanctissima, quæ quidem spectant ad Officium *Eucharisticum*.

§. 6. Nec modò novum erat *Subdiaconorum* hoc exemplum, sed nec quicquam habebat commune cum Officio *Sacerdotali*. Nec enim qualemcunque Calicis *benedictionem Sacerdotalem* fuisse intelligimus, sed illam duntaxat, quæ *Sacramentalis* est, & quâ fit ut promissa Christi Beneficia consequamur, & cum eo *Pactum* ineamus. Ergo alia quæcunque *Benedictio* quæ nec *Pacto* nos initiat, nec *Jus* quoddam *Legale* confert ad *Beneficia* in Pacto promissa, ut *locum* possit in Officio tam Sancto aliquem

quem habere, certè *Sacramentalis* non eſt, nec proinde propria *Sacerdotii* Evangelici. De eâ autem, quam dixi, *Benedictione* ne intelligamus, obſtat imprimis illud, Quòd hæc quæcunque fuerit, ad *Diaconorum* Officium ſpectârit quod modò dixi à *Subdiaconis* fuiſſe uſurpatum. Tum & ea quæ in priori cauſâ produximus, quòd & *præſentibus* iis facta ſit, quorum ad Officium attineret Poteſtas *Conſecrandi*, & in *loco* quo celebrari non ſoleret Conſecratio, & à *Miniſtris* qui *Sacerdotibus* duntaxat inſervirent dum *jam Conſecrata* à *Sacerdotibus* Elementa in Populum *diſtribuerentur*. Id quod, in alia, ſuppeterent Argumenta, Canonis ipſa verba ſatis manifeſtè oſtendunt. Ait enim de *Pane Euchariſtico*, Ὅτι ὐ δεῖ ὑπηρέτας ἄρτον διδόναι. Nulla hìc *conſecrandi* Panis mentio. Ergo *non Conſecratum* ſupponemus? Ita eſſe non potuit *Euchariſticus*, nec cum *Populo Euchariſtico* Conſecrato jungendus. *Diſtribuerunt* tamen dun-

taxat *Subdiaconi*, non item pronunciârunt in *Panis* distributione *Consecrationis* verba solennia. Cur itaque in *Poculi distributione* pronunciâsse fingemus? Nec enim omnino verisimile est, *Panem* ipsos *Consecrâsse* Ecclesiæ *Sacerdotes*, Ministrisque consecratum tradidisse; *Poculum* dedisse *nondum Consecratum* à ministrantium *Diaconorum* inferioribus *Ministris* utique *Consecrandum*. Quòd factum putat Cl. Dissertator propter *Communicantium Multitudinem*, in eo Virum alioqui Prudentissimum fugit ratio. *Distributio* enim in magnâ Communicantium *Multitudine* multorum operam fortasse postularet, non item *Consecratio*. Nec verò poterit verisimilis ulla vel fingi ratio cur *Pani* omnium *Consecrando* suffecerint Ecclesiæ *Sacerdotes*, *Vino* itidem *Consecrando* non suffecerint. Utriusque Consecrationem *Antistiti* tribuit Antiquissimus *Justinus* Martyr, & *Vinum* ait à *Diaconis*, pariter ac *Panem*, jam *Consecratum* inter

Justin. Ap. 2. fin.

inter Communicantes fuiſſe diſtributum.

§. 7. Id verò fateor admodum eſſe difficile, quæ fuerit nimirum illa *benedictio* à *Conſecratione* diverſa. Exiſtimat *Petavius* fuiſſe ſignum *Crucis* quod ſuper *Calicem* duxerint cum *Diaconis* cum traderent *Subdiaconi*. Nec dubium eſt quin eam *benedictionis* conſuetudinem per ſignum *Crucis* uſurpârint illius ævi *Chriſtiani*. Unde tamen probabit in *Communicatione Eucharisticâ* locum illam habuiſſe *Benedictionem*? Unde *Diaconis* Euchariſtiam tradidiſſe *Subdiaconos*, ſuperioribus nimirum Miniſtros inferiores, quòd tamen damnârunt in *Diaconis* Patres *Nicæni* cum & illi traderent *Presbyteris*? Si de *Traditione* aliâ Canonem *Laodicenum* intelligat *Conſecrationi* prævia; Unde vel id probabit, Elementa *Conſecranda* Diaconis tradidiſſe *Subdiaconos*? Unde de *illâ* potiùs *Traditione* Patres *Laodicenos* eſſe intelligendos quàm de aliâ illâ quæ *Communican-*

municandis facta creditur? Unde *nondum sacrata* Elementa eâ *Laicorum benedictione* fuisse tractanda? Unde potiùs in *Poculo* quàm in *Pane*, locum illam habuisse *benedictionem*? Sed conjecturæ suæ diffidit ipse *Petavius*. Videamus itaque ecquid Nos certius, Deo opitulante, possimus investigare. Imprimis formam loquendi, quâ usi sunt *Laodicæni* Patres, à S. *Paulo* accepta, suspicor, eumque habuisse ob oculos Patres illos, cum hunc ipsum, de quo agimus, constituerent Canonem. Sic enim & ille *Panem Eucharisticum* simpliciter *Panem* appellavit, 1 *Cor.* 10. 16, 17. non *Mystico* nomine *Corpus Domini*, nec ullâ *Consecrationis* factâ mentione. Et in alterâ specie accuratissimè. Nec enim *Sanguinem* illum *Domini* vocavit, sed nec *Vinum*, sed eâdem figuratâ locutione, ποτήριον & quidem εὐλογίας, v. 16. Ideóne *Benedictionem* aliquam in *Calice* factam suspicabimur, quæ non fieret etiam in *Pane*? Et quidem *aliam*
quàm

quàm quæ facta esset in *Pane*? Ita equidem putaveram propterea quòd in *Gentilium Judæorumque* Sacrificiis à *libatione*, quæ *Poculo* Eucharistico proximè respondebat, incipiebant *Hymni* & *Choreæ* in laudem Numinis, propterea, ut videtur, quòd post hilaritatem illam quam è *Vini* haustu conceperant, aptiores viderentur sacro illi *Enthusiasmo* percipiendo quo Sacra illa essent peragenda. Multis hæc probari poterant ni vidissem Orationem potiùs esse contrahendam. Et verò *corporeis* id genus auxiliis *Judæos* usos esse constat ad concipiendum Spiritum *Propheticum*. Sic *Musicam* adhibuit *Elisæus*, *cibum* filii *Esavi* & *vinum* senior *Isaacus*. Sic itaque putaveram ποτήριον illud εὐλογίας propterea esse dictum quòd *Populum* ad εὐλογίας concitârit. Rectè enim *Hymni* εὐλογίαι appellari poterant, à præcipuo nimirum eorum Argumento.

§. 8. Sed ne ita hanc intelligamus εὐλογίαν, ipse obstat Apo-

stolus

ſtolus qui de eâ agit εὐλογίᾳ, non quâ *Deus*, ſed quâ *Poculum* eſſet *benedicendum*: τὸ ποτήριον (inquit) τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν. Eodem modo *Poculum*, quo & *Panis* per εὐλογίαν conſecratur. Promiſcuè enim hæc verba adhibent Evangeliſtæ, ſeu εὐλογεῖν ſeu εὐχαριστεῖν etiam in cauſâ *Panis*. Proinde non eſt quòd concludamus, quæ locum habuit in *Poculi* conſecratione *Benedictio*, eam utique in *Pane* nullam fuiſſe, quanquam nulla memoretur; aut *alium* illius fuiſſe *Miniſtrum* quàm qui fuerat in *Pane*. Nec enim hæc prorſus veriſimilia ſunt, temporibus præſertim *Apoſtolicis*. Quæ, ergo, (inquies) cauſa cur in ſolo *Poculo Benedictionis* meminit Apoſtolus? Ardua omnino Quæſtio, nec temere dirimenda! Solent Veteris Inſtrumenti Scriptores neceſſaria hujus vitæ *Panis* & *Aquæ* nomine deſignare, & nonnunquam *Vini*. Proinde ea etiam in *Sacrificiis* adhibebant, ea præſertim in quibus *convivari* oportuit

com-

communicantes. Pro *Pane* erat מנחה cui respondebant Græcorum ὐλοχύται & Latinorum *falsæ fruges*. Pro *Aquâ* in Sacris *Vinum* duntaxat (quo & *Gentiles* in *libationibus* utebantur) ni *funesta* essent, ut in causâ *Zelotypiæ*, tunc enim pro *Vino Aquam* adhibebant. Eduliorum itaque participationes *Epulæ*, *Libationum Convivia* propriè solebant appellari. A *bibendo* enim *Convivia* arcessunt *Grammatici*, quibus accuratè proinde respondebant Græcorum Συμπόσια, & Ebræorum משתה. Jam verò ad *hilarem* quendam, ut dixi, *Enthusiasmum* concitandum instituta erant solennia illa, quæ dixi, Sacra, quo alacriùs *Hymnos* in laudem Numinis decantarent, ut proinde piaculum contraheret siquis importunâ aliquâ *tristitiâ* Sacra funestâsset. Nec enim apud *Judæos* modò, verum etiam apud *Gentiles* vetitus est *Sacerdotibus* etiam propinquorum *luctus*. Hanc itaque *hilaritatem* cum præcipuè *Vinum*, ut dixi, concitaret,

 proinde

proinde & de *Vino* Deum *benedixerunt* Sacrificantes Convivæ, & *Vinum* ipſe *Deus*. Sic enim quod ſenſibus humanis gratum eſſet, id à *Deo benedici* Veteres exiſtimabant.
Gen. 27. 27. Sic *Iſaacus*, ut *ſenſit veſtimentorum* Jacobi *fragrantiam*. *Ecce*, (inquit) *odor filii mei ſicut odor Agri pleni, cui benedixit Dominus*. Si propter *olfactûs* jucunditatem *ager* à Deo *benedici* cenſetur, cur non *Vinum* propter *guſtûs* jucunditatem, præſertim accedente ejus uſu in
Jud. 9. 13. *Sacrificiis*? Proinde vinum *Deum lætificare* dicitur *& homines*. Id fateor pro linguæ *Ebreæ* quodam Idiotiſmo, quo eximia quæque *Deo* tribuuntur. Sic ſuprà v. 9. de *Oliva* dicitur, ejus pinguedine *Deos uti & homines*. Sic *Moſes* infans *Deo gratus* fuiſſe dicitur, propter egregiam illius *formam*, Act. 7.20. ἀϛεῖος τῷ θεῷ. Et *Jeſus* puer *gratiâ* profeciſſe apud *Deum & homines*, Luc. 11. 52. Rectè tamen inde colligemus, ni fallor, pro eximio quodam Dei dono *Vinum* habuiſſe

buisse *Veteres*, & quidem propter hanc quam ferebat *hilaritatem*, Psl. 104. 15. Nec sane usum illum *Olei* & *Vini* in *Sacris* à *Jothamo* in Ænigmate neglectum esse crediderim. Cum enim *ficum*, cujus nullus usus in *Sacris* commendandam susciperet, jam nullam facit de *Deo* mentionem. Proinde *Deo* de *Vini* dono gratias præcipuè agendas censuerunt, ei illius *primitias*, tam *uvas*, quàm etiam *mustum* consecrabant. Nec mirum id, cùm & Gentes *Ethnicæ* similiter, præ Diis aliis omnibus, *Bacchum*, de eodem *Vini* dono, præcipuo quodam cultu celebrarent.

§. 9. *Primitias* autem propterea consecrabant, non modo *Gratitudinis* causâ, pro jam receptis à Deo Beneficiis, sed eo etiam nomine ut *Benedictio Primitiarum* in universam *Vindemiam* transiret, ut & illam participarent à *Deo* in *Primitiis* benedictam. Sic enim in *Primitiarum* causâ, & (quod propiùs ad causam nostram spe-

ctat) *libaminum*, è receptis illius Ævi dogmatibus argumentatur A-
Rom. 11. 16. postolus; *Quòd si delibatio sancta est, & massa.* Nec vero id in primâ illâ *novarum frugum* dedicatione duntaxat habebat locum, sed in aliis quoque *Sacrificiis, Libaminibusque.* Recondi enim solebant in totius Anni usus *Primitiæ*, ut proinde omnes, quæ quidem causâ publicâ solerent offerri, è *primitiis* offerrentur. Est enim alia Sacrificiorum *privatorum* ratio, si è *voto* illa, & à libero offerentis *arbitrio* proficiscerentur. Aliter enim & illa annicula offerenda erant, ut quàm proximè ad *Primitias* accederent. Inde *delibare* idem apud Autores quòd *inchoare*, nempe quia è *Primitiis* solebant esse *libamina.* *Libatio* autem *tantum-*
Isidor. Orig. L. 6. c. 19. *modo Calicis oblatio est*, inquit *Isidorus.* Inde videmus quàm aptè in *Calicem* conveniat hæc *benedictio.* Videmus etiam omnium *libationum* benedictionem in universam transire *Vindemiam.* In ipso certè

certè *Poculo Eucharistico* non soliùs *Sacramenti*, sed ipsorum quoque Sacramenti *Elementorum*, habitam fuisse rationem, colligimus è Patre post Apostolos omnium antiquissimo, *Justino* Martyre. Sic enim ille de suo προεστῶτι Acceptis (inquit) Elementis, Αἶνον καὶ δόξαν τῷ πατρὶ τῶν ὅλων, διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, ἀναπέμπει καὶ εὐχαριστίαν ὑπὲρ τοῦ κατηξιῶσθαι τούτων παρ' αὐτοῦ ἐπὶ πολὺ ποιεῖται. Non itaque pro *Christo* duntaxat, meritisque ejus per *Sacramentum* applicandis facta est solennis illa *Gratiarum Actio*, sed pro ipsis etiam Sacramenti *speciebus*, quæ ibi ἄρτος & ποτήριον, ut in nostro Canone, similiter appellantur. Quin potiùs aliam nullam εὐχαριστίαν apud *Ethnicos* Principes commemorandam censuit quàm hanc quæ etiam ab ipsis satis potuit intelligi. Εὐχαριστίας causæ sanctiores, apud ἀμυήτους, erant utique omnino reticendæ. Sic & Irenæus: *Sed & suis Discipulis* *dans*

Justin. *Mart. Ap.* 2. *p.* 97.

Iren. *adv. Hær. L.* 4. *c.* 32.

dans consilium Primitias Deo offerre ex suis Creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex Creaturâ Panis est, accepit & gratias egit dicens, Hoc est Corpus meum; & calicem similiter, qui est eâ Creaturâ, quæ est secundùm nos, suum Sanguinem confessus est, & Novi Testamenti novam docuit Oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo Mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, Primitias suorum munerum in novo Testamento. Vid. etiam l. 5. c. 2. Sic & *Origenes* cujus verba secundâ Parte excripsit Dissertator.

Origen. c. Cels. l. 8. p. 416.

§. 10. Id porro etiam in *Justino* meritò observandum est, in ipsa *Elementa* transire illam quàm *Patri* factam memorat *Gratiarum actionem.* Postea enim ἄρτον, οἶνον & ὕδωρ εὐχαριστηθῆναι ait, cum tamen nulla antea, præter eam quæ *Patri* facta esset, præcesserit εὐχαριστία. Rectè id nimirum, pro illius Seculi dogmatibus. *Sanctificari* enim

enim *Creaturam* docet Apoſtolus per λόγον Θεῦ, & ἔντευξιν. 1 *Tim.* 4. 5. Ea non alia eſt quàm εὐχαριστία. v. 3, 4. Ergo *Creaturas* εὐχαριστεῖν, factâ *Deo*, de acceptis ab eo Creaturis, εὐχαριστία. Nec alias fuiſſe crediderim *Euchariſticas* Ævi Apoſtolici *Conſecrationes*, quàm ſolennes illas de *Terræ* fructibus *Gratiarum Actiones*, adjectâ etiam *Chriſti paſſi* mentione, noviſque eo nomine *Gratiis*. Sic enim factum ut novam *Sacramenti* ſanctimoniam induerent, novis deinde *Corporis Sanguiniſque* Myſticis nominibus appellanda. Ut ergo idem erat Deo εὐχαριστεῖν eundemque εὐλογεῖν, ſic & in cauſâ *Poculi* tantundem valebunt. Ita intelligimus rectè *Calicem Euchariſticam* ποτήριον εὐλογίας, aptéque potuiſſe appellari. At eâdem cauſâ (inquies) & *Panis Euchariſticus* ἄρτος εὐλογίας fuerit appellandus. Præcipiebat enim eandem, cum *Calice*, benedictionem, & in eo *Panis communis* univerſa etiam *ſpecies*.

Fateor

Fateor accepisse. Et tamen frequentiores sunt, in sacris Literis, de *Calice* quàm de *Pane*, id genus locutiones. De *libationis Calice* ita Psaltes: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Ps. 116. 13. *Dominus pars hæreditatis meæ, & Calicis mei.* Ps. 16. 5. De *placentis* illis, quarum usus in Sacrificiis, quasque proprio מנחה nomine intelligunt *Rabbini*, nihil adeò magnificum. Id virtuti *Calicis*, quam dixi, *lætificæ* tributum verisimile est. Hæc ergo *Instrumenti veteris* exempla præiverint *Apostolo*, Patribus *Laodicenis* ipse vicissim præiverit Apostolus. Potuit in *Apostolo* & alia præterea esse ratio. Ut enim *Calicem Eucharisticum* ποτήριον nuncupat εὐλογίας, sic *Panem* similiter *Eucharisticum* ἄρτον κλώμενον. Nempe *ultimam* Sacerdotis actionem *Mysticam* memorandam censuit antequam traderet Communicantibus. *Poculum* enim *benedictum* statim tradit Communicantibus, non item *Panem*,

nem, sed benedictus antea *frangendus* erat quàm traderetur. Sic enim illam *fractionem* commemorant *Evangelistæ*, commemorat *Apostolus*, ut Actionis *Mysticæ* partem constituere censeretur. Ἐυλογήσας ἔκλασε, S. *Matth.* 26. 26. S. *Marc.* 14. 22. Ἐυχαριστήσας ἔκλασε S. *Luc.* 22. 19. 1 *Cor.* 11. 24. Accuratè monendum censuerunt omnes, in *Pane*, præter *Benedictionem* accessisse etiam ejusdem *Fractionem*, ut fuerit ea omnino memoranda. *Calicis benedictionem* cum nihil exceperit, rectè ille *Calix benedictionis* potuit propterea appellari. Quid quod propriò quodam Sacrorum Scriptorum Idiomate Eduliorum perceptio *Panis Fractione* denotatur, & nonnunquam solâ *Fractione*. Sic nimirum respondet vocibus *Ebræis* פרס & שבר seu בשבר. In Liquidorum perceptione nulla vox est quæ ita necessariò soleat adjungi.

§. 11. Ergo jam ad Canonem *Laodicenum* dupliciter existimo

poſſe Reſponderi. Primò fieri potuiſſe, per mutationem omnino facillimam, ut non εὐλογεῖν, ſed εὐλογίας, ſcripſerint Patres. Sic *Subdiaconi* nulla erit *Benedictio*, ſed ut *Panis*, ſic etiam *Benedicti* antea à *Sacerdote Calicis*, diſtributio. Sic certè accuratiſſimè conveniet Canon cum *Apoſtolo*, à quo has deſumptas eſſe locutiones eſt ſane veriſimillimum. Sic & alius qui ex iiſdem hauſiſſe videtur, unde Patres noſtri, Apoſtoli fontibus, *Dionyſius*, quem *Areopagitam* appellant. Ait enim cum Sacerdotibus *Diaconos* proponere ſolitos in Divino Altari ſanctum *Panem*, καὶ τὸ τῆς Εὐλογίας ποτήριον. Rurſus ne de aliquo Lectionis errore ſuſpectum habeamus, ἐγκεκαλυμμένος μὲν ὁ θεῖος ἄρτος προτίθεται, καὶ τὸ τῆς Εὐλογίας ποτήριον. Ita utrobique de *Calice* etiam *nondum conſecrato*, quem tamen quia, per *Conſecrationem*, in *Calicem Benedictionis* tranſiturus erat, jam illum ſolenni & vulgari nomine, *Calicem Bene-*

Dionyſ. *Eccl. Hierarch. c.* 3. *pag.* 88.

Benedictionis appellat. Et verò proclivis admodum è Scribendi compendio erat error. Cum enim scriptum esset εὐλογ. nec succurreret Librario ea, quàm dixi ratio, cur ποτήριον Εὐλογίας possit appellari; vero præcessisset, in causâ Panis, verbum διδόναι, proinde consentaneum duxit, ut vel mutilaret ipse, aut pro scribendi eo, quod dixi, Compendio, suo jam in Codice mutilum crediderit verbo Infinitivo esse supplendum. Fateor interim antiquissimum hunc errorem. Vulgarem enim Lectionem sequuntur antiquissimi, quot habemus *Latinos*, seu Interpretes, seu Canonum Collectores, *Dionysius* Exiguus, *Isidorus* Mercator, *Cresconius*, *Ferrandus*, *Hadrianus* Papa, &c. Sed & *Græci* etiam Canonum Collectores. In Canonis equidem *breviario* nullam faciunt εὐλογίας mentionem *Alexius Aristinus* & *Simeon* Magister Logotheta. Sed in ipso Canone legisse ipse certè videtur *Alexius* dum ita illum in-

terpretatur ut in eo Patres *Laodiceni Subdiaconos*, tam à *Presbyteratûs* Officio, quam etiam *Diaconatus* excluſerint. *Diaconi* enim Officium in *Panis* diſtributione, *Presbyteri* in *benedictione* Calicis intellexit. Nec eſt tamen quòd proinde miremur. Illam enim Canonum univerſam ſere literaturam habemus in MSS. Codicibus plerunque mendoſiſſimam.

Omnino in hanc *ſententiam* Patres *Laodicenos* intelligendos eſſe crediderim. Quòd ſi tamen vocem εὐλογεῖν mordicùs retinendam eſſe quis cenſuerit; ita locum alia poterit habere Reſponſio. Nempe pro eodem jure quo *Calicem Eucharisticum* ποτήριον Εὐλογίας appellandum eſſe diximus, fieri præterea poteſt ut voce Technicâ ab eodem illo titulo deductâ, Miniſterium etiam quodcunque in *Conſecratione Calicis* obire, id vitandæ *Periphraſis* gratiâ, & pro contractâ loquendi ratione, tantundem valeat ac ποτήριον εὐλογεῖν.

γῶν. Est enim id in omni hominum locutione frequentissimum ut etiam *Ministro* id tribuatur, quòd sit tamen à Causâ *Principali*. Ita *Gentes* & *Regna evellere, destruere, disperdere, dissipare, ædificare* & *plantare* dicitur *Jeremias*, quòd ejus *Ministerio* usus esset Dominus in *prænunciandis* Gentium Regnorumque fatis. Quantò potiori ratione illi eadem tribuenda erant qui propriam aliquam *operam* ad eventum contulisset? Eam conferebant, etiam in *Calicis* benedictione *Diaconi*, pro suo nimirum in Ecclesiâ *loco* atque Ordine. Nempe *Ministerium* erat Officium *Diaconi*, non ut ipse munera *Sacerdotalia* propriissimè sic dicta *obiret*, sed ut obeunti *Sacerdoti* *assisteret* atque deserviret. Respondebatque, ut dixi, Gentilium ἱεροκήρυξι, qui Sacra Officia ἐκήρυττον, & verbis quibusdam solennibus indicerent, deque ipsis tam *Populum*, quàm ipsos etiam *Sacerdotes* commonerent. Ut itaque in aliis *Benedi-* Jer. 1. 10.

nedi-

nedictionibus, *indicere* illas sic solebat *Diaconus*, Ἐυλόγησον δέσποτα, cui respondet apud *Latinos* forma illâ, *Jube Domine benedicere*; eandem etiam operam præstabat in solenni, de quâ agimus. *Sacramentalium* quoque specierum *benedictione*. Sic enim legimus in *Missâ Chrysostomi*; Διάκ. Ευλόγησον δέσποτα τὸ ἅγιον ποτήριον. Nec aliter in aliâ illâ *Græcorum* Liturgiâ quæ *Basilii* appellatur. Fateor idem, & in *Panis benedictione*, præstitisse *Diaconum*. Cur tamen in solo Calice *benedictio* memoretur, satis est, ni fallor, ostensum. Ergo hoc *indicendæ Benedictionis* munus, quòd proprium erat *Diaconorum*, id *Subdiaconis* Patres *Laodicenos* interdixisse consentaneum est.

Ap. Goar. *Rit. Græcor. p.* 77.

Miss. Basil. *Ap.eund.p.*164.

§. 13. Poterit & alia locum habere Interpretatio, si è receptis hodiéque *recentioris* Ecclesiæ *Græcæ* moribus *veteres* Ecclesiæ *Græcæ* Canones liceat interpretari. Quod certè nescio cur non liceat dum nec certiora suppetant, nec aliunde de

recep-

recepti moris *novitate* conſtet. Duplicem autem adhibent *Græci benedictionem* ſpecierum *Eucharisticarum*, non modò diverſis in *locis*, verùm admodum diverſo etiam *conſilio*, in *Protheſi* aliam, aliam in *Altari*, verùm eodem hodie utramque Conſecrationis *Miniſtro*, ipſo nimirum *Sacerdote*. Minorem illam in *Protheſi* proptereà ſolebant, ni fallor, adhibere, ut ſolenni aliquâ Cærimoniâ è *communi* uſu in *Sacrum* vendicarentur antequam in uſum *Sacramentorum* migrarent, omnium ſanctiſſimum. Quanquam enim *dona* omnia *Oblationeſque* quæ quidem in *ſacros uſus* deſtinarentur, ipſæ etiam pro *Sacris* haberentur; propriam tamen quandam præ aliis *donis* ſanctimoniam ea habere credebantur quæ in publicos *Synaxeon* uſus expendenda erant, propriamque adeò habebant *Conſecrationem*. Proinde cum *Primitiæ* omnes *Clero* in *Eccleſiâ primævâ* ſolverentur, nullæ tamen in Eccleſiis *offerendæ* erant niſi quæ *Can. Apoſt.* 3 4.

in

in *publicos* Ecclesiarum usus, essent, ut dixi, referendæ. *Panem* igitur & *Vinum* consecranda *offerebant* quibus Jus erat *Communionis* cum *Oblatione*. Nec ideo quæ *primam* illam inferioremque *Consecrationem* obtinebant, proinde etiam *secundam* majoremque consequebantur in usus *Eucharisticos*. *Panem* enim ita *consecratum* ad *exteros* mittebant quos *Communionis* suæ participes agnoscebant. Quod tamen ne in speciebus *Eucharisticis* fieret, vetant disertissimis verbis Patres nostri *Laodiceni*. Estque id præterea notandum proprio suo nomine sacros *minori Consecratione* Panes *Eulogias* appellari ut à Pane *Eucharistico* distinguerentur. Sic enim nostri Patres: Περὶ τοῦ μὴ τὰ ἅγια εἰς λόγον εὐλογιῶν, κατὰ τὴν ἑορτὴν τοῦ Πάσχα εἰς ἑτέρας παροικίας διαπέμπεσθαι. Quod si hæc *minor consecratio* fuerit unquam *Diaconis Subdiaconisve* permissa, non tamen inde sequebatur munus aliquod *Sacerdotale* propriè sic dictum

Concil. Laodicen. *Can.* 14.

cum

cum *Laicis* fuiſſe communicatum. Sed *Panis* duntaxat *Eulogias* legimus, *Vini* nullas uſquam legimus. Primam itaque Reſponſionem *veriſſimam*, ſecundam etiam *veriſimilem*, exiſtimo.

§. 14. Quod verò diximus Officium *Diaconorum Subdiaconis* interdictum, longe id veriſimilius quàm quod putant Adverſarii Officium *Presbyteratûs* à *Subdiaconis* uſurpatum. Longiùs ſummoti erant, pro illius Ævi Diſciplinâ, à *Subdiaconis Presbyteri* quàm ut *Presbyterum* Jura *Subdiaconi*, nullo antea facto gradu, ſeu auderent, ſeu etiam poſſent, ſibi vendicare. *Diaconos* propiùs attingebant *inferiorum* Eccleſiæ Miniſtrorum *ſupremi*, *Diaconis* proximi. Et verò *Diaconorum* iſtiuſmodi erat Officium, ut in Communicantium *multitudine* neceſſariæ eſſent *multorum* operæ, non item illud *Preſbyterorum*. Ægriùs enim poterant à paucis jam conſecrata Elementa in multos *diſtribui* quàm nondum conſecrata *Conſe-*

crari. Accedebat præterea *Diaconorum* ipſa *paucitas*, minùs illa *numeroſa* quam *Presbyterorum*. In Provinciâ certè finitimâ conſtitutum legimus ne in *Civitate* quantumvis *magnâ* plures tamen eſſent quàm *ſeptem Diaconi*, propter exemplum Apoſtolorum. Ea conſuetudo ſi in hac etiam Provinciâ obtinuerit, jam videbimus cur *Subdiaconorum* auxilium ipſis etiam *Diaconis* eſſet expetendum. Quid quod *Subdiaconorum locus* ad *fores* Sanctuarii ita ſitus erat opportunè ad Officium *Diaconorum*, ut nullum fere Officii ſui munus præſtare potuerint *Diaconi* quin per *Subdiacones* eſſet tranſeundum. Hoc itaque ſi obtineamus *Diaconorum* illud fuiſſe munus quod hoc Canone *Subdiaconis* Concilium interdixerit, jam ſequetur de *Conſecratione* Calicis *Eucharistici* ne quidem intelligi poſſe quæ nulla prorſus attinebat ad Officium *Diaconi*. Sed putat ſe Jus illud *Diaconis* aſſeruiſſe Cl. Diſſertator. Videamus itaque quàm ſolidé.

Concil. Neocæſ. Can. 15.

C A P.

CAPUT VIII.

De Diaconorum Oblatione, *cujus mentio in Canonibus* Ancyrano *&* Arelatensi.

CAnon Ancyranus. *Nullam agnoscebant illius Seculi Patres* Offerendi *Potestatem in* Diaconis. §. 1. *Rectè vox ἀναφέρειν intelligi potest de* priori Consecratione *in* Prothesi. §. 2. *Consecratio illa* prior *Antiquitùs, non in* Prothesi, *sed in* Diaconico, *peracta est, & quidem ab ipsis* Diaconis. §. 3. *Veterum Sanctuaria* Prothesin *nullam habebant, sed duntaxat,* Diaconicon. §. 4. *De S.* Thomæ *Christianis.* §. 5. *Canon*

Arelatensis. §. 6. *Resp.* 1. *intelligi posse de* præviâ *illâ* Consecratione *quæ & ipsa postea ablata à* Diaconis Presbyteris *asserta est, & quidem primo in* Occidente. §. 7. *Resp.* 2. *ut intelligeretur de Consecratione* Sacerdotali, *speciem tamen illi usurpandæ facere potuit* prior *illa* Consecratio, *sine ullo* Jure *aut* primævâ *Consuetudine*. §. 8. *Etiam urgente* Necessitate, *non aliis tamen quàm* Presbyteris *Eucharistiæ* Consecrationem *permisit* Ecclesia. §. 9, 10.

§. 1. PRofert imprimis Cl. Vir secundum vetustissimæ *Ancyranæ* Synodi Canonem, in quo de lapsis *Diaconis* qui denuò Confessionis agonem instaurâssent, ita constitutum legimus. τὴν μὲν ἄλλην τιμὴν, ἔχειν, πεπαῦσθαι δὲ αὐτοὺς πάσης τῆς ἱερᾶς λειτουργίας, τῆς τε τὸν ἄρτον ἢ ποτήριον ἀναφέρειν, ἢ κηρύσσειν. A voce ἀναφέρειν tota pendet Argumentatio,

tio, quàm de *Sacrificâ* Sacrificii Euchariſtici *Oblatione* intelligendam contendit Vir eruditiſſimus. Ergo jam, ſi illum audiamus, ad Officium *Diaconi* ſpectârit, non ſolius *Calicis*, ſed *Panis* etiam *Euchariſtici*, *benedictio*, cujus certè mirum eſt non meminiſſe Canonem *Laodicenum*, ſi, in quam ille intèrpretatus eſt ſententiam, reverâ eſſet intelligendus. Opponit *Petavius* diſertiſſimum *Nicænæ* Synodi Canonem recenti Synodi *Ancyranæ* memoriâ conditum, in quo ita Patres illi ſupponunt, nullam eſſe, quam volunt Adverſarii, in *Diaconis* Conſecrandi Poteſtatem, ut verterint etiam in *Argumentum*. Cum enim nonnullis in locis auditum eſſet *Diaconos Presbyteris* dediſſe ſpecies *Euchariſticas*, hoc propterea damnant Patres quòd indecorum eſſet qui *Conſecrandi Poteſtatem* haberent ab illis *Euchariſtiam* acciperent, qui ipſi illam *Conſecrare* non poterant, τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν τοῖς προσφέρουσι διδόναι. *Concil.* Nicæn. *Can.* 18.

Hoc

Hoc & Canoni contrarium pronunciant & συνηθεία. Nulla itaque erat, quam fingunt Adverſarii, in contrarium *conſuetudo* illius Seculi Canonibus Eccleſiaſticis primùm improbata. Collectionem præterea habemus rerum Eccleſiaſticarum antiquiſſimam in *Conſtitutionibus* illis, quas *Apoſtolicas* appellamus, uno forſitan alteróve Seculo poſt *Nicænos* Canones *Ancyranosq;* in hanc quam hodiè habemus formam redactam, ſed è monumentis Antiquiſſimis Patribus illis omnino *coævis*, vel etiam *antiquioribus*, conſarcinatam. Vix enim eſt quòd dubitemus quin *Epiphanianas Conſtitutiones* pleraſque complectatur, & vetuſtiores illas *Hippolyti*, & διδαχὰς illas atque διδασκαλίας quæ aut *Apoſtolorum* aut *Virorum* ſaltem *Apoſtolicorum* nomine ſub Quarti ſaltem Seculi initio venditabantur. Sic autem illa Poteſtatem *Diaconorum* deſcribit, ut *cum Nicænis* Patribus conveniat ad amuſſim, ab Adverſariis quàm

quàm longissimè recedat. Διάκονος (inquit) οὐκ ΕΥΛΟΓΕΙ. οὐ δίδωσιν εὐλογίαν· λαμβάνει δὲ παρὰ τοῦ Ἐπισκόπου καὶ Πρεσβυτέρου. οὐ βαπτίζει, οὐ ΠΡΟΣΦΕΡΕΙ· τοῦ δὲ Ἐπισκόπου προσενεγκόντος ἢ τοῦ Πρεσβυτέρου, αὐτὸς ἐπιδίδωσι τῷ λαῷ, οὐχ ὡς Ἱερεὺς, ἀλλ᾽ ὡς διακονούμενος Ἱερεῦσι. Sic & ipse *Hieronymus*, quem suum putant Adversarii, de *Hilario* Diacono: *Hilarius, cum Diaconus de Ecclesiâ recesserit, solusque, ut putat, turba sit mundi, neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos & Presbyteros non habens, neque Baptisma sine Eucharistiâ tradere.* Const. Ap. L. 8. c. 28. Adv. Lucifer. p. 623.

§. 2. Fieri itaque non potest ut rectè Patres *Ancyranos* intellexerint Adversarii. Alia ergo quærenda Interpretatio quæ meliùs cum Officio *Diaconorum* & cum *Seculi* consuetudine conveniat. Per κηρύσσειν non hìc illud intelligitur quod vulgò solet intelligi, *publicæ* nimirum illæ ad Populum *Conciones* quæ hodiernarum Synaxeon

partem

partem faciunt hodiè præcipuam. Erant enim illæ, Primævis Seculis, *Epiſcoporum* fere propriæ. Et ſi fuerint aliquando *Presbyterorum*, non tamen *omnium* ſed duntaxat *Doctorum*. *Diaconis* vix ullis conceſſas fuiſſe crediderim, non certè ipſo *Diaconatûs* nomine, ut proinde ad *Officii* conſtitutionem pertinuerit. Voce eâ Poteſtas Ἱεροκηρύκων indicatur quâ *Officia* omnia tam à *Plebe*, quàm etiam à *Sacerdote*, præſtanda indicta fuerint. Ex antiquiſſimis enim quas habemus *Liturgiarum* formis conſtat propriam illam ſemper fuiſſe *Diaconorum*. Sed vocem ἀναφέρειν de alio quàm *Eucharistiæ* Officio ne quidem intelligi poſſe arbitrantur. Perperam illi, & ſine ullâ, quæ ita intelligendam ſuadeat, neceſſitate. Rectè enim & illa poterit ad priorem illam, quàm dixi, *Conſecrationem* adhiberi. Eam certè adhibuit *Simeon Theſſalonicenſis*. Sic enim ille de priori illâ, quæ in *Protheſi* fiebat, *Conſecratione*; rationem reddit cur

ante

ante ſecundam *Euchariſticam* Con-
ſecrationem *Elementa* tamen à Po-
pulo *adorentur*: ἐν τῇ Προθέσει Sim. Theſ. *ap.*
ἀνετέθησαν τῷ Θεῷ καὶ ὁ Ἱερεὺς ἐκεῖσε Goar. *Rit.*
δηλῶν ἈΝΕΦΕΡΕ τῷ Θεῷ, καὶ Græc. *p.* 225.
προσδέξασθαι ταῦτα εἶπεν εἰς τὸ ἄνω
θυσιαστήριον. Voci ἀνετέθησαν vox
Ἀναφέρειν reſpondet accuratiſſimè,
ut proinde cùm vox prior de *priori*
illâ conſecratione dicta ſit, deque
dicatis in eâ Elementis, *ſecunda*
etiam non de *Prece* duntaxat, ſed
de *Elementis*, ſit etiam intelligen-
da. Noſtræ tamen cauſæ abunde
ſufficiet ſi vel illa *Precationis* ἀνα-
φορὰ poſſit tribui *Diaconis*. Ver-
bis tantundem valentibus utuntur
etiam alii. ΠΡΟΣΚΟΜΙΔΗΝ German. *Rer.*
& ΠΡΟΣΦΟΡΑΝ appellat *Eccleſ. Cont.*
Germanus. (*a*) Ἀνακεῖσθαι (*b*) προ- *Tom.* 2. *Bibl.*
σάγεσθαι, (*c*) προσφέρεσθαι, (*d*) ἱερουρ- *Gr. Lat. Patr.*
γηθῆναι. Elementa illa in προθέσει *Ed.* 1624.
docet *Cabaſilas.* Et ne quid ſuſ- *p.* 137, 138.
picemur in hâc *priori* benedictione (*a*) Cabaſil. *ib.*
Sacerdotale, diſertis verbis monet *Liturg. Exp.*
(*e*) *Cabaſilas* adhuc eſſe ἄρτον ψι- *cap.* 2. 6, 8.
λὸν, nec fieri eam mutationem (*b*) Cab. *ib. c.* 4.
(*c*) Cab. *ib. c.* 5.
(*d*) Cab. *ib. c.* 8.
(*e*) Cab. *ib. c.* 6.
11. 24.

quâ nova induat Myſtica nomina *Corporis* & *Sanguinis*. Scio equidem hujus Conſecrationis Miniſtrum, pro recentiorum *Græcorum* moribus, non *Diaconum* eſſe, ſed ipſum *Sacerdotem*. Sed veriſimile eſt alium fuiſſe morem Antiquorum. (*f*) *Germanus* enim qui ſub *Leone Iſauro* floruit initio Seculi Octavi in ſuâ primariâ *Conſtantinopolitanâ* Eccleſiâ, quam reliquis præire oportuit (in quam tardiùs irrepere poterant novationes) adhuc *Diacono* præcipuum in eo Miniſterio locum fuiſſe teſtatur. Et quidem Antiquior *Germano* Conſtitutionum (*g*) *Apoſtolicarum* Collector *Donorum* in θυσιαστήριον *tranſlationem* ſolis tribuit *Diaconis*. Οἱ Διάκονοι (inquit) προσαγέτωσαν τὰ δῶρα τῷ Ἐπισκόπῳ πρὸς τὸ θυσιαστήριον, καὶ οἱ Πρεσβύτεροι ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ καὶ ἐξ εὐωνύμων στηκέτωσαν ὡς ἂν μαθηταὶ παρεστῶτες διδασκάλῳ. *Presbyteros* cum *Epiſcopo* à dextris ſiniſtriſque adſtantes legimus, proinde

(*f*) German, *ib. p.* 138.

(*g*) *Conſt.* Ap. *L.* 8. *c.* 12.

inde necessarium est hanc solennitatem solos obiisse *Diaconos*.

§. 3. Valde equidem diversa hæc est à *recentiorum* illâ pompâ quâ *Dona* antea Consecrata è *Prothesi* in *Altare* transferuntur. Vestiti pro more *Sacerdos* & *Diaconus* adeunt *Prothesin*, ibi Sacris à *Diacono* antea præparatis, disco ad *sinistram*, calice ad *dexteram*, trina *Prothesin* adoratione venerantur. Sumit deinde *Sacerdos* in sinistrâ manu *Panem*, dextrâ *lanceam*, qua sigillum Pani *oblatitio* imprimi solitum signo *Crucis* aerio ipse signabat. Tum *lanceâ* in *Panem* infixâ partem *Eucharistiæ* dicandam è *Pane medio* excindit. Eam ita excisam primò *supinam* ponit in *disco* immolatque, postea in aliud latus conversam quo impressum fuerat signaculum, dexteram rursùs illius partem lanceâ pungit. Dein alias oblatitiorum Panum *particulas* suo quamque ordine disponit, infusâ antea in *Calicem* cum *Vino Aquâ*. Inde *Asteriscum* & duplex præterea

 Velum

Velum Pani superimponit. Tandem *adorantes* tam *ipse* quàm *Diaconus*, Sacerdos Oratione προθέσεως primam illam *Consecrationem* absolvit. Nec tamen protinus sequitur Donorum in θυσιαστήριον translatio, dum, dimissis *Catechumenis*, in *Missâ* etiam *Fidelium* fuerit aliquousque progressum. Tum *secundum introitum* faciunt, μεγάλην εἴσοδον, ab hâc ipsâ *Donorum translatione* ita appellatum. Discum *Diaconus* in capite, *Sacerdos* Calicem in manu defert, Templum thure suffumigante *Diacono*, dum è προθέσεως πύλη transeunt ad πύλην ὡραίαν θυσιαστηρίου. Nihil istiusmodi quo tempore conditæ sunt Antiquiores illæ, quas appellant, *Apostolorum Constitutiones*. Nulla ibi mentio Προθέσεως, nulla *Sacerdotum* deferentium. Aderat equidem *Germani* tempore in *Prothesi Sacerdos*, quod duplex esset Persona repræsentanda *Josephi Arimathæensis* atque *Nicodemi*. Officium tamen disertissimis verbis ait peregisse

German. *ib.* p. 137.
Id. ib. p. 138.

peregiſſe *Diaconum*. ὁ μέντοι διά-κονος ὁ τοῦτο ἐνεργῶν. Et de *Panis exciſione*: Αὐτὸς δὲ ὁ τὸ θεῖον σῶ-μα διατέμνων διάκονος. Sic nimi-rum in Eccleſiâ *Conſtantinopolitanâ*. In *Romanâ* jam antea probabile eſt obtinuiſſe novitatem. *Pſeudo-Areo-pagitam* à *Romanis* ſuppoſitum ve-riſimile eſt, ab ipſo etiam *Magno* fortaſſe *Gregorio*. Fuit Epiſtola *Anaſtaſii Bibliothecarii* præfixa Scholiis *Maximi* & *Joannis Scytho-politani* à ſe collectis, *Latineque* converſis, ut ita ſuſpicemur. Quo etiam facit quòd *Romanorum* poti-ùs, quàm *Græcorum*, mores ab eo enarrari obſervârit ipſe *Maximus*, quod equidem non fieret ſi *Græci* eſſet Autoris, *gente* nimirum *Græci* pariter ac *linguâ*. Apud illum *proponunt* ſacrum *Panem* atque *Ca-licem* ἐπὶ τοῦ θείου θυσιαστηρίου (nec enim ulla ibi mentio *Protheſis* ab *Altari* diſtinctæ) οἱ τῆς λειτουργικῆς διακοσμήσεως ἔκκριτοι σὺν τοῖς Ἱε-ρεῦσι. *Diaconi* ſunt qui hic λειτουρ-γικῆς διακοσμήσεως ἔκκριτοι appel-lantur,

Maxim. *Schol.* in Dionyſ. *Eccl.* *Hierarch.* c. 3.

Dionyſ. *Eccl.* *Hierarch.* c. 2.

lantur, ut nimirum ita à *Subdiaconis* distinguerentur, quos communi Λειτουργῶν nomine solet complecti Pseudo-*Dionysius*. His itaque *Sacerdotes* adjungebant in solenni illo *Donorum* introitu *Romani*.

§. 4. Ita nimirum obtinuit cum non in *Diaconico*, sed in *Prothesi*, fieri solebat prima illa *Consecratio*. Antiquior autem Ecclesiastici *Adyti* distributio è solo *Diaconico* constabat, & *Majori Sanctuario*, quod nunc θυσιαστήριον, nunc ἅγιον βῆμα, appellant *Græci*, cujus retinent hodieque vestigia recentiorum Adyta nonnulla & ipsa quoque bipertita, eo tamen discrimine, quòd *Prothesin* habeant recentiora, neglecto *Diaconico*. *Prothesin* è contrà nullam memorant Canones *Laodiceni*, qui tamen Διακονικοῦ & Θυσιαστηρίου mentionem faciunt disertissimam. Cum ergo prior illa Εὐλογιῶν *Consecratio* perageretur in *Diaconico* (& verò certum est Concilii *Laodiceni* tempore illas fuisse Εὐλογίας) omnino consentaneum

taneum est *Consecrationis* illius *Ministros* solos utique fuisse *Diaconos*. Nec enim adeo honestum erat & Officii dignitati conveniens ut *loci* inferioris *Officium* obirent ipsi *Sacerdotes*. Ita enim in *Sacris* solebant Officiorum intervalla sanctè observari, ut ex assignatis cuique muneribus significaretur potiùs quo in pretio quisque esset habendus. Proinde ut à *Superiorum* muneribus arcebantur *Inferiores*, ita vice versâ nefas erat si quis *Inferiorum* munera *Superior* volens & suapte sponte obiisset, adesset modò ex *Inferioribus* quispiam qui ipse posset obire. Sic enim Antiquus Autor, sub nomine *Hieronymi*, ipsi tamen, ut videtur *Hieronymo* coævus; *Ipsis etiam Sacerdotibus, propter præsumptionem, non licet de mensâ Domini tollere Calicem, nisi eis traditus fuerit à Diacono.* Ergo ne licuerit quidem *Sacerdoti* Officium obire in *Diaconico* obeundum. Et quidem cum *Constitutionibus* Apostolicis, *Diaconis* idem hoc Officium

De Sept. Grad. Eccl. Tom. 4. *Op.* Hieronym. *Edit.Par.*1609

um assignat. Sic enim ille: *Levitæ inferunt Oblationes in Altari.* Ex his itaq; illius Ævi monumentis longè meliùs Canonem *Ancyranum* interpretabimur quàm è conjecturis junioris, utcunq; docti, Dissertatoris.

§. 5. Quæ hìc subjungit de S.*Thomæ* Christianis, qui deficiente *Episcoporum Presbyterorumque* Successione, unicum rogârunt, qui solus supererat, *Diaconum*, ut *Sacramenta* administraret, non opus est ut fusiùs excutiamus. Unde enim constat *rectè* fecisse illos? Unde vel illud, ipsos ita *credidisse* rectè à se factum quod, nisi eâ *Necessitate* cogente, non fuissent utique facturi? Unde, vel eâ ingruente *Necessitate* rectè factum, cum & ad aliquam *verisimilitudinis* speciem habentia, & ad ea quæ nec ipsi *verisimilia* existimant, cogat homines alioqui perspicacissimos, sæpe *Necessitas*? Quanto magis *Barbaros*, & bonarum literarum, Ecclesiasticarumque Historiarum rudes atque imperitos, quales

les illos esse constat *Malabarum* Christianos? Sed *veterum Institutorum* retinentissimos esse observat Dissertator. Itane veterum institutorum retinentes credidit ut *nova* Instituta nulla habeant *Veteribus* permista? Itane *Veterum*, retinentes, ut etiam *Apostolicorum*? Itane *Apostolicorum*, ut quæcunque apud illos hodieque reperimus, ea propterea, sine aliis antiquioribus Testimoniis, *Apostolis* ipsis necessariò tribuenda sint? Et verò quomodo poterant ex antiquis *Apostolorum* Institutis colligere, quid urgente esset *Necessitate* faciendum? Creditne *Grotius* defecisse *Sacerdotes*, aut similem aliquem Casum contigisse, sub *Apostolis*? Inde quid in eo casu fecerint, ad seros usque Posteros, sine literis scriptisque, certum nihilominus firmumque permanâsse?

§. 6. Sequitur Canon *Arelatensis*, quem miror à *Petavio* prætermissum, cùm faciat alioqui maximè ad institutum Dissertatoris.

 Is

Concil. Arel. 1. Can. 15.

Is ita se habet: *De Diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere.* Malè hìc Dissertator conferendum censuit hunc Canonem cum Canone *Ancyrano* in voce Offerendi, si quidem vellet *Disputare.* Alia enim videretur fuisse *Oblatio* de quâ agunt Patres *Ancyrani*, ab Ecclesiâ *probata*, alia hæc Patrum *Arelatensium* ab ejusdem Seculi Ecclesiâ *improbata.* Nec enim est quòd multa illa *loca*, in quibus error *Diaconorum* contrarius obtinuerit, de locis *Orientalibus* intelligamus Patrum *Ancyranorum.* Suæ enim ditionis fuisse ostendunt sequentia, *placuit minimè fieri debere.* Fateor equidem *Arelatensis* hujus Concilii, propter *Imperatoris* Mandatum, & causam quæ in eo præcipuè agebatur *Afrorum*, Potestatem ampliorem fuisse quàm ut solâ *Galliâ* clauderetur. Alius tamen erat, in Oriente, *Licinius* Imperator cujus nulla legimus ad Concilium mandata; nec verò aliarum rerum extra

tra suam provinciam Potestatem habebant quàm earum de quibus fuerat legitimè *relatum*, seu ab *Imperatore*, seu à *Donatistis* appellantibus. Nec verò poterat *Petavius* huc referre usum vocis apud *Cyprianum*, quo Communicantibus *Diaconus* Calicem *offerre* dicebatur. Nec enim eâ *oblatione Diaconis* Concilium interdixisse verisimile est, quam ad recentiora usque tempora descendisse, in Ecclesiâ *Latinâ*, videmus.

§. 7. Duobus itaque modis Responderi posse existimo. 1. Ut nihil sit unde *necessariò* colligere possemus de unâ eademque *Oblatione* nostrum agere Canonem *Arelatensem* atque *Ancyranum*; ita vicissim nihil esse quod *pugnet* quo minùs de eâdem utrumque possemus intelligere. Quod enim in uno eodemque Seculo una cum probârit Ecclesia, alia improbârit, fieri id satis commodè potuit, in re præsertim *Adiaphorâ*, qualis erat ea, de quâ Canonem *Ancyranum* inter-

pretati sumus, *Oblatio*. Ut enim postea, in *primâ* illâ Eucharistiæ *Consecratione*, varii erant unius ejusdemque Ecclesiæ mores, ut cum soli illam Concilii *Ancyrani* tempore obierint *Diaconi*, postea exclusis ab omni Consecrandi munere *Diaconis*, soli, etiam in *Orientali* Ecclesiâ, obierint illam *Sacerdotes*; sic in *cæteris* etiam Ecclesiis *varii* tamen poterant esse *mores*. Et vero jam ostendimus esse verisimile cœpisse apud *Latinos* morem excludendi ab eâ Consecratione *Diaconos*. Sic enim Pseudo-*Areopagita* (quem *Romani* moris testem ostendimus) cum *Diaconis* jungit *Sacerdotes* inferendis in Altare sanctis muneribus; cum tamen Patriarchæ *Germani* tempore (qui Pseudo-*Dionysio* aliquanto recentior est) soli adhuc in Ecclesiâ magnâ *Constantinopolitanâ* (quam reliquis proponit in exemplum) Ministerium illud obierint *Diaconi*.

§. 8. Potiùs tamen fateor eò me propendere ut secundo modo intelli-

intelligam, de ipsâ nimirum, quam volunt Adversarii, *Oblatione* Eucharisticâ *Sacerdotum* propriâ. Erant nimirum in villis quibusdam *Rusticanis* quæ paucos admodum incolas haberent, *soli*, sine Episcopis Presbyterisve *Diaconi*. Horum munus, pro illorum Temporum disciplinâ, in solâ Ecclesiasticorum *Officiorum* administratione versabatur. *Conciones* nullas *Diaconis* concessas ostendimus. Ergo in erudiendis *Catechumenis*, in solennibus *Synaxeon* fortasse præcibus, in moribundorum *Baptismo* atque *Communione* erat constituendum, præsertim verò in *Sacramentis*, quâ licebat, administrandis. In causâ *Baptismi*, qui *moram* ferre possent, eos nonnisi *Festis* solennibus præsertim *Paschæ*, in Ecclesiâ *Episcopi* Metropolitanâ *Baptizare* solebant, ut proinde non fuerit necessarium ut eos *Baptizarent* ipsi *Diaconi*, sed ut ad *Episcopum* Baptizandos *adducerent*. Nec verò erat cur hoc ferrent molestè *Diaconi*, cum ne quidem *Pres-*

byteris hoc licuerit extrà *Necessitatis* casum constitutis. Qui verò in præsenti mortis periculo agebant ut moram illam ferre non possent, quin mox illis esset subveniendum; illos *Diaconus* poterat *Baptizare*, eâ tamen lege ut sisteret Episcopo *confirmandos* si convaluissent. Ita fuisse dicimus è coævo Canone, & quidem illo Occidentali. Sic enim Patres Eliberitani: *Siquis Diaconus regens Plebem, sine Episcopo, vel Presbytero, aliquos Baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Alterum *Sacramentum* quâ licebat obire *Diaconis, præsanctificatis*, pro illorum Seculorum more, obiisse crediderim. Nempe *arcas* & illos habuisse verisimile est à vicinis *Presbyteris* identidem supplendas; inde ad manum fuisse species quas darent morientibus. Siqua verò gravior ingrueret necessitas ut ne quidem illæ præstò fuissent; jam colorem dabat *Consecrationi* ipsa illa *Neces-*

Concil. Eliberitan. *Can.* 77.

Neceſſitas, & ad Juris aſſerendi ſpeciem faciebat prior illa *Elementorum* Euchariſticorum in *Protheſi* Conſecratio. Præſertim cum & illæ à *Diaconis* conſecratæ *Eulogiæ* iiſdem fere uſibus ſolerent inſervire quibus & ſpecies ipſæ *Euchariſticæ*. Dabantur enim iis quibuſcum ſalvam vellent profiteri *Communionem*, etiam *Euchariſticam*, nempe *non Communicantibus*, ſiqui aderant, *Fidelibus*, & *Amicis abſentibus*. Ab hâc itaque *primâ* Conſecratione facilis erat ad *ſecundam* gradus, cum & in iiſdem ſoleret peragi *ſpeciebus*, & inſtaret præterea exlex illa & dura *Neceſſitas*. Cum enim *Charitatem* quandam præ ſe ferret, inſignemque in *Animas* morientium benevolentiam, ne neceſſaria illis *viatica* deeſſe paterentur; potiùs cogitabant ſimpliciores *quid* fieret, quàm quâ tandem id fieret *Autoritate*.

§. 9.

§. 9. Utcunque tamen, & quibuſcunque tandem impulſi rationibus, auderent illud Officium obire, etiam urgente Neceſſitate, *Diaconi*, non id tamen, pro Jure *Diaconatûs*, nedum *Laicorum*. Sed nec *probantibus* Eccleſiaſticis, nec traditâ ab *Apoſtolis* eouſque *conſuetudine* utcunque improbatâ, ut putant Adverſarii. *Neceſſitas* ea quæ quidem habebat in *hoc* Sacramento locum, pro receptis Primævorum Chriſtianorum dogmatibus, erat cauſa *Moribundorum*. Ut enim neceſſarium credebant moribundis *viaticum* (ſic enim *Eucharistiam* appellabant) ut in Eccleſiæ Pace decederent; ita etiam curabant ne *Legum Eccleſiaſticarum* ſcrupuloſa nimis Obſervatio obſtaret quo minùs *moribundis* adeſſent tanta mortis ſolatia; & proinde ipſis *Legibus*, pro eo nimirum vice, viris, quà licebat, abrogarent. Ita *Baptiſmum* non alioqui niſi in ſolennibus Eccleſiæ *Feſtis* celebrandum, *Clinicis* tamen nunquam cenſuerunt

runt esse negandum. Sic etiam *Eucharistiam* cum non alioqui nisi è *Præsidentium* manu sumerent, quo tamen esset in hujusmodi casus paratior, domum deferebant. Ea, si defecisset, nec esset novæ Synaxis copia, petenda erat à *Presbyteris*, qui aut *præsanctificatam* mittebant, ut in causâ *Serapionis*, aut novam ipsi denuò, si opus esset, *consecrabant*. Nusquam id *Diaconis* permissum legimus, nusquam aliis quàm *Presbyteris*, pro eâ etiam, quam dixi, *necessitate* moribundorum. Non aliis permisit *Dionysius Alexandrinus*, non aliis *Cyprianus*. Euseb. *Eccl. Hist.* 6. 44.

§. 10. Sub illo contigit Lapsorum illa tam pertinax, quam dixi, Seditio, de Communione Ecclesiæ sibi vendicandâ. Instabant illi, minabantur, urgebant, usque adeo ut victi tandem cesserint nonnulli tam importunæ *Lapsorum* flagitationi Ecclesiæ *Carthaginiensis* tam *Presbyteri* quàm etiam *Diaconi*, ut neutiquam expectato *Episcopi*

 suffra-

gio, *Lapsis communicarent.* Et tamen communis criminis invidiam in solos *Presbyteros* confert Cyprianus. *Aliquos de Presbyteris* id sibi *vendicâsse* queritur Ep. 10. *à quibusdam Presbyteris resolvi desideria Martyrum* Ep. 11. *quosdam de Presbyteris* Lapsis *gratificantes decepisse* Ep. 12. Ecquis est quin videat, in communi illo crimine, *Diaconorum* tamen operam fuisse quòd species à *Presbyteris* præsanctificatas ad *Lapsos* detulerint, non propriam ipsi *Consecrationem* obierint ? Sic enim fiet ut in *Presbyteros* recte conveniat criminatio, si quæ peccârunt *Diaconi* ea peccârint *Presbyteris Autoribus*, nimirum ut eorum *Ministri*, qui ni accepissent ab illis *Elementa Eucharistica* ad *Lapsos* deferenda, ne quidem *Potestatem* alioqui habuissent *Lapsos* ad *Communionem* admittendi. Si enim nova Elementa, neutiquam à *Presbyteris* consecrata, ipsi *consecrâssent*, jam certè

certè parem cum *Presbyteris* ipsis reprehensionem incurrissent, majorem potiùs si *commune* etiam Officium *inferiores* Superiorum injussu obiissent. Ut enim in *contumeliam Episcopi* Factum illud *Presbyterorum* interpretatur S. *Cyprianus*; ita si similiter peccâssent *Diaconi*, non utique in contumeliam solius *Episcopi* cessisset, sed etiam *Presbyterorum*. Habemus etiam Exemplum *Gaii Diddensis*, ejusque *Diaconi* qui, injussu *Episcopi* cum *Lapsis* communicârint. Eorum *Factum* ita designat *Cyprianus*, quòd *communicârint cum Lapsis*, Lapsorumque *Oblationes obtulerint*. Quid si itaque *Gaio* Presbytero *Communicationem* tribuamus, *Oblationem* illam de priori *Prothesi* Oblatione intelligamus, eamque *Diacono* assignemus, ita tamen ut & illa laxiori sensu pro *Communicatione* quâdam habenda esset, quod non aliis dandæ illæ essent *Eulogiæ* præter- Ep. 22.

 quam

quam illis quos pro *Communicantibus* agnoſcerent. Non equidem ita longe fortaſſe aberraverimus à mente *Cypriani.* Utcunque tamen hujus etiam *Diaconi* culpam *Presbytero* improperat, cum ita queritur, *interceſſiſſe quoſdam de Presbyteris, ut communicandum cum* Lapſis *temerè exiſtiment.* Illud certè conſtat non de *Celebrantibus* Diaconis, ſed duntaxat *Miniſtrantibus* omnem illum eſſe ſermonem, *Miniſterio* nimirum illo quod *Sacerdotibus* Eccleſiaſticis exhibebant pro Officio *Diaconi,* dum & ſæpe *Presbyteros* reprehenſos legimus nullâ factâ *Diaconorum* mentione, nuſpiam vice verſâ *Diaconos* quin *Presbyteros* culpæ ſocios Autoreſque habuerint.

Ita alium quoque *Cypriani* locum intelligemus. Sic enim ſtatuit de Lapſis, *ſi incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectatâ* (inquit) *præſentiâ noſtrâ,*

nostrâ, apud Presbyterum quemcunque præsentem; vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint, ut manu eis in Pœnitentiam impositâ veniant ad Dominum cum Pace, quam dari Martyres literis ad nos factis desideraverunt. Pacem dederant eâ formâ Martyres. *Communicet ille cum suis*, unde *Communionem* Lapsis à *Diaconis* datam fuisse constat licèt nulla memoretur, sed, quo dixi modo, *consecratam* antea à *Presbyteris*.

Quæ porro sequuntur è Synodo *Trullanâ*, ex Historiâ *Gallicanâ* & *Rananiis*, & *Erasmo*, satis commodè solvit ipse *Petavius*, & leviora sunt quàm ut longam operam mereantur. Quæ verò *Prato Spirituali* adducit Dissertator de Sene *Laico* Eucharistiam consecrante, meræ sunt Dissertatoris ipsius hallucinationes. Nec *Laicum* illum appellat *Moschus*, quin potiùs con-

Prat. Spirit. c. 199.

contrarium innuit cum adesset celebranti *Diaconus*. Nec enim Laicis, ubi adsunt *Diaconi*, hanc *Consecrandi* Potestatem concederet, ut opinor, ipse Dissertator, non certè *Tertullianus*.



FINIS.